APPARATUS
AD
BIBLIOTHECAM MAXIMAM
VETERUM PATRUM

& antiquorum Scriptorum Ecclesiasticorum Lugduni editam:

IN QUO

Quidquid ad eorum scripta & doctrinam, variosque scribendi & docendi modos pertinet, DISSERTATIONIBUS CRITICIS *examinatur & illustratur.*


De Scriptoribus primi Ecclesiæ sæculi.

Opera & studio Dom. NICOLAI LE NOURRY *Presbyteri & Monachi Ordinis sancti Benedicti è Congregatione sancti Mauri.*

PARISIIS,
Apud JOANNEM ANISSON, Typographiæ Regiæ Directorem, viâ Jacobæâ, sub Lilio Florentino.

M. DC. XCIV.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI FRANCISCO

DE HARLAY,

ARCHIEPISCOPO PARISIENSI,
DUCI ET PARI FRANCIÆ,

REGIORUM ORDINUM COMMENDATORI,
Provisori Sorbonæ, Navarræ Superiori, Generalium Cleri Gallicani Comitiorum Præsidi, &c.

SISTIT *se Tibi*, ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *noster ad Bibliothecam maximam Patrum Apparatus, non solum ut tuum, quod*

ã ij

plerique omnes ambiunt, exoret patrocinium: sed suam in primis à Te, summo Cleri Gallicani Præside, sententiam, ac supremum, cui refragabitur nemo, judicium accipiat.

Non itaque tamquam innumeræ Auctorum fere omnium lucubrationes, in sinum tuum convolat, ut in laudes erumpat tuas, id est, ut Te ipsum qualis es, totum præsumat exhibere. Quamvis enim nulla major posit esse tua laus, quam Temetipsum, ARCHIPRÆSUL ILLUSTRISSIME, *tuis, hoc est nativis & sinceris repræsentare coloribus; ex Scriptoribus tamen propemodum infinitis, qui id tentarunt hactenus, nescio an ulli vel minimam unius tuis ex virtutibus formam speciemve adumbrare licuerit.*

Et vero quis ea dicendi scriben-

dive facultate praditus est, ut omnes HARLEÆ *gentis Heroum politicas, Christianas, Ecclesiasticasque virtutes, quas in te uno mirum in modum collectas suspicimus, dignis aliquando celebravit laudum præconiis? Quis tam excellens excelsumque ingenium tuum, omnigenæ eruditionis & doctrinæ copia refertissimum debitis verborum elogiis potuit umquam prædicare? Quis penicillo expressit suo mentem præstantissimam, in omnibus sive Historiæ civilis aut Ecclesiasticæ, seu Theologiæ moralis, aut dogmaticæ implicatissima quæque & obscurissima incredibili claritate, atque extemporali, stupendaque orationis elegantia reserantem?*

Cui vero singularem prorsus eloquentiæ tuæ vim, & inauditam omnino ante hoc tempus dicendi ra-

tionem, qua publicis in concionibus, in domesticis disceptationibus, in colloquiis privatis animos omnium in tui rapis admirationem, stylo suo vel cogitatione adsequi concessum est?

Ecquis, amabo, prisci temporis indagator edisseruit, qua tandem arte Tu solus, ARCHIPRÆSUL ILLUSTRISSIME, *in urbe ac diœcesi amplissima ad singula quæque semper sufficiens, nulliusque unquam indigens ope vel ministerio, difficillimis negotiis ne minimum quidem impeditus, non modo Ecclesiæ tibi commissæ res omnes, verum etiam Gallicani Cleri partes præcipuas prudentia tam mirabili, animo tam facili, tamque expedito administras; ut nulli defueris umquam, sed omnium votis satis semper feceris?*

Quis demum cæteras animi tui

dotes, virtuteſque eximias vel leviter perſtringendo, noſtris exhibuit obtutibus; quando ſuaviſſimum illarum condimentum, humanitatem dico, comitatem, ineffabilemque benignitatis gratiam, qua cunctos allicis, omnes excipis, nullumque niſi votorum compotem à Te dimittis, qui referre valeat, inventus ſit nemo.

Unus tamen, ne quid diſſimulem, virtutes tuas pro merito laudaſſe, poſteriſque commendaſſe viſus eſt LUDOVICUS MAGNUS. *Rex quippe auguſtiſſimus, ac meritorum æquiſſimus æſtimator, cùm Te ad Regni metropolim evocavit; cùm Te primum ejuſdem Pariſienſis Eccleſiæ Ducem & Parem Franciæ creavit; cùm Tui in Generalium Cleri Comitiorum Præſidem toties repetitam omnium votis*

electionem comprobavit, laudavitque; cùm Te Sacratiorum consiliorum participem fecit; cùm Te sacro purpuratorum Ecclesiæ Principum collegio adscribendum, summo Pontifici renuntiavit; tum proculdubio factus est virtutum tuarum laudator eximius, maximusque commendator. Quid namque ea adsumtio, quid ea electio, quid is delectus, maximis singulorum ordinum plausibus, atque ipsô etiam summi Pontificis, ALEXANDRI VIII. *suffragio approbatus, aliud clamat; nisi dignitatem in toto Christianorum orbe esse vix ullam, quæ omnium æstimatione non minus à Te sumat splendoris & ornamenti, quàm Tu ab illa mutuari videaris. At illud solius* LUDOVICI MAGNI *privilegium est, ad eum laudis & gloriæ cumulum evehere præstantissi-*

mum primariæ Regni sui urbis Archipræsulem.

Apparatum itaque nostrum Tibi, ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *non ideo nuncupamus; ut ille virtutum tuarum, quas nemo nisi admiratione umquam prosequutus est, præco sit & encomiastes: sed ut Te supremum judicem, & quem summopere optat, sortis suæ arbitrum nanciscatur. Hoc etenim omnium judicio meritis defertur tuis; ut arbitrum atque etiam judicem, ii quibus vel solum judicis nomen in cæteris ferme omnibus invisum est, Te omnes expetant & postulent. Nec mirum sane. Ea siquidem humanitatis & comitatis gratia, ea justitiæ & æquitatis lenitate munia judicis temperas; ut Te cuncti sicuti virum in rebus omnibus dijudicandis oculatissimum, ita*

in erroribus castigandis patrem amantissimum esse sentiant.

Tuam igitur sententiam de Apparatu nostro, ea qua soles, æquitate ferendam, eo confidentius expectamus, quo difficilius argumentum in eo tractandum adgredimur. In illo namque disputatur de Operibus Patrum primi Ecclesiæ sæculi ita examinandis & discutiendis; ut vera à falsis, à genuinis supposititia distinguantur ac secernantur. In illo agitur de expendenda eorumdem Patrum doctrina, de orthodoxis eorum dogmatibus ab erroribus hæreticorum discriminandis & vindicandis, de sacris ritibus, ac locis Ecclesiasticæ Historiæ obscurioribus enucleandis & explicandis. At nemo Teipso, PONTIFEX ERUDITISSIME, *clarius evidentiusque perspicit, in his agitandis quæstionibus*

quam proclive ſit in varios impingere errorum ſcopulos, quam arduum ex denſiſſimis ignorantiæ vel malitiæ tenebris ad veritatis lumen revocare errantium hominum rationem.

Quocirca ſupremam de Apparatu noſtro Tu, ILLUSTRISSIME CLERI GALLICANI PRÆSES, *feras ſententiam, oramus, obſecramuſque. Neque vero id Apparatui noſtro, uti confidimus, Tu ipſe denegabis, qui tam propenſa in litteratos benignitate factus es omnium lucubrationum noſtrarum auctor & ſuaſor. Eæ te hortante, te impellente, te promovente, ita prodierunt in lucem; ut ſi obtrectatorum iniquorumque effugerint aliquando invidiam, ſi quid contulerint publicæ utilitati, id totum in Te,* PRÆSUL OPTIME, *refundendum ſit. Nec minorem certe Apparatus no-*

ſter à Te inibit gratiam, ſi pro ſummo totius Cleri Gallicani tribunali de illo ſtatuas & judices. Nam ſi quos lapſus (quæ humana fragilitas eſt) in eo deprehenderis, ii omnes deletili ſpongia à nobis protinus expungentur. Si quid autem illum in aliorum bona & utilitates conferre poſſe pronuntiabis, tum ille tuo fretus judicio, tua roboratus auctoritate, tuo denique ſecurus patrocinio prodibit in publicum; eritque ſempiternus obſes ac ſponſor obſervantiſſimæ & obſequentiſſimæ meæ erga Te voluntatis.

LECTORI
PIO ET ERUDITO.

DIu apud nos multumque disputatum est, Lector Pie & Erudite, utrum novæ Patrum Bibliothecæ recudendæ, an Apparatui, qui omnibus Bibliothecis Patrum, hactenus editis, ac in primis Lugdunensi facem præferret, nostram impenderemus operam. Illud vero tanti momenti nobis visum est, ut sine amicorum, peritissimorumque hominum consilio nihil aggrediendum esse crediderimus. Quapropter claram utriusque operis ideam, seu brevem & accuratam descriptionem cum viris eruditissimis biduo ante communicavimus; ut suam ii hac de re nobis aperirent sententiam.

Ea porro non una eademque omnium fuit. Plurimi enim novæ, qua aliarum omnium errores emendarentur, Bibliothecæ Patrum adornandæ auctores fuerunt. Verum & ii duas scissi sunt in partes. Nonnulli siquidem Bibliothecam illam omnibus Patrum Operibus ad eum voluerunt componi modum, quem nos in Operis hujus designatione & apparatu priùs exhibueramus. Constitutum autem à nobis fuerat omnes Patrum

lucubrationes, quæ nec majoris molis, nec notæ ſuppoſitionis eſſent, typis novis excudere, illaſque ad codices prius editos & manu exaratos caſtigare, aliaſque iis adjungere ex Miſcellaneis, Spicilegiis, Analectis, cæteriſque hujuſmodi collectionibus ſelectas, ipſiſque tandem eas ſuperaddere, quæ è Bibliothecarum forulis hactenus ineditæ, poſſent erui. Mens inſuper erat Opera Græca Græcis characteribus divulgare ſimul ac Latinis; atque omnia quæquumque Patrum ſcripta novis, ſed neceſſariis tantum obſervationibus illuſtrare, ac iis potiſſimum quæ ad textus cujuſque Scriptoris enodationem à Billio, Petavio, Sirmondo, Cotelerio, Baluzio, Mabillonio, aliiſque doctiſſimis hominibus ſunt profectæ. Cuilibet denique Operi præmittenda à nobis erat Admonitio, qua ſynopſin illius, γνησιότητα, ſcriptionis tempus, & quidquid ad certum de illo ferendum judicium pertinet, pro virili explicari debebat, ac manifeſtum fieri. Placuit itaque pluribus illud Operis conſilium, atque ut manum ei quam primum admoveremus, vehementer adhortati ſunt.

Quidam vero id majoris molis opus eſſe rati, cenſebant Bibliothecam quidem novam prælo eſſe ſubjiciendam, ſed ſelectam, inquiebant, id eſt, ex ſelectis Patrum Operibus conflatam, & compactam. Ex ea quippe Opera omnia, quibus quodlibet volu-

men ſeu magnum ſeu mediocre confici poteſt, excludi volebant; nec alia admitti quam quæ Patrum, quibus tribuuntur, veri genuinique eſſent fœtus: vel quorum licet incerti auctores, certa tamen ætas, & multæ ex iteratâ eorum editione utilitates. Singulis autem Tractatibus Admonitionem, eo quo explicuimus modo, præfigi jubebant, eique ſubjungi claram cujuſque Auctoris vitæ ſynopſin.

Cæterorum opinio fuit Apparatum noſtrum, quo ex Lugdunenſi aliiſque Patrum Bibliothecis uberiores poſſint fructus percipi, eſſe adornandum. Nulla quippe hactenus edita eſt, hujuſmodi Bibliotheca, in qua Tractatus & Opera Patrum vel ad certas criterii leges examinata, vel genuina à ſpuriis diſcriminata ſint. Qui Bibliothecæ Lugdunenſis editioni fuerunt præfecti, quantæ neceſſitatis eſſet ille Apparatus, apprime quidem viderunt, ac fore ut aliquando eum in lucem emitterent, publice ſunt polliciti; fidem tamen ſuam numquam liberaverunt. Ne autem promiſſis ſtarent adeo ſolemnibus, eos proculdubio deterruit, ſumma operis laborioſiſſimi difficultas.

Hac certe eadem difficultatis ratione idem noſtris infirmioribus humeris impoſitum onus, à nobis erat omnino removendum. Verum apud nos, licet tanto muneri longe impares, vicit utilitas publica, cui pro virili par-

te noſtrâ ſervire coegerunt amicorum con-ſilia, aliorumque ſuprema in nos auctoritas. Utrum vero tantam eorum exſpectationem expleverimus, tuum ſit, Lector erudite, judicium. At certe illud ingenue ultroque fatebimur, nos quantum potuimus, claræ argumentorum diſtinctioni, ac potiſſimum elocutionis non omnino rudis & incultæ ſtuduiſſe perſpicuitati; ne ab Operis tam ſpinoſi & difficilis quemquam deterreret, & præpoſtera rerum confuſio, & moleſta ſtyli barbaries atque obſcuritas. Quid autem hoc in Apparatu à nobis fuerit pertractatum, ex ipſo huicce Admonitioni ſubjungendo, Indice Diſſertationum, uno ipſe oculorum intuitu facile dignoſces.

At porro cùm in opere tam lubrico labi & errare eo proclivius ſit, quo illud arduum magis eſt & difficile; idcirco primam Apparatus noſtri partem, in qua de Scriptoribus primi Eccleſiæ ſæculi diſputamus, præmittendam eſſe cenſuimus; ut ſicubi aliquid veritati minus conſonum incautis invitiſque nobis exciderit, ab aliis admoniti, illud quam primum ibi delere, & in aliis partibus emendare poſſimus. Quapropter viros omnes eruditos obſecramus obteſtamurque, ut quos in Diſſertationibus noſtris errores lapſuſque deprehenderint, de iis nos, pro ſua in adſerendam veritatem propenſione, monere non dedignentur. Illud enim ſincere aperte-

que

que profitemur neminem fore umquam, qui monitoribus emendatoribusque suis lubentius auscultet, atque ad agnoscenda corrigendaque errata nobis promtior sit & paratior. Hanc certe gratiam à litteratis omnibus inituros esse eo magis confidimus, quo plures operis nostri habuimus & auctores & adjutores.

Multi enim nos consiliis suis juverunt, miserunt alii accuratos variorum Operum catalogos, alii Regios Bibliothecarum thesauros, oplulentissimasque omnium cujuslibet generis codicum gazas aperuerunt; atque ex iis omnibus plura hausimus, quæ quisque Dissertationes nostras pervolutando, passim obvia habebit.

In iis præsertim singularem Illustrissimi Abbatis Tellerii, Bibliothecæ Regiæ præfecti, benevolentiam experti sumus. Nec id certe mirum ulli videbitur; cùm nemo sit, qui nesciat, quantum ille litteris à pueritia deditus, innumera supra ætatem eruditionis & doctrinæ, atque etiam benevoli in litteratos animi privatim ac publice specimina dederit.

Doctissimus verò Baluzius plurimos ex inexhaustis Colbertinæ Bibliothecæ thesauris Græcos & Latinos manu exaratos codices plena manu, ac ea, qua solet, comitate & facilitate nobis suppeditavit.

Nec te prætermittere possumus non no-

minatum, Bignoni, Abbas Illustrissime, qui ad omnia summa natus, tanto studio & litteras foves & litteratos. Te suasore & impulsore crevit Apparatus noster: & si tuis votis fas fuisset respondere, jam regio sumtu & magnificentia adolevisset ea, quam nos serio antehac meditabamur, Patrum Bibliotheca. At non impensæ sumtusque dumtaxat à nobis desiderabantur, sed illud in primis præstantissimum, quo præditus es, ingenium. Quo quidem si polleremus, nullum est profecto tam arduum ac difficile opus, quod alacri promtoque animo non adgrederemur.

Verum cùm amicorum, aliorumque doctrina & virtute præstantium hominum officia commemoro, unum defleo amissum, Domnum Jacobum Du-Frische, & laborum nostrorum non ita pridem socium, & studiorum adjutorem. Is ingenio erat acri & solido, ac litteris præsertim humanioribus excultissimo, memoria tenacissima, suavissimis moribus. Nos cum eo per integros octo annos novæ Operum Divi Ambrosii editioni toti incubuimus. Duobus vero ab hinc annis veteres Operum Gregorii Nazianzeni editiones emendare adorsus, postquam in Græcis manuscriptis codicibus cum editis quibusdam componendis multum laboris & operæ consumsisset, febre ardentissima in medio ætatis, ac si ita loqui liceat, virium

& roboris flore nobis ereptus eſt. Non peribit tamen inceptum ab eo opus, quod è ſodalibus noſtris alter non minori diligentia proſequendum, & ad finem uſque perducendum in ſe ſuſcepit.

Hanc abs re noſtra non longam digreſſionem æquiſſimo dolori meo condona, Lector pie & erudite, ac ſocio amantiſſimo de re litteraria optime merito bene precare. Cæterum ſi quid in Opere noſtro tibi placuerit, eo lubenter utere. Si quid vero ad ornandum perficiendumve Apparatum noſtrum, aut ex Bibliothecarum forulis, aut ex ſcientiæ tuæ theſauris promere ac nobiſcum communicare volueris, in Diſſertationibus, quas Deo dante, ſumus deinceps edituri, illud actis primum tibi gratiis, & redditis nomini tuo debitis honoribus, publicam in lucem totum accuratiſſime proferemus.

INDEX
DISSERTATIONUM, CAPITUM, ARTICULORUM, &c.

Dissertatio Prima.
de omnibus generatim primi Ecclesiæ sæculi Scriptoribus.

DISSERTATIO II.
de Liturgiis & Missis Jacobi Apostoli, Marci, & Petri Apostolorum Principis.

DISSERTATIO III.
de Sancti Barnabæ Apostoli Epistola.

DISSERTATIO IV. in tres libros Pastoris seu Hermæ.

DISSERTATIO V.

In Historiam Prochori, Christi Discipuli, de vita, miraculis & adsumtione beati Johannis Apostoli.

DISSERTATIO VI.

in duos libros beati Lini Romanorum Pontificis de Passione Petri & Pauli, ad Ecclesias Orientales.

DISSERTATIO VII.

de Epistolis Sancti Ignatii, Episcopi Antiocheni & Martyris, veris, interpolatis & supposititiis.

PARS PRIMA.
De veris Ignatii Epistolis.

PARS SECUNDA.

de interpolationibus genuinarum Ignatii epistolarum, ac de aliis epistolis ipsi falsò adscriptis, earumque Auctoribus.

PARS TERTIA.

de Editionibus & Versionibus omnium Ignatii epistolarum tam genuinarum, quam adulterinarum, ac variis in eas notis & observationibus.

§. I.

DISSERTATIO VIII. de Epistola Sancti Polycarpi Episcopi Smyrnæ & Martyris.

Dissertatio IX.

de duabus Epistolis Sancti Martialis Apostoli & Episcopi Lemovicensis.

Dissertatio X.

de Operibus Sancti Dionysii Areopagitæ.

DISSERTATIO XI.

de decem libris Recognitionum sancti Clementis ad Jacobum fratrem Domini, à Rufino Presbytero Aquileiensi in Latinum versis.

DISSERTATIO XII.

de Operibus Patrum in appendicem tomi primi Bibliothecæ Lugdunenſis rejectis.

CAPUT II.

de libro qui de duodecim Patriarcharum Testamentis inscribitur.

CAPUT III.

De octo libris Sibyllinorum oraculorum.

Approbatio Regii librorum Censoris.

LEGI *Apparatum ad Bibliothecam maximam Patrum, Lugduni editam*, &c. Datum Parisiis in Sorbona, die 3. mensis Septembris, anno 1693. PIROT.

Summa Privilegii.

AUCTORITATE Regia sancitum est, ne quis *Apparatum* .... intra sex annos à die Privilegii numerandos imprimat, aut alibi impressum in hoc Regno divendat, præter eum cui ejusdem Apparatus Auctor id juris concesserit. Qui secus fecerit, librorum confiscatione aliisque pœnis, in eodem diplomate statutis, multabitur. Datum Parisiis die 20. mensis Septembris 1693. De mandato Regis signatum, DE LA RIVIERE.

Auctor Apparatus jure suo cessit JOHANNI ANISSONIO, *die 3. Novembris.*

APPARATUS

APPARATUS
AD
BIBLIOTHECAM MAXIMAM VETERUM PATRUM,
Lugduni editam.

DISSERTATIO PRIMA
DE OMNIBUS GENERATIM primi Ecclesiæ sæculi Scriptoribus.

CAPUT PRIMUM.

Quam pauca supersint Scriptorum primi Ecclesiæ sæculi Opera: cur Deus plura interire permiserit: & quid in hac Dissertatione tractandum sit?

PLURIMA quidem veterum primi Ecclesiæ sæculi Patrum exstant Opera, in Bibliotheca nostra Lugdunensi promiscue edita: sed nulla sunt, aut certe paucissima, quæ veros genuinosque tantæ antiquitatis characteres præ se ferre invictis argumentis demonstrentur. Septem quippe Ignatii, Episcopi Antiocheni & martyris, epistolæ, ab eo, uti ostendemus, dubio procul sunt profectæ: at illæ eædem

non ante octavum secundi sæculi annum in lucem prodierunt. Ad primum vero Ecclesiæ sæculum pertinere nobis videntur cum Barnabæ Apostoli epistola, tum etiam tres Pastoris, seu Hermæ libri : veremur tamen ne eæ quibus id adsequimur, conjecturæ, quantumvis firmæ sint & solidæ, iis non probentur, qui nec præconceptas opiniones possunt umquam deponere; nec vinci volunt, nisi demonstrationibus invictissimis. Porro autem quamvis omnibus id esset persuasum, duæ tantum nunc superessent Scriptorum primi hujus sæculi lucubrationes. His autem quod adjungatur, nihil fere aliud restat, nisi prima ac forsan secunda Clementis Romani epistola, quæ cùm in Bibliotheca nostra Lugdunensi non sint excusæ, nullus de iis erit nobis hoc in Opere dicendi locus.

Mirum sane, ac forsitan incredibile nonnullis videbitur, quòd tam pauca ad nos pervenerint primæ Christianorum ætatis Opera. Extra dubium namque est plures hujusce temporis Scriptores varia edidisse opuscula, epistolas, tractatus, vel alias hujuscemodi lucubrationes. Qua ergo Dei providentia, inquies, fieri potuit; ut tam pretiosa divinorum hominum monumenta, quæ primi esse debebant traditionis nostræ canales, penitus interierint? Verum his querimoniis cito modum impones, si aliunde damnum illud, quantumvis lugendum, plene resarcitum intelligas. Etenim omnes novi fœderis libri scripti sunt hoc sæculo; atque eo plurimum adulto & pene labente, Johannes Apostolus Evangelium, Apocalypsimque suam publicavit. Quid quod & eadem Dei providentia factum est, ut iis acerbius in nascentem Ecclesiam

sævientium persecutionum temporibus, plures cùm ex Apostolis, tum ex iis, qui cum Christo, carne nostra induto, conversati sunt, longum in tempus vitam produxerint, eosque qui in sæculo secundo floruerunt, habuerint discipulos. Hos ergo sacris doctrinæ christianæ præceptis & dogmatibus, quæ illi à Christo ipso acceperant, potuerunt imbuere: nec aliis Ecclesia indiguit doctoribus, queis, tamquam canalibus, eadem dogmata voce & ore, sine scripto, de manu, ut aiunt, in manum ad nos transmitterentur. Denique hac tot tantique pretii scriptorum jacturâ docemur, non aliud divinæ providentiæ fuisse consilium; nisi ut ii Scriptores sanctissimi, qui omnes plerique sanguinem pro christiana fide tuenda, & propaganda fuderunt, illam sanguineis effusi cruoris guttis altius, quam charta, calamo & atramento, animis hominum inscriberent, infigerentque.

Cùm autem paucissima sint ea Patrum primi Ecclesiæ sæculi opera, eo sane pluris æstimanda sunt, quo majorem iidem Patres & merito suo, & sua cum Christo ejusque Apostolis consuetudine ac familiaritate sibi conciliaverunt auctoritatem. Quapropter ut germana eorum scripta à spuriis & supposititiis queant facile discerni, singula quæque ad severiores criterii regulas, studiose diligenterque in sequentibus Dissertationibus examinabimus. Sed prius de iis quæ ad illos Scriptores generatim ac universe pertinent, hac in Dissertatione disputandum est. Ostendemus itaque quod eorum ingenium, quæ studia, quæ occupationes, quæ eis fuerint occasiones ad scribendum, quos postraverint christiani nominis & doctrinæ hostes, ac tandem quæ fuerint scholæ seu loci publici, in qui-

bus christianam fidem ii didicerint, vel alios ipsimet eam edocuerint.

Caput II.

Quod fuerit Scriptorum primi sæculi ingenium, studia, occupationes & occasiones ad scribendum?

Extra controversiam est illos eo potissimum omnes ingenii nervos contendisse, omneque studium & operam consumsisse; ut Evangelium Christi omnibus annuntiarent; & demonstrata Christianæ religionis veritate, iis persuaderent eam solam, cæteris omnibus repudiatis, esse amplexandam. Hinc Judæos variis convincebant argumentis Christum illum esse tamdiu, tantoque ardore ab eis exspectatum, Messiam; verum Deum, & patris æterni Filium: tunc vero completa, quæ de illo à Prophetis prænuntiata fuerant, oracula; ac Moysis legem, cerimonias, & sacrificia ab eo rescissa & abrogata.

Paganis autem & idolorum cultoribus ibant persuasum, plures Deos impossibiles, unumque tantummodo esse, cæli & terræ, rerumque omnium creatorem: Christum vero unicum ejus esse filium; ita à Patre genitum, ut unus idemque cum eo esset Deus. Hunc ut homines redimeret, humanam adsumsisse carnem, ipsumque quo magis falsorum numinum cultus infandis sceleribus obscænitatibusque abominandis erat conspurcatus, eo puriores sanctioresque & vitæ instituendæ & adorandæ Divinitatis leges hominibus constituisse. Porro autem etsi Christus ab impiis perduellibus

que Judæis morti fuerit traditus; Scriptores tamen nostri luculentissime ostendebant illius divinitatem innumeris, quæ ipse ediderat, quæque ipso nascente, moriente, atque à mortuis resurgente contigerant, miraculis fuisse perquam invictissime demonstratam. His addebant nos post ipsum à mortuis aliquando esse suscitandos, ac secundum vitæ nostræ opera aut suppliciis æternis afficiendos, aut donandos felicitate sempiterna. Quam quidem doctrinam miraculis, à se quoque editis confirmatam, fuso sanguine plerumque consignabant.

Quos tandem ad Christianam fidem recèns adduxerant, hos primis novæ Legis præceptis erudiebant; informabantque qua ratione post abjectam Judæorum paganorumque religionem uni Deo serviendum. Tum deinde eos docebant quid singulis quibusque esset præstandum; ut genitalibus Baptismi undis Christo consepulti, & cum eo resurgentes, nova gratiæ vita renascerentur, peccatis amplius non morituri. Post suceptum divinæ regenerationis Sacramentum, secretiora fidei nostræ adyta eis reserabant clarâ & accuratâ eorum omnium, quæ alios celabant, cum mysteriorum Trinitatis & Incarnationis, tum Sacramentorum ac præsertim Eucharistiæ expositione. In primis autem illos hortabantur, ut in tradita fide constantes permanerent, ac pro ea tuenda quælibet perferrent genera tormentorum.

Quibus sane tormentis si vita eis eriperetur, id nonnulli litteris mandabant. Scribebant alii aliorum virtute & merito præstantiorum historiam, itinera, pericula, labores, certamina, passiones, supplicia, & omnia martyrii eorum Acta. Alii statuta & canones, ab Apostolis eorumque successo-

ribus ad doctrinæ explicationem, informationemque morum sancita, scriptis tradebant: alii datis ad quosdam christianos, aut Episcopos, aut Ecclesias litteris, illos accendebant ad Tyrannorum persecutiones patientissime tolerandas: vel graviora quorumdam peccata, vel nascentes, jamque irruentes abusus castigatione paterna coercebant, corrigebantque. Alii denique ne simpliciores quorumdam animi corrumperentur, in perversas doctrinas, erroresque nefarios, ac nascentes hæreses verterunt stylum.

Caput III.

De Hæresum primi sæculi ortu progressu & interitu, earumque expugnatoribus; ac primum de Hæresi Simonis magi.

Verum enimvero adversus divinos Christianæ fidei adsertores ab ipso orientis Ecclesiæ initio emerserunt ex erebi faucibus stupenda variarum hæresum monstra; atque ut prudenter monet Theoderetus: *Cùm diabolus hominum perniciem sitiret, non exspectavit, ut Apostolorum prædicatio invalesceret: sed cùm primum illi terram colere, & pietatis semina spargere cœperunt, hic interim seminavit zizania*, id est, schismata, & hæreses. Contra hæc errantium hominum portenta, quæ non minus quam persequutores crudele & exitiosum Ecclesiæ bellum intulerunt, quandoque palam & aperte, quandoque tectius, & occultius decertarunt Scriptores nostri. Quapropter ut eorum scripta, quibus hæreses satis obscuræ verbis nonnumquam obscurioribus inpu-

Præfat. lib. 1. Hæret. Fabul.

gnantur, facilius possint intelligi, earumdem hæreseôn ortus, progressus & interitus breviter, sed clare & accurate explicandi sunt.

Simon Magus primam inter Christianos, ut [a] Irenæus, [b] Eusebius, [c] Epiphanius & [d] Theodoretus memorant, hæresim excogitavit, disseminavitque: *Ut magnis*, inquit [e] Eusebius, *& admirabilibus Servatoris nostri Apostolis par adversarius consisteret.* Qua ergo ratione Clemens [f] Alexandrinus hanc hæresim non ante adultum sæculum secundum, & Marcionis ætatem ortum habuisse dixerit, omnino non videmus. Is itaque Simon oriundus Gythis, vico Samariæ, plura quæ miraculis & prodigiis omnino similia videbantur, magicis artibus patrabat. Sed post exstinctum martyrio Stephanum, Philippus Samariam Evangelii prædicandi gratiâ se contulit, ibique non falsa, ut Simon, sed vera edidit miracula. Quibus cognitis, christianam religionem Simon professus est, vel, ut ait Eusebius, simulavit se profiteri. Cùm vero in baptizatos sacra Petri & Johannis manuum impositione Spiritum-sanctum visibiliter descendere conspexisset, pecuniam iisdem Apostolis obtulit; ut eamdem Spiritum-sanctum in alios transfundendi sibi facerent potestatem. Verum hac impia oblatione, ab Apostolis, quo par erat zelo rejectâ, Simon in eos debaccatus, rursum magicis artibus, erroribusque suis spargendis operam dedit eo perniciosiorem, quo ea omnia fictâ christiani nominis specie audacius venditabat.

Qui autem fuerint Simonis errores ab antiquissimis Patribus disces. Primum enim ex Theodoreti post Irenæum testimonio: *Docuit semetipsum esse, qui inter Judæos quidem, quasi Filius, appar-*

[a] *Ireneus lib. 1. adverf. Hæref. cap. 20.*
[b] *Eufeb. Hift. lib. 2. cap. 13.*
[c] *Epiphan. Hæref. 21. §. 21.*
[d] *Theodoret. Hæret. Fab. lib. 1. cap. 1.*
[e] *Eufeb. lib. 2. Hift. cap. 14.*
[f] *Lib. 7. Stromat.*

Act. 8. 9. & seq

Locis citat.

Locis citat.

ruerit; *in Samaria autem*, *quasi Pater*, *descenderit*, *& in reliquis vero gentibus*, *quasi Spiritus sanctus*, *adventarit*. Neque his repugnat in nova editione emendata Augustini narratio.

Secundo tradunt iidem Patres nec non Philastrius Simonem sibi copulasse Helenam seu Silenem: *Qua initio quidem*, verba sunt Eusebii, *apud Tyrum urbem Phœnices publice in lupanari prostiterat*. Idem Simon, teste Ireneæo, dicebat: *Hanc esse primam mentis ejus conceptionem*, *matrem omnium*, *per quam initio concepit Angelos facere*, *& Archangelos* .... *à quibus & mundum factum esse dixit*. Addit Epiphanius: *Se summam esse Dei vim*, *scortum vero suum Spiritum esse sanctum affirmare ausus est*: atque eam ipsam esse *propter quam*, ut loquitur Irenæus, *Trojanum contractum est bellum*. Hinc ridiculas anilesque fabulas commentus, adseverabat eos: *Qui in eum & in Helenam spem habeant* ..... *secundum ipsius gratiam salvari*, *& non secundum operas justas*. Quod certe sectatoribus suis sic erat persuasum; ut imaginem ejus ad figuram Jovis, Helenæ vero ad figuram Minervæ proni venerarentur, easdem suffimentis, sacrificiis ac libationibus colere non verentes.

Lib. 2. Hist. cap. 13.

Simon præterea, auctore Epiphanio: *Nomina quadam principatuum & potestatum commentus est*, *cælestesque globos varios* ..... *nostrum porro hoc sæculum ab nequitia principatibus & potestatibus cum defectu conditum*. Se vero, ut subnectit Irenæus, *cum hominibus conversatum aiebat*: *cùm non esset homo*; *& passum*, *cùm non esset passus*.

Docebat insuper: *Legem Moysis non à Deo*, utimur Epiphanii verbis, *sed à sinistra quadam*

intelligentia profectam; uti neque Prophetas à bono Deo, sed ab alia atque alia intelligentia *comparatos fuisse.... denique quisquis veteri testamento fidem adhibet, incurrere mortem adseverat.* Resurrectionem vero mortuorum, uti refertur apud Augustinum, pernegabat, sinebatque indifferenter uti feminis. His alias ipse & discipuli ejus adjungebant obscænitates turpitudinesque æterno damnandas silentio. Illas tamen Eusebius his paucis, nec inhonestis, verbis comprehendit: *Nihil tam impurum aut esse aut excogitari potest, quod flagitiosissima illorum*, Simonis discipulorum, *secta longo intervallo non superet, dum miseris atque omni scelere coopertis mulieribus illudunt.* *Lib. 2. Histor. cap. 13.*

Origeni si crederis, Simon: *Quo plures sibi pararet discipulos, sustulit de sua doctrina mortis periculum, quod Christiani docebantur contemnere, dicens indifferentem rem esse idololatriam. Immo nec ulla persecutio contra Simonianos umquam exorta est.* *Lib. 6. cont. Cels.* Tertullianus denique testatum facit Simonis sectatores quemdam Angelis cultum, superstitione & idolatria infectum exhibuisse: *Simonianæ autem magiæ disciplina*, inquit, *Angelis serviens, utique & ipsa inter idololatrias deputabatur, & à Petro Apostolo in ipso Simone damnabatur.* *Lib. de Præscript. cap. 33.* Illud tamen Tertulliano, si hæc vera, uti refertur, fuerit ejus mens & sententia, adversari videtur, quod Simon ipse jactitabat se Angelos creasse, atque è cælo delapsum: *Ut Angelos, cùm male moderarentur mundum, corriperet.* Sed nulli mirum esse debet, si homines à veritatis via per quam longissime aberrantes, secum ipsi aliquando pugnent, & inepte contra se dicant. Et re quidem vera Epiphanius Simonem arguit, quod de Angelis quædam secum

pugnantia tradiderit: *Quemadmodum vero nugarum suarum oblitus impostor, velut eorum quæ antea tradiderat, ignarus, se ipsum refellit. Nam cùm dixisset Angelos à se per intelligentiam suam procreatos esse, subjecit postea, ut eosdem illos latere descendendo posset, figuram in unoquoque cælo mutasse. Igitur latebat ideo, quod eos metueret. Atqui quid eos quos ipse condiderat, Angelos impostor ille metuebat?*

Simon errores suos publicavit primum Samariæ ac in Judæa, deinde aliis in locis, oppidis, & civitatibus, ac tandem Romæ; qua in urbe animos hominum ita sibi devinxit; ut ipsi tamquam supremo Deo summi adorationis honores fuerint decreti, & Claudio imperante, statua eidem erecta *in insula Tiberina inter duos pontes, cum hac inscriptione, Simoni Deo Sancto.* Narrant tamen recentiores quidam Scriptores Pontificatu Gregorii decimi tertii inventam hujusce statuæ basim lapideam, cui hæc inscriptio incisa erat: *Semoni sanco Deo Fidio sacrum,* id est, ut ipsi aiunt, Herculi, non Simoni. Inde autem concludunt Justinum primigenium erroris illius fontem ob Latinæ linguæ imperitiam à Simonianis deceptum, tradidisse hanc fuisse Simonis magi statuam. Sed Scriptoribus illis omnino probandum erat basim illam, quæ his temporibus ultimis inventa est, eamdem ipsam fuisse, ipsique suppositam statuam illam, de qua Justinus aliique Patres antiquissimi mentionem olim fecerunt.

Justin. & Eufeb. lib. 2. Hist. cap. 13.

Ut ut sit, primus ille hæresiarcharum parens Simon magus, à primo Apostolorum principe, Simone Petro, perculsus, victus, prostratusque est: *In Judæa*, inquit Eusebius, *à Petro Apostolo con-*

Eufeb. lib. 2. Histor. cap. 14.

victus est, omniaque ejus maleficia patefacta, longissime trans mare fugam arripuit. Hunc autem Romam fugientem Apostolus insequutus, ibidem illum omnemque ejus potentiam delevit & extinxit: *Cùm Dei doctrina*, prosequitur Eusebius, *Romanos adventu suo illustrasset, Simonis quidem vis & potentia cum ipso simul auctore brevi extincta atque deleta est.* Atque ut Augustini verbis utamur: *In qua urbe Apostolus Petrus eum vera virtute extinxit.* Quamvis autem ille sic fuisset ab Apostolo obtritus atque oppressus; plures tamen reliquit errorum scelerumque suorum successores. Nam ex hac amarissima radice, si Theodoretum audias, *orti sunt Cleodani, Dositheani, Gortheni, Musbothei, Adrianistæ, Euticheta, Cainistæ. Verum hi omnes cùm impiæ hæresis pravas quasdam mutationes excogitassent, non diu durarunt, sed perpetuæ oblivioni traditæ sunt.* At si Hegesippo fidem habere velis, quatuor priores originem duxerunt, *E septem sectis in Judaico populo proseminatis.* Ex quo Valesius hanc elicuit conclusionem: *Rectius dixisset Theodoretus eas omnes ex Judaicis sectis fuisse propagatas, maxime vero cùm quadam illarum hæreseωn Simoniana vetustiores esse videantur, verbi gratia, Gorthena & Dositheana.* Sed vereor ut hæc Valesiana conclusio, qua ex duabus sectis Simoniana vetustioribus, aliasquoque ipsa antiquiores esse infert, omnibus omnino probetur. Porro autem Epiphanius ex Simone Gnosticos ortos esse affirmat: *Atque hinc eorum quos Gnosticos appellamus, origo profluxit.*

Testatur Origines à suo jam tempore extirpatam Simonianorum hæresim *nunc nusquam gentium exstant Simoniani.* De Dositheanis autem

Lib. de Hæres. cap. 1.

Lib. 1. Hæret. Fab. cap. 1.

Apud Euseb. lib. 4. Histor. cap. 2.

Hæres. 21. §. 4.

Lib. 6. cont. Cels.

à nobis paulo ante memoratis hæc subjungit: *Ceterum Dositheani nec umquam floruerunt, & nunc omnino exstincti sunt, ut nomine tantum manente, inter triginta censeantur.* Sed falsa quadam narratione deceptus est Origenes, aut ex iis, quas ipse peragraverat, regionibus, idem & in omnibus mundi partibus accidisse arbitrabatur. Scribit enim Eusebius quosdam adhuc, dum viveret, exstitisse Simonianæ hæreseos sectatores: *Simon,* inquit ille, *fidem in Christum simulavit, ut baptismum susciperet. Quod quidem etiamnum fieri ab his qui teterrimam ejus sectam profitentur, non sine admiratione cernimus: qui more parentis sui in Ecclesiam, tamquam pestis aut lepra quadam irrepentes, gravissimum damnum inferunt iis, quibus pessimum illud & immedicabile venenum, quod mentibus occultant, instillare potuerint. Ac plerique jam eorum ab Ecclesia ejecti sunt, cùm fraus ipsorum esset detecta.* Et infra: *Unde ad nostram usque ætatem quicumque ejus sectam profitentur, cùm se Christianam religionem plenam modestia & sanctitatis amplecti simulaverint; tamen & ad superstitiosum dæmonum cultum, quem abjicere visi fuerant, deinceps nihilominus relabuntur.* Exstabant ergo Eusebii tempore quidam hæresis Simonianæ fautores. At cùm plerosque, retectis eorum fraudibus, ex Ecclesia ejectos esse idem Eusebius testificetur, id certe indicio est nec dubio nec obscuro, eos tum paucos admodum fuisse, & quidem sub falso Christianorum nomine sese occultantes. Unde concludas necesse est, hæresim illam non diu postea perseverasse, & cito fuisse exstinctam.

Lib. 2. Hist. cap. 1.

Ibid. cap. 13.

Caput IV.

De Hæresi Menandri.

MENANDER *Samaritanus genere è vico Caparaltea* καπαρεταίας *seu* χάβεραι *oriundus*, Simonis discipulus: *majorem se antecessore ac preceptore suo jactabat*. Quapropter nonnullis quibusdam erroribus impiæ magistri sui doctrinæ additis vel immutatis, novam condidit sectam, & heresiarchæ titulum ac nomen promeruit. Is itaque cùm Simon dixisset *summam se esse Dei virtutem*, docuit: *Primam quidem virtutem incognitam omnibus, se autem eum esse, qui missus sit ab invisibilibus, salvatorem pro salute omnium.* His adjecit, *Resurrectionem per id quod est in eum baptisma, accipere ejus discipulos, & ultra non posse mori, sed perseverare non senescentes & immortales.* Cætera, eosdem ac præceptor suus errores & magicas artes consectabatur. *Theodoret. lib. 1. Hæres. Fabul. cap. 1.* *Epiphan. Hæres. 22.* *Irenæ adv. Hæres. cap. 21.*

Nonnullis autem explicatu difficile videtur, quo sensu Irenæus primum Menandri errorem esse dixerit, quòd se preceptore suo Simone majorem jactaret, cùm Simon summa Dei vis ab aliis voluerit audire, nequaquam vero Menander. Attamen si Irenæi verba adtente perpendantur, haud ægre solvetur difficultatis illius nodus. Non alia quippe viri sancti mens esse videtur; nisi Menandrum se magistro suo, non virtute quidem & potentia, sed scientia & missione prædicasse majorem.

Quos Menandriana hæresis adversarios habuerit, accipies à Theodoreto, qui eam à Justino *Lib. 1. Hæret. Fabul. cap. 2.*

Martyre, Irenæo, & Origene scriptis expugnatam esse testatur. Neque ullus certe ibit umquam inficias nonnihil adversus illam à Justino & Irenæo memoriæ fuisse proditum. Verumtamen quemadmodum scribit Theodoretus, is proculdubio quædam alia eorum scripta, quibus hæresim illam planius fusiusque confutabant, indicasse videtur. Porro autem quæ Menander de baptismo suo, quo homines immortales fieri garriebat, ea Tertullianus egregie refellit, & ridicula esse demonstrat. Neque tamen illud censemus adjiciendum, quod aiunt nonnulli Tertullianum rursus de eadem hæresi scripsisse aliquid in libro de Præscriptionibus. Nihil enim ibi de ea reperias, nisi in libri illius capite 45. quod ab impostoribus adsutum esse Critici peritiores observant.

Lib. de Anima cap. 50.

Non diu stetit illa Menandri hæresis. Justinus siquidem quamvis plures initio à Menandro deceptos esse agnoscat; paucos tamen suo tempore superstites exstitisse non obscure declarat: *Menandrum Antiochiæ multos arte magica decepisse scimus..... suntque adeo nunc quoque ab eo reliqui nonnulli; qui hoc sic profitentur.* Inde ergo Menandrianam hæresim ante Simonianam excidisse non absurde colliges; nisi eam in Saturnili & Basilidis sectas influxisse dixeris.

Apolog. 2.

Caput V.

De Hæresi Cerinthi.

Cerinthus ab ipso Apostolorum tempore novæ hæreseos parens, *in Ægypto*, inquit Theodoretus, *plurimo tempore versatus, & in philo-*

Lib. 2. Hæret. Fabul. cap. 3.

sophicis scientiis eruditus, venit postea in Asiam, & discipulos suos de nomine suo appellavit. Cui concinit quidem Epiphanius, sed addit eos dictos fuisse Merinthianos. *Utrum vero*, inquit ille, *Cerinthus ipse Merinthus alio nomine sit dictus, nescire me fateor; an præter hunc alter eo nomine appellatus exstiterit, adjutor illius & socius, id quidem soli Deo compertum est.* Hæres. 28.

Primùm autem, teste Irenæo, Cerinthus: *Non à primo Deo factum esse mundum docuit, sed à virtute quadam separata, & distante ab ea principalitate, quæ est super universa & ignorante eo qui est super omnia Deo.* Christum autem duas in partes, seu personas à se invicem distinctas dividebat, tradebatque *Jesum secundùm naturam ortum ex Joseph & Maria, temperantia autem, & justitia, & aliis virtutibus excelluisse.* Vel ut ait Irenæus: *Plus potuisse ab omnibus, & post baptismum descendisse in eum Christum ab ea principalitate, quæ est super omnia, figura columbæ, & tunc annuntiasse incognitum Patrem, & virtutes perfecisse; in fine autem revolasse iterum Christum de Jesu, & Jesum passum esse & resurrexisse, Christum autem impassibilem perseverasse, existentem spiritalem.* Contra tamen Epiphanius ac post eum Augustinus: *Dicere*, inquit, *nihil est veritus passum quidem & crucifixum esse Christum, nondum tamen à mortuis excitatum, ac tum demum cùm mortui resurgent omnes, excitandum.* Unde merito quidem jure Cerinthianos secum invicem aperte pugnasse concludit.

Lib. 1. adv. Hæres. cap. 25.

Theodoret. loc. cit.

Loc. cit.

De Hæres. §. 8.

Loc. cit. §. 6.

Nec minus hæresis illa sibi ipsi in eo adversabatur, quòd: *Carne circumcidi oportere*, verba sunt Augustini, *atque alia hujusmodi Legis*, nimirum Mosaicæ, *præcepta servari* juberet. *Nam eum* Lo. cit.

Loc. cit. §. *à quo lex tradita sit, bonum negat esse*, ait Epiphanius, *cujus tamen legi, tamquam bonæ, obtemperare videtur.* Hinc etiam Cerinthiani, ut idem Ibidem §. 5. Epiphanius subdit: *Paulum penitus explodunt, propterea quòd circumcisionem abdicavit.* Philastrius vero arguit Cerinthum, quòd & alios plu- Lib. de Hæres. res novi fœderis libros repudiaverit. *Apostolum Paulum non accipit, Judam proditorem honorat, Evangelium secundùm Mathæum solum accipit, tria Evangelia spernit, beatos Martyres blasphemat.* Neque tamen ab eo integrum Mathæi Evangelium acceptum fuisse Auctor est Epiphanius: *Mathæi* Loc. cit. §. 5. *Evangelio non integro, sed ex parte dumtaxat utuntur, nimirum propter genealogiam, quæ ejus est carnis propria.* Nec mirum; quando quidem eâ Christi genealogiâ omnes eorum errores funditus evertebantur.

Caius apud Eusebium Cerintho errorem Chiliastarum tribuit. *Per revelationes à se, tamquam à magno Apostolo conscriptas, portenta quædam, quasi ab Angelis sibi ostensa commentus, nobis introducit, affirmans post resurrectionem regnum Christi in terris futurum, ac rursus homines Hierosolymis degentes, cupiditatibus & voluptati corporis obnoxios fore, additque mille annorum spatium in nuptialibus festis transactum iri. Unde etiam Chiliastæ,* inquit Augustinus, *sunt appellati.* Id confirmat Eusebius hac Dionysii Alexandrini auctoritate: *Aiunt eum*, Cerinthum, *librum composuisse, indito Johannis nomine, dum auctoritatem figmentis suis ex Johannis nomine mutuari vellet.*

Lib. 3. Hist. cap. 28. vid. Theodor. loc. cit. & eumdem Euseb. lib. 7. Hist. cap. 25.

Visum est nonullis eos qui viventes baptismo non fuerunt abluti, post mortem ab iis hæreticis Sacramento illo fuisse initiatos. Verum cùm ii

solo

solo Epiphanii, quem de aliis potius hæreticis ibidem loqui plures existimant, testimonio innitantur, id isti vel negant omnino, vel penitus incertum esse contendunt.

Quanto horrori Cerinthus Johanni Evangelistæ fuerit, discimus ex Irenæo, qui ab aliis se accepisse testatur, Johannem, *cùm lavandi causa balneum Ephesi esset ingressus, viso intus Cerintho, mox illotum ex balneo profugisse, atque in hæc prorupisse verba: Fugiamus hinc, ne forte balneum corruat, in quo est Cerinthus veritatis inimicus.* Epiphanius igitur, qui hæc Ebioni tribuit, memoria procul dubio lapsus est. Porro non hîc stetit divinus Johannis contra Cerinthum zelus. Ille enim, ut tradit Hieronymus: *Scripsit Evangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis, adversus Cerinthum, aliosque hæreticos.* Epiphanius autem arbitratur Jacobum aliosque Apostolos adversus eumdem hæresiarcham dixisse litteras Antiochiam his verbis: *Quoniam cognovimus quosdam à nobis ad vos esse profectos, &c.* Nullus quoque dubitat Petrum & Paulum, eodem zelo accensos, contra ipsum inito certamine, hæresim ejus confutasse & profligasse. His Theodoretus adjungit Caïum, Dionysium Alexandrinum, Justinum Martyrem, Irænæum, atque Origenem. Porro autem cùm non alios qui contra Cerinthum pugnaverint, commemoret vir ille doctissimus, hinc non leve ducitur argumentum hæresim illam, circa Origenis tempora extinctam, nullos amplius habuisse fautores. Certum tamen est præcipuos Cerinthi errores ab aliis postea adoptatos fuisse hæreticis, qui nova sectis suis, ut dicemus, nomina imposuerunt.

Euseb. lib. 3. Histor. cap. 28. & lib. 4. cap. 14. & ipse Irenæ lib. 3 advers. Hæres. cap. 3. & Theod. lib. 2.

De Script. Eccles. in Joan.

Hæres. 28. §. 2.

CAPUT VI.

De Hæresi Ebionis.

[a] *Origen. lib. 2. cont Celſ. & lib. 4 Periarch. Euſeb. lib 3. Hiſt. ca. 17. Epiphan. Hæreſ. 30. Theodoret. Hær. Fabul. cap. 2.*
[b] *Mercat Anathem. Neſtor. 12.*

EBION cujus nomen apud [a] Patres doctiſſimos idem ac mendicus ſonat, à [b] Mario Mercatore vocatur *Philoſophus* & *Stoicus Philoſophus*. Eruditus autem ſcriptor quidam nomen mendici ipſi inditum putat, quod ſpretis divitiis, voluntariam paupertatem profiteretur. Verum Epiphanio Ebionitæ *ſe mendicos prædicant, quod Apoſtolorum tempore mos eſſet bona ſua diſtrahere, & ad illorum pedes abjicere.* (*Loc. cit.*)

Quo autem loco & tempore orta ſit Ebionis hæreſis idem Epiphanius declarat his verbis (*Hæreſ. 30. §. 2.*): *Hujus factionis exordium poſt Hieroſolymitanæ urbis excidium cæpit. Quo tempore Chriſtiani omnes cùm in Peræa degerent, atque in urbe Pella potiſſimum, quæ in Decapolitana provincia eſt . . . prope Batanæam ac Baſanitidem; cùm illic inquam domicilium collocaſſent, hinc Ebioni data eſt propagandi erroris occaſio. Qui in pago quodam Cocabe, in regione Carnaimorum, Arnemi & Aſtarotharum, & Baſanitidis tractu habitare cæpit, quemadmodum vetus ad nos uſque fama pertulit.* Poſtea vero adjicit (*Ibid. §. 18.*): *in Aſia ac Roma errorem ſuum diſſeminavit.* Cùm itaque urbs Hieroſolymitana juxta peritiorum chronologiam anno Chriſti 70. capta fuerit ac diruta, per id ferme tempus Ebion in locis, ab Epiphanio commemoratis, errores ſuos diſſeminare cæpit. Nec longe abeſt ab hac ſententia Hieronymus, qui Johannem, conſurgente Ebionis hæreſi, Evangelium ſuum ſcripſiſſe affirmat: *Scripſit Evange-*

lium adversus Cerinthum . . . & maxime nunc Ebionitarum dogma consurgens. De Scriptor. Eccles. in Johann.

Errores vero Ebionis iidem propemodum erant, ac Cerinthi; ita ut ille à quibusdam, quod tamen indubitatum omnino non est, ejusdem Cerinthi discipulus fuisse adseratur. Docebat autem Christum purum esse hominem, ex Maria & Joseph humano more procreatum; ipsumque *Filium Dei progressione quadam virtutis*, verba sunt Epiphanii, *& conjunctione cum Deo factum:* proindeque adoptivum dumtaxat esse Dei filium, ut eidem Ebioni exprobrat Mercator. Sectatores tamen Ebionis non uno eodemque modo hunc magistri sui errorem sequuti sunt: Enim vero *alii ab his eodem nomine nuncupati*, inquit Eusebius, *absurdam eorum sententiam rejicientes, Christum quidem ex Virgine & Spiritu-sancto genitum esse non negant: sed iidem nihilominus cùm Christum, ut pote Deum Verbum ac sapientiam Patris, ante omnia substitisse minime fateantur, in eamdem cum prioribus sententiam delapsi sunt.* Unde etiam Epiphanius: *Alii aliter de Christo pronuntiant . . . . Nonnulli enim ex eis Adamum fuisse Christum prædicant. . . . Alii è cælo Christum esse confitentur, sed ante omnia creatum, ac spiritum quemdam esse, Angelisque præstare, atque omnium verum dominatum tenere. Qui cùm perpetuam illic habitationem sortitus sit, quoties libuerit, in hac infima delabitur, quemadmodum in Adamo descendit, & Patriarchis corpore circumfusus apparuit, velut cùm ad Abrahamum, Isaacum & Jacobum adiit. Idem denique postremis temporibus venit, Adami corpore contectus, & homo visus est, & in crucem sublatus surrexit, & adscendit in cælum. Rursus ubi libuerit, ita se rem*

Tertull. lib. de Carne Christi cap. 18. Origen. Homil. 17. in Luc. Hieronym. de Scrip. Eccles.

Epiphan. Hæres. 30. §. 18. & Euseb. lib. 3. Histor. cap. 27.

Loc. cit.

Hæres. 30. §. 3.

habère negant, in eumque dumtaxat se se sanctum infudisse Spiritum, qui est Christus, eumque qui Jesus vocatus est, induisse. Et infra: *Duos à Deo constitutos esse adserunt, Christum & Diabolum. quorum illi futuri, huic præsentis sæculi potestas est commissa: idque adeo omnipotentis illius mandato ad cujusque postulationem esse factum*, &c. Hanc porro opinionum divisionem & differentiam Elxæo pseudoprophetæ tribuendam esse suspicatur.

Ibidem §. 16.

Ibid. §. 2.

Docebant præterea Ebionitæ omnes Lege Mosaïca teneri, servandamque sabbati celebrationem, quamvis Dominicam quoque diem in Resurrectionis Christi memoriam ipsimet observaverint. Quapropter ii juxta Irenæum, *Paulum recusant, apostatam eum Legis dicentes . . . . solo autem eo quod est secundùm Matthaeum Evangelio utuntur.* His quæ de Evangelio Matthæi dicuntur, concinit Theodoretus: addit tamen Epiphanius: *Quamquam ne integrum quidem habent, sed adulteratum & mutilum; atque iis omnibus quæ ad genealogiam Christi spectant, inde abrasis, idipsum Hebraicum vocant.* Quid ergo inquies, Mercatori faciemus, qui de Ebione hæc scribit: *Christum in Dei filium adoptatum ausus est prædicare, adserens se Matthæi, Marci, & Lucæ Evangelistarum auctoritatem sequutum.* Aiebant nonnulli Mercatorem de Ebione loqui, alios vero Patres de ejus discipulis. Sed aliud, quod vero videtur similius, subjungunt, tres illos Evangelistas ab Ebione, ut ait Mercator, citatos; non ideo quidem quod illorum Evangelia admittenda putaret: sed ut illorum auctoritatem contra catholicos, qui eam divinam esse credebant, argumento ut loquuntur, ad hominem urgeret. Cæterum si quid aliud senserit Mercator,

Loc. cit.

Loc. cit. §. 15.

certe opinio illius aliorum Patrum sententiæ præferenda non est.

Prædicabant insuper Ebionitæ *Christum veritatis esse Prophetam .... Prophetas vero, non veritatis, sed intelligentiæ esse prophetas, proindeque Jesum solum esse prophetam.* Et paulo superius: *Abrahamum, & Isaacum, ac Jacobum & Moysem, atque Aaronem admittunt, una cum Jesu, qui Moysis dumtaxat successor, neque quidquam amplius fuerit. Secundum hos nullum alium ex Prophetis asciscunt, sed cum exsecratione proscribunt ac derident, puta Davidem, & Salomonem, atque Isaiam, Hieremiam, Danielem, Ezechielem, quibuscum Eliam atque Elizæum repudiant.* Si quis autem interrogasset: *Unde igitur tenes, quæ ad Moysem, Abrahamumque pertinent;* respondebant illico id *sibi à Christo patefactum.* *Epiphan. Loc. cit. §. 18.*

Alios eorum errores enumerando dixerat idem Epiphanius: *Est hoc illis insuper in more positum, ut adolescentulos citra maturam ætatem ad nuptias compellant .... neque vero unis dumtaxat nuptiis affinitates inter se conjungunt: sed si cui divortium facere libuerit, ac novum inire matrimonium, ad tertias & septimas usque nuptias permittunt.* Superius vero: *Hodie,* inquiebat, *virginitas apud illos & castitas omnino prohibetur .... Nam olim de virginitate gloriari solebant, nimirum ob Jacobum fratrem Domini, adeoque libros suos ad seniores & virgines inscribunt.* *Ibidem.* *Ibidem §. 2.*

Tradit etiam Ebionem discipulosque ejus *ab alimentis omnibus reliquoque, quod carne constet, abstinuisse; quod illa è corporum coitu concubituque gignantur.* Nec pigebit ex eodem Epiphanio observasse Ebionitas quotidie lavasse & quotiescumque *Ibidem §. 15.* *Ibid. §. 2. 15. & 21.*

aliquid impuri se tetigisse arbitrabantur. Quam consuetudinem ut Petri auctoritate firmarent & exemplo; *Petrus*, inquiebant, *lavabat quotidie, priusquam cibum sumeret.* Pergit idem Epiphanius: *Baptismo quoque præter quotidianum illum initiantur, & ex Christianorum Ecclesiæque imitatione mysteria quædam quotannis celebrant, in quibus panes azymos, & ad alteram mysterii partem meram aquam adhibent.*

Ibid. §. 16.

Idem denique Epiphanius memorat eosdem hæreticos, ut magnum erroribus suis auctoritatis pondus tribuerent, sacra Apostolorum nomina quibusdam libris à se confectis præfixisse: *Apostolorum alios Actus circumferunt, in quibus plurima sunt impietatis illorum vestigia, ejusque potissimum auctoritate libri ad oppugnandam veritatem armantur.* Et infra: *Apostolorum nomina quo facilius sectatores suos pelliciant, per simulationem admittunt, quibus etiam confictos quosdam à se libros inscribunt, velut à Jacobo, Matthæo ac reliquis discipulis editos, inter quæ Johannis etiam Apostoli nomen admiscent.* Testatum denique facit librum qui Circuitus Petri, & à Clemente conscriptus esse ferebatur, iisdem hæreticis usui fuisse.

Ibidem.

Ibid. §. 23.

Qua cura Epiphanius errores Ebionitarum recenset, eadem plane diligentia & eos à quibus rejecti & destructi sunt, luculenter ostendit. *Porro*, inquit ille, *non Johannes modo, sed & omnes prorsus Apostoli Ebionis fidem repudiant, & à suis dogmatibus, atque apostolico illo charactere alienam judicant; id quod unicuique perspicuum est.* Vidimus suprà ex Hieronymo Johannem imprimis adversus consurgens Ebionis dogma suum edidisse Evangelium. Nullus porro dubitandi locus est, quin divini illi

pugiles plenam perfectamque adversus hos fidei & catholicæ veritatis hostes victoriam reportaverint. Et certe jam monuimus illos à suis primordiis varias in partes scissos fuisse & inter se divisos. Quid autem aliud ex hac dissentione sequi potuit, quam integra hujus sectæ ruina, excidiumque certum & celerrimum. Non ibimus tamen inficias plures Ebionis errores ab aliis postmodum hæreticis renovatos, sed ii profligatum ab Apostolis Ebionitarum nomen, sibi deinceps adrogare non ausi sunt.

CAPUT VII.

De Hæresi Nazaræorum.

QUAMVIS Nazaræi à quibusdam Christiani hæretici, à nonnullis nec Christiani nec Judæi, ab aliis denique iisdem ac Ebionæi, erroribus implicati dicantur; illi tamen, si Epiphanio fides, meri erant Judæi: *Neque Jessæos se ipsos vocant, neque Judæorum vocabulum retinent, neque se Christianos, sed Nazaræos de illa loci appellatione nuncupant, cùm interim meri sint Judæi, neque aliud præterea.* Et sectione nona; *Judæi potius quam cujusvis alterius generis sunt, tametsi Judæis sint inimicissimi; neque enim Judæorum posteri solum capitali illos odio prosequuntur: sed & mane ac meridie & ad vesperam ter de die, cùm in Synagogis suis ad orandum conveniunt, diris illos devovent, ac solemni imprecatione proscribunt.* Idem tamen paulò aliter, & planius illud definire videtur his verbis: *Hoc igitur uno tam à Judæis, quam à Christianis differunt: ab illis quidem quod in Christum credant; à Christianis vero quod Judaicis ritibus implicantur.* *Hæres. 29. § 7.*

Hæres. 30. §. 1. Hos autem iisdem propemodum ac Ebionæi erroribus imbutos docet idem Epiphanius: *Ambo collatis inter se capitibus, suam alter cum altero improbitatem ac nequitiam communicavit. Atque etsi quadamtenus à se mutuo dissideant; in excogitando tamen pravissimo dogmate se se invicem expresserunt*. Utrum vero ipsis & cum Cerinthianis eodem

Hæres. 29. §. 7. modo convenerit, anceps est; *De Christo verò*, ait ille, *certò affirmare nequeo, utrum Cerinthi, vel Merinthi impietate illa decepti, simplicem illum hominem adseverent, ac uti se se res habet, per Spiritum-sanctum de Maria Virgine genitum esse fateantur*. Theodoretus vero brevius planiusque edisserit, qui fuerint Nazaræi, & quæ eorum hæresis, quo tempore exorta, & à quibus tandem expugnata: *Nazaræi Judæi sunt, Christum honorantes, tamquam hominem justum, & Evangelio utuntur, quod secundùm Petrum dicitur. Has hæreses, imperante Domitiano, conflatas auctor est Eusebius. Contra quas scripsit Justinus Philosophus & Martyr & Irenæus successor Apostolorum & Origenes.*

Hîc autem obiter observa illud difficultate omni non carere, quod ait eos usos Evangelio κατὰ Πέτρον; quandoquidem affirmat Epiphanius illud se-

Hæres. 29. §. 9. cundùm Matthæum & Hebraicè scriptum fuisse; *Est vero*, infit, *penes illos Evangelium secundùm Matthæum Hebraicè scriptum, & quidem absolutissimum. Hoc enim certissime, prout hebraicis litteris initio scriptum est, in hodiernum tempus usque conservant*. Hæc sane adsertio tam certa & perspicua scrupulum injicit & quamdam dubitationem, num aliquod in textum Theodoreti mendum irrepserit, vel ipse falsus sit, aut memoria

lapsus; ac pro κατὰ πέτρον apud ipsum legi debeat, κατὰ ματθαῖον. Et certe huic conjecturæ favet Hieronymus, ubi dixit: *In Evangelio quo utuntur Nazaræi, & Ebionitæ, quod nuper in Græcum de Hebræo transtulimus, & quod vocatur à plerisque Mathæi authenticum.* (*Lib. 2. Comment. Matth. ad cap. 12.*) Idem alibi repetit, ac tandem docet Evangelium non Mathæi sed Marci Petro fuisse adtributum: (*De Script. Eccles. in Matth.*) *Sed & Evangelium secundùm Marcum, qui auditor ejus & interpres fuit, hujus*, Petri, *esse dicitur.* (*Ibid. in Petr.*)

Caput VIII.

De Hæresi Nicolaïtarum.

Nicolaïtæ novam quoque primo sæculo sectam commenti sunt. Errores eorum paucis verbis exponit Irenæus: *Indiscrete vivunt, nullam differentiam esse dicentes in mœchando, & idolothytum edere.* (*Lib. 1. adv. Hæres. cap. 27.*) Augustinus autem paulo dilucidius: *Placet usus indifferens fœminarum. Hi nec ab iis, quæ idolis immolantur, cibos suos separant, & alios ritus gentilium superstitionum non aversantur. Narrant alia quædam fabulosa de mundo, nescio quæ barbara principum nomina miscentes disputationibus suis.* (*Lib. de Hæres. §. 5.*) Barbara illa nomina refert quidem Epiphanius, sed eos de iisdem inter se dissentire monet. *Aliqui*, inquit, *Barbelonem nescio quam celebrant, cui in octavo cælo domicilium adtribuunt. Hanc à Patre productam affirmant, matremque alii Jaldabaoth, alii Sabaoth faciunt.... Alii Prunicam quamdam, Alii Caulaucauch cuidam eamdem venerationem deferunt, quo nomine unum ex principibus appellant..... Alii dicunt ini-* (*Hæres. 25. §. 2. 3. & 5.*)

tio tenebras, ac voraginem, & aquam fuisse: quæ à se invicem spiritus secreverit. Verum tenebræ contra spiritum iracundia ac furore percitæ, sursum excurrentes, cum eo congressa sunt. Inde matrix nescio qua, genita prodiit, quæ ejusdem spiritus consuetudinem appetiit, ex eaque quatuor æones producti sunt, ab iis quatuor decem alii procreati, item dextra sinistraque, nec non lumen & tenebræ. Secundum hos omnes turpem quemdam æonem editum narrant, eumque cum ea, quam paulo ante diximus, matrice coiisse: & ab utroque Deos atque Angelos & dæmones, ac septem spiritus ortum habuisse.* Subjungit tandem: *certos libros Ialdabaoth nomine inscriptos ac commentitios habent.*

[a] Loc. cit. [b] Lib. 5. Histor. cap. 29. Hos hæreticos, si [a] Irenæum & [b] Eusebium audias, Johannes his verbis notat in Apocalypsi:
Apocal. 2. 6. *Sed hoc habes boni, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* A quibus autem sint oppugnati,
Lib. 3. Hæres. Fabul. cap. 1. accipies à Theodoreto: *Contra hos*, inquit, *scripsit Clemens, & Irenæus & Origenes, & Hippolitus Episcopus & Martyr.* Quam feliciter contra eos pugnaverint, colligas ex victoria ab eis per quam citissime reportata. Etenim hæc hæresis, teste Eu-
Lib. 3. Histor. cap. 29. sebio; *Brevissimo temporis spatio permansit.* Ex hoc tamen fonte corruptissimo fluxerunt Gnostici aliique complures, de quibus Epiphanius: *Ab hoc*
Hæres. 25. §. 2. *fonte*, ait, *derivati, ac pessime in mundum introducti sunt hæretici illi, qui eam sibi, quam falso nominant, cognitionem vindicant, cujusmodi sunt Gnostici, Phibionitæ, & quibus ab Epiphane nomen est inditum. Tum etiam Militares, Levitici, aliique complures. Quorum quilibet hæresim propriam, ad animi sui affectiones accommodans, sexcentas nequitiæ vias excogitavit.* Atque inde procul dubio

orta est, ea quam supra memoravimus, hos inter hæreticos de barbaris principum nominibus dissentio.

Quis autem hujusce hæreseos auctor fuerit, non ita promtum est definire. Plurimi existimant non alium fuisse quam Nicolaum, unum ex septem illis Ecclesiæ Diaconibus, qui ab Apostolis electi sunt & inaugurati. Atque hæc fuit Irenæi, Epiphanii & Philastrii opinio: queis adstipulantur Hilarius, [a] Hieronymus, [b] Isidorus, aliique non pauci. In eorum tamen grege Tertullianus non annumerandus est. Nihil enim de Nicolao illo scripsit, nisi in capite 45. libri de Præscriptionibus: quod quidem caput eidem libro ab impostore quodam adsutum fuisse observavimus.

Locis citatis.
Cap. 25. in Matt.
[a] *Epist. 2. ad Heliodor. post med. & epist. 48. ad Sabinian. cap. 2.*
[b] *Lib. 3. Origin.*

Refragantur autem huic tot tantorumque virorum sententiæ Scriptores nonnulli, aiuntque hos hæreticos, ut celeberrimo alicujus auctoris nomine fucum facerent, hunc Nicolaum sibi falsò adscivisse sectæ suæ principem. Scimus quidem in Ignatiana quadam epistola, illud aperte adseri: *Fugite impuros Nicolaitas, falsum sibi nomen sumentes*: sed cùm hæc verba interpolatoris sint, non vero Ignatii, ex iis profecto nihil certi concludi potest. Quapropter opinionis illius adsertores ex Clementis Alexandrini auctoritate validius eruunt argumentum. Is enim Nicolaïtas arguit, quod in hæresis suæ confirmationem verba Nicolai pravos in sensus detorquerent: *Tales sunt* inquiebat ille, *qui dicunt se sequi Nicolaum, adducentes ejus viri aliquid litterarum monumentis mandatum, sed ab eis detectum, nempe: Oportere carne uti. Sed ille quidem vir præclarus significabat oportere voluptates arcere & cupiditates, & hac exerci-*

Epist. ad Trallens.

Lib. 2. Stromat. post med.

tatione marcidas flaccidasque reddere carnis appetitiones & insultus. Qui autem instar hircorum sunt effusi in voluptatem . . . decretum ipsius voluptatis, non autem viri Apostolici sequuntur. At Clemens Nicolaum haud dubie virum præclarum & Apostolicum non appellasset, si tam pravæ hæreseos parens fuisset & auctor.

Quid plura? Idem Clemens omnem impuri criminis, ab iisdem hæreticis Nicolao inusti, suspicionem egregie depellit: *Cùm autem de dicto Nicolao loqueremur, illud prætermisimus. Cùm formosam, inquiunt, haberet uxorem, & post Servatoris adsumtionem ei fuisset ab Apostolis exprobata zelotypia, in medium adducta muliere, permisit cui vellet eam nubere. Aiunt enim hanc vocem illi voci consentaneam, quæ dicit, quod carne uti oporteat, ejusque factum & dictum absolute & inconsiderate sequentes, qui ejus hæresim persequuntur, imprudenter effuseque fornicantur. Ego autem audio Nicolaum nullum umquam alia, quam ea quæ ei nupserat, uxore usum esse, & ex illius liberis filias quidem consenuisse virgines, filium autem permansisse incorruptum. Quæ cùm ita se habeant, vitii erat depulsio atque expurgatio in medium Apostolorum circumactio uxoris, cujus dicebatur laborare zelotypia; & continentia à voluptatibus, quæ magno studio parantur, docebat istud: uti carne, hoc est, exercere carnem. Neque enim ut existimo, volebant convenienter Domini præcepto duobus dominis servire, voluptati & Deo.* Ita ille & verba Nicolai male interpretata, & errores illi falso imputatos esse demonstrat. Clementi adstipulatur post Eusebium Theodoretus. Ex allato quippe Clementis testimonio sic ille concludit: *Ex qui-*

Lib. 3. Stromat. longe post init.

Loc. cit.

bus liquido convincitur, falsò sibi de hujus appellatione nomen arrogare Nicolaïtas. Eusebius vero: *Hi Nicolaum quemdam unum ex illis, qui ad curam inopum gerendam, una cum Stephano ab Apostolis constituti fuerant ministri, sectæ suæ auctorem jactabant.* Quid aliud hoc verbo *jactabant*, innuit Eusebius, quam Nicolaum hujus hæreseos non esse auctorem? *Lib. 3. Histor. cap. 2.*

Porro autem quid de hac quæstione, quam tantorum Patrum auctoritas dubiam reddit, statuendum sit, ab aliis lubentius audiemus. Enim vero Irenæus & Clemens antiquiores & præcipui utriusque opinionis fautores, coævi erant, à Nicolai temporibus tam parum remoti; ut ab ejusdem Nicolai amicis aut discipulis potuerint facile discere, num ab illo vere profecta sit ea hæresis. Et Clemens quidem se id non indiligenter investigasse significat: atque in ejus opinionis firmamentum adduci illud potest, quod hæreticis in more positum sit magnum sibi quemdam hæreseos suæ advocare auctorem. Neque tamen eo repudianda est Irenæi sententia, quia ab uno ex septem primis Ecclesiæ Diaconis hæresim illam ortum suum duxisse improbabile videatur. Nam cùm Christus ab uno è suis Apostolis, ne doctrinam suam propagaret, ad necem sit venditus, potuit & unus ex septem illis Diaconis alicujus hæreseos inventor esse ac promulgator.

Caput IX.

Quæ ex hac Hæreseῶν descriptione utilitas?

Quorsum, inquies, illa tot hæreseῶν descriptio ac historia? Nonne illi humanæ men-

tis monstrosissimi partus perpetuo silentio sepeliendi erant? Quid vero ex hac odiosa molestaque commemoratione in Ecclesiam emolumenti, & in lectores utilitatis? Non minimum certe. Nam præterquam quod hæreseōn cognitione nonnumquam, uti diximus, obscuriores Patrum loci facilius intelliguntur, inde etiam intolerabilis hominum, nova semper molientium, superbia retunditur, ac tandem funesto hæreticorum casu catholici fiunt cautiores. Imprimis autem ex hac errantium errorumque historia discunt omnes quæ fuerit ab Ecclesiæ principio vera & catholica fides & doctrina. Atque ne extra primum Ecclesiæ sæculum excurrat oratio; ex his quæ à nobis hactenus disputata sunt, liquido colligitur, quid de præcipuis fidei nostræ articulis, quos respuebant hæretici, iis temporibus sit adsertum & definitum. Verum enim vero cùm Patres erroris hæreseosque eos condemnant, qui Christum purum hominem, ex Maria & Joseph, non secus ac cæteros homines, genitum, nec Patri æterno æqualem adserere ausi sunt; inde concludas oportet eosdem Patres fide certissima credidisse Christum esse filium Dei, Patri suo æterno æqualem, ex Maria Virgine, sola virtute Spiritus-sancti, editum. Hinc autem rursus colligas necesse est orthodoxam de Christi divinitate, unâque illius cum Patre substantia seu consubstantilitate doctrinam à Patribus primi Ecclesiæ sæculi & longe ante Nicænum concilium fuisse traditam, adsertam & propugnatam. Idem quilibet & de aliis quibusque erroribus, quos ab hæreticis defensos, à Patribus rejectos esse diximus, debet ferre judicium.

Alia quoque ex iisdem hæreticis inde nata est

Ecclesiæ utilitas, quod ii Patribus suos adversus hæreses libros & tractatus, quos fortassis numquam edidissent, scribendi dederint occasionem. His ergo hæreticis licet invitis & sæpius reclamantibus, debemus pretiosa illa tantorum virorum monumenta, ex quibus sacrorum fidei dogmatum traditio ad nos usque deducta est. Neque aliud hac in re magis lugendum, quam quod omnia ejusmodi scripta ad nos non solum non pervenerint, sed nec ulla plurium exstet amplius memoria, nec ullum ullibi eorum supersit vestigium.

CAPUT X.

De Scholarum Christianarum origine.

ADVERSUM hæreticos non calamo dumtaxat & scriptis, sed viva etiam voce & sermonibus decertabant Scriptores nostri, christianosque cum morum præceptis, tum fidei doctrina erudiebant. Illos autem ea docebant in locis privatis, ac quandoque publicis, quantum pacatiora persecutionum tempora id ferebant, vel eos summus martyrii ardor ad prædicandam fidem impellebat. Ac primum quidem extra controversiam est Apostolos, atque eorum discipulos in vicorum urbiumque plateas & compita, in Judæorum Synagogas & scholas gentilium se se incredibili zelo contulisse; ut Evangelium Christi, sacramque ejus doctrinam aununtiarent, eamque persuaderent omnibus. Et sane Paulus cùm Athenis venisset: *Disputabat in Synagoga cum Judais & colentibus, & in foro per* *Act.* 17. 1... *omnes dies ad eos, qui aderant. Quidam autem*

Epicurei & Stoici Philosophi asserebant cum eo, &c. Cùm autem Ephesi moraretur: *Introgressus in Synagogam cum fiducia loquebatur per tres menses,* (Act. 19. 18. & seq.) *disputans & suadens de regno Dei. Cùm autem quidam indurarentur & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cujusdam. Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini Gentiles atque Judæi.* Nullus autem dubitandi locus est, quin Paulus aliique Apostoli similes aliis in locis disputationes instituerint.

In privatas vero domos sæpius cogebantur; quò sacra mysteriorum nostrorum cognitione eos imbuerent, qui divinis eorum sermonibus ad fidem adducti, Christianam religionem, pristinis erroribus depositis, publica sinceraque professione erant amplexati, vel jam jam amplexaturos se esse, certo pollicebantur. His autem ut plenius fidei Christianæ præceptis & dogmatibus informarentur, quosdam præficiebant, quos Apostolus ipse doctores appellat, & à cæteris fere omnibus Ecclesiæ ministris aperte discernit. De iis quippe sic scribit ad Corinthios: (1. Cor. 12. 28.) *& ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam vero Prophetas, alios autem Pastores & Doctores.* (Ephes. 4. 11.) Et ad Ephesios: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores.* Porro autem illud Doctoris munus Episcopis potissimum delatum esse idem non obscure docet epistolâ ad Timotheum: (1. Tim 3. 2.) *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse ..... hospitalem, Doctorem.* (Tit. 1. 7.) Ad Titum vero: *Oportet Episcopum sine crimine esse .... amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem*

lem sermonem; ut potens sit exhortari in doctrina sacra, & eos qui contradicunt arguere.

Idem tamen Doctoris officium aliis, Episcopo inferioribus, nonnumquam demandabatur. Rursum enim Paulus ad Timotheum: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Quod si ea *Presbyteri* voce Episcopos ipsos designari pertinacius contendas, & tu ipse fatearis necesse est duplicis generis fuisse Episcopos, quorum nonnulli, Paulo teste, in verbo & doctrina laborabant. Verumtamen & alios ab Episcopis munia Doctorum obiisse demonstrant ea Actorum verba: *Erant autem in Ecclesia Antiochiæ Prophetæ, & Doctores, in quibus & Barnabas & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus.* Hos autem omnes & singulos ad dignitatem Episcopalem evectos fuisse quis audeat affirmare?

1. Timoth. 5. 17.

Act. 13. 1.

Illud fortassis ad scholarum originem magis pertinere videbitur, quod Timotheo adhuc scribit Paulus: *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Ex his quippe verbis duo quæ ad institutum nostrum maxime conducunt, non obscure colliguntur. Primo quidem Paulus Timotheum doctrinâ Christianâ erudierat, *per multos testes*, id est coram multis, qui eum docentem audierant, & traditæ Timotheo doctrinæ testes erant locupletissimi. Atqui si Paulus Timotheum aliosque qui eum audiendi causa in eumdem locum convenerant, sic doctrinâ fidei instituit, quis inficiabitur ipsum eodem docendi modo alios quoque discipulos suos iisdem imbuisse institutis? Se-

2. Timoth. 2. 2.

cundò Paulus Timotheo præcipit alios docere, id est, eadem quæ ab ipso audierat, aliis eadem methodo tradere. Quod quidem & à successoribus ejus diligenter fuisse observatum, nullus, opinor, negaverit. At porro si iis locis, in quibus docentem Paulum tot tantique discipuli audierunt, nomen scholæ denegetur, non omnino repugnabimus; modo ad illos primam Christianarum scholarum originem reducendam esse concedatur.

Primo tamen Ecclesiæ sæculo, nondum elapso, quasdam Christianorum scholas, proprie dictas, jam institutas fuisse non levi argumento, ex Eusebii historia deducto, colligi posse putamus. Ibi enim de Pantæno, Alexandrinæ scholæ præfecto, haec legimus. *Per idem tempus* Commodo nimirum imperante, *fidelium schola praerat vir doctrina causa celeberrimus, nomine Pantanus; quippe jam inde à priscis temporibus sacrarum litterarum schola, in eadem civitate, Alexandrina, fuerat instituta, qua quidem nostra atate adhuc perseverat.* Atqui Commodus ab anno 180. ad annum 193. Romani imperii fræna moderabatur. Per hoc ergo tempus Pantænus scholæ Alexandrinæ præfuit. Cùm itaque Eusebius eamdem scholam *à priscis temporibus* institutam fuisse adserat, inde profecto non improbabilem ducimus conjecturam, jam à primo Ecclesiæ sæculo jacta fuisse scholæ illius fundamenta, nec alium fortasse quam Marcum Evangelistam, primum Alexandriæ Episcopum, habuisse auctorem.

Euseb. lib. 5. Hist. cap. 10.

Neque vero prima dumtaxat hujus scholæ initia indicat Eusebius; verum etiam quid in ea doceri tractarique soleret, luculenter aperit, cùm eam sacrarum litterarum scholam appellat. His

quippe verbis aperte declarat sacras litteras, id est, sacros veteris & novi Testamenti libros ibi à Doctoribus & magistris fuisse explicatos. Nec obscurius paulo post tradit huic sacrarum scripturarum explicationi adjectam divinorum dogmatum explanationem: *Divinorum*, inquit, *dogmatum thesauros exposuit.*

Qua autem methodo id fieret, ibidem docet: *Partim viva voce*, inquit, *partim scriptis.* In hac ergo Alexandrinæ Ecclesiæ schola & sacra scriptura, & divina fidei Christianæ dogmata, partim viva voce, partim scriptis explanabantur. At cùm Eusebius illud idem *à priscis temporibus* factum esse adseveret, nullus procul dubio negaverit eamdem docendi methodum in antiquioribus ejusdem Ecclesiæ scholis, quid ni & in aliis pluribus, fuisse observatam. Porro autem ante scriptos & publicatos novi fœderis codices, Apostoli eorumque discipuli Christianis explicabant eadem fidei dogmata, eaque Prophetarum oraculis, aliisque veteris Instrumenti testimoniis, ac tandem divina Christi auctoritate, variisque miraculis, ejus nomine editis, confirmabant.

DISSERTATIO SECUNDA

DE LITURGIIS ET MISSIS Jacobi Apoſtoli, Marci Evangeliſtæ, & Petri Apoſtolorum Principis.

Caput Primum.

Quales fuerint Apoſtolorum Liturgiæ?

§. I.

Quam difficile ſit de Apoſtolorum Liturgiis judicare, & quomodo de iis diſputabitur?

PRIMUS in Bibliotheca noſtra locus, ſacris Jacobi, Marci, & Petri Liturgiis jure quidem meritiſſimo datus eſt; cùm & primorum poſt Chriſtum Eccleſiæ auctorum nomen præferant, & id quod in Chriſtianæ religionis myſteriis eſt ſacratiſſimum, totum illud ipſæ complectantur. Hinc eo accuratius à nobis ſunt examinandæ, quòd & tantis ornentur titulis, & potiſſimum quod difficilius ſit de ſacris hujuſcemodi ſcriptis certum apud doctos ferre judicium. Qui enim in Liturgiis recentioribus, putà Baſilii & Chryſoſtomi, expendendis majorem poſuerunt operam, ii tot tamque diverſos lectionum modos repererunt; ut vix ullum earum genuinum exemplar haberi poſſe videatur.

Quod ſi res ita ſe habeat in hiſce communioribus, quarumque apud Chriſtianos uſus eſt frequentior, Liturgiis; quid de iis cenſendum, quæ parem propemodum cum Chriſtiana religione ætatem ha-

bent & originem? Hæc tamen tot tantaque difficultatum repagula nos minime deterrere debent, quin pro suscepto à nobis munere, & omni studio, totisque animi viribus investigemus, num Liturgiæ nostræ ab iis vere profectæ sint, quorum nominibus ubique inscriptæ circumferuntur. Quod quidem planiori ut fiat ordine, inquirendum est sedulò, quid de Apostolorum, aliorumque primi sæculi Christianorum hominum Liturgiis statuendum sit: tum deinde ad singularum, de quibus impræsentiarum quæstio est, examen veniemus.

§. II.

Quando & quomodo Christus sacrificium Missæ instituerit, quamque circa illud potestatem Apostolis totique Ecclesiæ dederit.

Nemo est qui nesciat nomen λειτουργίας idem apud Ecclesiæ Græcæ auctores sonare quod apud Latinos Missæ vocabulum; illudque oblationem, immolationem, & corporis ac sanguinis Christi Domini sacrificium apud omnes significare. Nullus etiam ignorat eumdem Christum incruenti illius sacrificii auctorem fuisse, atque illud ab eo tunc institutum, cùm cruci jam jam affigendus, ultimam suis discipulis cœnam daret; quibus ut quod à se factum viderant, illud postmodum in sui facerent commemorationem aperte omnino præcepit. Neminem denique latet Christum cœnam illam ac sacrificium celebrasse eo plane penitusque simplici modo, quem apud tres Evangelistas Matthæum, Marcum & Lucam, necnon & in prima ad Corinthios Pauli epistola descriptum legimus. Verum etsi Christus discipulis præceperit; ut quod à se factum fuerat, idem & ipsi deinceps peragerent:

certum tamen esse debet illum Apostolis suis, totique in eorum persona Ecclesiæ, potestatem auctoritatemque dedisse ea omnia in augustissimi hujusce mysterii cerimoniis, addendi, demendi, immutandi quæcumque, illius dignitati, populorum devotioni variisque, temporibus magis congruere judicarent. Tam alte id eorum mentibus fixum erat; ut Paulus ea sibi tradita potestate in Corinthiorum Ecclesia uti se posse significet, cùm ad

1. Cor. 11. 32. eam scribit : *Cetera autem cùm venero, disponam.* Augustinus vero Ecclesiam nec arrogantiæ, nec temeritatis arguendam esse contendit, quod Eucharistiam jejunis fidelibus illa ministraverit, quam à Christo Apostolis finitâ cœnâ porrectam noverat. Persuasum enim habebat eamdem Ecclesiam ab illo accepisse integram hosce ritus immutandi potesta-

Epist. alim. 118. nunc 54. §. 8. tem ; *Numquid tamen*, inquit Doctor eximius, *propterea calumniandum est universa Ecclesia, quod à jejunis semper accipitur .... Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent .... Namque Salvator ... ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur ; ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset.* Certum est igitur Apostolis proindeque Ecclesiæ factam fuisse potestatem eos ritus in Liturgiis addendi, vel mutandi, aut etiam tollendi, de quibus nihil Christus præcepisse legebatur.

§. III.

Quorumdam sententia de iis quæ Apostoli in illo immutarint.

Quid autem Apostoli revera in iis post Christum

immutarint, non una omnium, qui de hac re scripserunt, eademque est sententia. Gregorius Magnus in epistola ad Johannem Episcopum Syracusanum, Liturgiam Apostolorum sola oratione Dominica circumscriptam esse scribit: *Orationem Dominicam mox post precem*, id est, ut loquimur, Canonem Missæ, *dicimus; quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent.* Plerique tamen cum antiqui tum recentiores ea verba quibus Christus panem ac vinum consecravit, orationi Dominicæ addenda esse existimant. Ita enim Honorius Augustodunensis: *Hanc Apostoli auxerunt, dum super panem & vinum verba, quæ Dominus dixit, & Dominicam orationem dixerunt.* Sic etiam Walafridus Strabo: *Et relatio majorum est ita primis temporibus Missas fieri solitas....præmissa oratione Dominica, & sicut ipse Dominus præcepit, commemoratione passionis ejus adhibita.* Hinc quoque Cardinalis Bona ubi proxime laudata Gregorii verba retulit, subaudiendum esse censet: *Additis proculdubio verbis consecrationis.* At si quis conjecturæ locus sit, non absurbe forsitan dixeris, Gregorium dum hæc scriberet, respexisse ad ea Hieronymi verba: *Sic docuit* Christus, *Apostolos suos ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant dicere: Pater noster qui es in cælis*, &c.

Lib. 7. Regist. Epist. 64. & apud Joan. Diac. in vit. Greg. lib. 2. c. 2.

In gemma animæ cap. 86.

Lib. 1. de Reb. Ecclef. cap. 2.

Lib. 1. rer. Liturg. cap. 2.

Lib. 1. advers. Pelag. cap. 18.

§. IV.

Aliorum de eadem re sententia.

Nonnulli tres dumtaxat agnoscunt in Apostolorum Missis orationes; *Tres*, inquit Alcuinus, *tantummodo orationes in initio fidei proferebantur, incipientes ab eo loco ubi dicitur: Hanc igitur oblatio-*

Lib. de Divin. Offic. cap. de Celebr. Missæ.

Epist. olim 59. nunc 149. ad Paulin.

nem. Augustinus vero Paulum his verbis: *Obsecro primum fieri obsecrationes,* &c. quatuor Missæ partes subnotasse colligit: *Sed eligo,* aiebat, *in his verbis hoc intelligere quod omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut* PRECATIONES *accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa, accipiat benedici:* ORATIONES *cùm benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominicâ oratione concludit . . . . ideo in hujus sanctificationis præparatione existimo Apostolum Paulum jussisse proprie fieri* προσευχάς, *id est, orationes . . . .* INTERPELLATIONES *autem fiunt, cùm populis benedicitur . . . . quibus peractis, & participato toto Sacramento* GRATIARUM ACTIO *cuncta concludit.* Observandum tamen hanc Pauli verborum expositionem à tanto Doctore non tamquam litteralem certamque adferri, sed quam aliis tantummodo præferendam esse judicaverit: *Eligo*, inquit, *in his verbis*; & paulo post: *existimo.* Cæterum ex hac Augustini explicatione duo multo certiora confici posse putamus. Primum Liturgiam in omni fere Ecclesia ipsius tempore his quatuor, quas enumerat, partibus fuisse compositam. Secundùm id à tam longo tempore in Ecclesiis usu venisse; ut recte inde inferri posse putaverit, omnia hæc à Paulo instituta fuisse & ordinata.

§. V.

Procli Constantinopolitani sententia.

Lib. de Tradit. div. Liturg.

Proclus Archiepiscopus Constantinopolitanus multo longiorem, quam ipsemet Augustinus, tradit fuisse Apostolorum Liturgiam: *Salvatore nostro*,

ita ille loquitur, *in cælis adsumto, Apostoli antequam, per omnem terrarum orbem dispergerentur, conspirantibus animis convenientes, ad integram orandum diem convertebantur. Et dum multam consolationem in mystico illo Dominici corporis sacrificio positam reperissent, fusissime longoque verborum ambitu Missam decantabant. . . Quocirca & contrito spiritu multas preces decantabant, impense divinum implorantes numen.* Hæc tum scribebat ille, cùm jam in Ecclesiis Orientis recepta fuisset Liturgia à Chrysostomo Antecessore suo paulò ante edita. Unde non aliud forsan opinionis ejus erat fundamentum, quam quod putarent omnes Liturgiam Chrysostomi synopsin tantum esse antiquiorum : atque eas proinde ab Apostolis ad sua usque tempora pervenisse in animum suum facile induxit.

§. VI.

Recentiorum quorumdam sententia.

Recentiores quidam omni asseveratione affirmant Liturgiam Apostolicam nec plura comprehendisse nec pauciora quam quæ Paulus in priore sua ad Corinthios epistola tradidit. Adserunt alii eamdem Ecclesiæ initio ob Tyrannorum persecutiones fuisse brevissimam : sed cùm cresceret fidelium numerus, ab Apostolis ipsis plures tum lectiones, tum preces, aliasque cerimonias, quibus adorandum illud sacrificium majori Christianorum cultu ac veneratione conficeretur, ei fuisse additas.

Quamvis autem tàm variæ tamque dissentientes doctorum hominum opiniones tantopere inter se pugnare videantur ; non desunt tamen, qui eas omnes facile conciliari posse arbitrantur. Duo itaque aiunt temporibus Apostolorum fuisse divinæ

Liturgiæ genera; aliud brevissimum, quo dum persecutio acerbius in eos sæviret, clam uterentur: aliud vero longe prolixius, quod tum peragebant, cùm per tempus variaque pacis atque otii intervalla id ipsis liceret. Verum hæc Apostolicæ Liturgiæ distinctio plus subtilitatis habet quam soliditatis. Nullibi enim exstat, nequidem apud antiquiores Ecclesiæ Scriptores, hujuscemodi Liturgiæ distinctio: immo Apostolicorum temporum viciniores unicam tantum agnoscunt passim & ubique eorum Liturgiam.

§. VII.

Liturgia Apostolorum ex Justini Apologia cognosci debet.

Luculentum hujusce rei argumentum habemus in egregia, quamvis brevius contracta, Liturgiæ descriptione à Justino Martyre concinnata, qua Christianos suo, id est, crudelissimo persecutionum tempore usos fuisse commemorat. Exstat pretiosum illud tantæ antiquitatis monimentum in Apologia, quam ipse ethnicis Imperatoribus circa medium sæculum secundum obtulit. Cùm autem inde ad ævum Apostolorum tutò ac facile possimus ascendere, certiusque cognoscere quæ fuerit eorum Liturgia, quid ibi de augustissimo illo sacrificio scriptum habetur, totum illud, quantum fas erit, ipsius Martyris verbis accurate repræsentabimus. 1. Christiani, inquit ille, synaxin agunt *die qui solis dicitur*, id est, Dominica. 2. *Omnes qui in oppidis vel agris morantur, conveniunt in eumdem locum:* qui cùm nondum ædificata essent Christianorum templa, vel Ecclesiæ, domus quædam privata esse debebat. 3. Coactis omnibus, *Commentaria Apostolorum vel Prophetarum scripta leguntur.*

Unde colligas hinc Liturgiam, cùm nihil prius commemoretur, exordium suum sumsisse. 4. Hæ lectiones tamdiu continuantur, *quamdiu res*, ut ait, *patitur* μέχρις ἐγχωρεῖ. Post lectiones præses de iis quæ lecta fuerunt, sermonem ad populum habet: *Is qui praest, admonet, & hortatur, ut ea quæ lecta sunt, bona imitemur.* 6. Sermone finito, *Tum surgimus omnes atque comprecamur.* 7. *Sub finem precum nos inter nos osculo salutamus.* 8. *Deinde ei qui præpositus est fratribus, panis offertur, & poculum aqua & vino temperatum. Quæ cùm accepit, laudem & gloriam omnium parenti, Filii, Spiritusque sancti nomine tribuit, gratiasque diu agit, quod ab eo his dignus sit habitus. Quibus rite perfectis precibus & gratiarum actione, populus omnis qui adest, acclamat, dicens: Amen.* Hæc ille, nec plura de panis vinique oblatione & consecratione. Non enim de iis in Apologia Christianæ Religionis, Imperatoribus ethnicis offerenda, tunc clarius potuit disserere. 9. Accedebat posthæc unusquisque ad communionis seu corporis ac sanguinis Christi participationem: *Et iis quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, unusquisque participat, eademque ad eos qui absunt, Diaconis dantur perferenda.* 10. Denique: *Quibus copiæ suppetunt, ii si volunt, suo quisque arbitratu quod vult, largitur.* Atque hæc sunt quæ de sui temporis Liturgia tradit Justinus.

Certum est autem ab Apostolorum ævo ad suam usque ætatem quædam in ea facta fuisse additamenta. Neque enim *Commentaria Apostolorum*, id est, Evangelia, Epistolæ, & libri novi Testamenti prius legi potuerunt, quam in publicum prodiissent. Nonnihil etiam ad preces, quas ante consecrationem fusas indicat, additum haud ægre cre-

diderimus. Persuasum tamen habemus has omnes adjectiones, nec tam multas fuisse nec tam longas; cùm non longo post Apostolica tempora intervallo Apologiam suam scripserit Justinus. Is enim ab proximis decessoribus suis, ex quibus non pauci Apostolos audierant, & viderant, accipere potuit quæ qualisque fuerit, cui sæpius interfuerant, eorum Liturgia. Deinde per durissima persecutionum tempora Christianis non licuit in iis quæ ab Apostolis acceperant, maxime vero in rebus Liturgicis, plurima addere vel immutare. Adde, his primis persecutionum Ecclesiæ temporibus Christianos multo scrupulosius iis inhæsisse, quæ Apostoli scriptis suis, viva voce, exemplo, ac per manus ipsis tradiderant.

§. VIII.

Certior regula de Apostolorum Liturgiis judicandi.

Jam vero ut ad singulare trium Liturgiarum, quæ in Bibliotheca nostra habentur, examen veniamus, primum omnium statuendum est nulla certiori ratione investigari posse utrum ab Apostolis, quorum nomine inscribuntur, vere profectæ sint, quam inquirendo quantum ab iis quæ de Liturgia initio nascentis Ecclesiæ Paulus in epistola ad Corinthios, & Justinus in Apologia jam adulto sæculo secundo scripsit, vel congruant vel discrepent. Ex hac certa, minimeque, ut nobis videtur, fallaci regula si judicium tulissent Critici, procul dubio in tam varias pugnantesque opiniones non abiissent.

CAPUT II.

De Liturgia Jacobi nomine inscripta.

§. I.

Quinam ex antiquis illam Jacobo tribuerint?

ATQUE ut à Liturgia Jacobi, quæ cæterarum prior est, initium faciamus, constat eam ab antiquis Scriptoribus ejus nomine laudatam. Proclus Constantinopolitanus qui circa medium quinti Ecclesiæ sæculi floruit, eos recensendo qui de rebus Liturgicis aliquid scriptis mandarunt, Jacobum nostrum indubitanter his verbis appellat: *Et divus Jacobus, is cui Ecclesiæ Hierosolymitanæ administratio sorte obvenit, ejusque primus Episcopus à summo & maximo pontifice Christo Deo nostro constitutus est.* Rursus eadem Liturgia sub ejusdem nomine citatur canone 32. concilii Trullani adversus Armenios atque Hydroparastas, qui nullam vino in Missà aquam miscendam esse contendebant: *Nam Jacobus*, inquit Concilium, *Christi Domini secundum carnem frater, cui Hierosolymitanæ Ecclesiæ thronus primum creditus, & Basilius .... mystico nobis in scriptis tradito sacrificio ita peragendum .... ediderunt.* Denique hanc eodem nomine laudarunt Isaacus Armeniæ Catholicus, Menologium Basilianum *in Jacobo*, Johannes Cytrius, Marcus Archiepiscopus Ephesinus, Gennadius Scholarius, Nicolaus Methonensis, Alexius Aristenus, Manuel Malaxus, Gabriel Severus, Bessario Cardinalis, & alii nonnulli. His autem adnumerandi sunt ii, qui existimant Basilium ideo Li-

Lib. de Tradit. Div. Liturg.

turgiam suam edidisse; ut Jacobianam, quæ Christianis tepidioribus prolixior videbatur, breviorem redderet.

§. II.

Qua fuerit de ea recentiorum sententia?

Hæc autem opinio hisce nostris temporibus multo acrius propugnatur non tantum ab Claudio *de Sainctes* Theologo Parisiensi, ac postea Ebroïcensi Episcopo, Lindano, aliisque plurimis; verum etiam à Leone Allatio, qui hac de re longam scripsit Dissertationem, qua & variis argumentis hanc Liturgiam genuinum esse Jacobi fœtum probare, & omnes ab hæreticis contra allatas rationes diluere connititur. Allatii sententiæ lubenti animo subscripsit doctissimus Cardinalis Bona, iterumque prolatis illius tum probationibus tum responsionibus, addit hanc fuisse perpetuam Ecclesiæ Græcæ traditionem, atque Abrahamum Ecchellensem ostendisse eamdem quoque etiamnum esse in Ecclesiis Syriæ traditionem ad ipsas per manus deductam à tempore Apostolorum. Iidem vero Scriptores non invite fatentur nonnulla quidem, sed exigua in hacce Liturgia post Jacobi ætatem facta fuisse additamenta. Verumtamen contendunt pertinaciter nulli hæc omnia esse impedimento, quin vere sit & dicatur genuinum tanti viri opus. Reclamant vero alii, aiuntque additiones hujuscemodi usque adeo crevisse; ut vix ac ne vix quidem designari queat, quæ pars ejus Liturgiæ Jacobum habeat auctorem. Alii denique prorsus planeque negant hanc Liturgiam ullo modo vel ulla ex parte ab eo fuisse compositam.

In Symmictis pag. 17. &c.

Lib. 1. Rerum Liturg. cap. 8.

§. III.

Primum eorum argumentum expenditur.

Qui à secunda postremaque opinione standum putant, his ad eam confirmandam adducuntur rationum momentis. Primum, Filius ibi ac Spiritus sanctus vocatur, ὁμοούσιος, quæ vox nec illi ante concilium Nicænum, nec huic ante Constantinopolitanum ullibi tribuitur. Respondent Allatius, Cardinalisque Bona Eusebium Cæsariensem apud Socratem & Theodoretum agnovisse vocem hanc à nonnullis nec omnino ignobilibus Scriptoribus ante concilium Nicænum in explicanda Patris & Filii divinitate usurpatam. Athanasius quoque alios laudat, qui eadem voce simili modo usi sunt. His certe debebant eos omnes subjungere, quos apud Bullum in sua defensione fidei Nicænæ citatos reperimus. Esto, inquiunt alii, vox ista apud auctorem aliquem ante concilium Nicænum casu extraordinario usurpata sit. Verum si frequens adeo, qualis in Liturgia nostra illius fuisset usus, id certe non tacuissent Concilii Patres, atque eâ insolentem Arianorum pertinaciam invicte obruissent.

Addendum sane quod si Ecclesia Hierosolymitana hanc in sacris mysteriis adhibuisset Liturgiam, eamque Jacobo Apostolo acceptam retulisset, Macarius illius Episcopus, qui concilio Nicæno aderat, eam procul dubio in medium protulisset, atque illius vel sola auctoritate hæreticos omnes mutos reddidisset & elingues. Neque dixeris inter deperdita Concilii acta, nonnulla exstitisse, in quibus de laudata hujus Liturgiæ aliarumque ejuscemodi auctoritate disputatum sit. Si enim catholici Arianis probassent vocem, ὁμοούσιος, sexcies, ut

minimum, in Liturgia ab Apostolo Jacobo edita inveniri, de illa numquam ausi fuissent quæstionem deinceps movere; quam tamen postea rursus ab eisdem sæpius agitatam narrant historici.

§. IV.

Secundum eorum argumentum examinatur.

Secundum momentum similiter petitur ex voce Σκοπικὸς, quæ licet quater in hac Liturgia Mariæ tribuatur; nusquam tamen Nestorianis hæreticis, à quibus respuebatur, objecta legitur, nec à Patribus Ephesini concilii; immo neque ab ipsomet Proclo Constantinopolitano, qui illius, ut vidimus, alibi fecerat mentionem. Quod magno sane est indicio hanc vocem ab eo exemplari, quem Proclus penes se habuerat, omnino abfuisse.

Verum facili responsione argumentum hoc exsufflatur; scilicet non omnia antiquiorum testimonia, quibus hæretici refelli poterant, allata fuisse à Patribus, sed ex plurimis pauca quædam ab iis selecta, quæ ad probandam orthodoxæ fidei veritatem sufficere putaverunt. Quid quod nec Liturgiæ nostræ auctoritate uti poterant; Nestorius siquidem veteres Liturgias abrogarat, novam de suo indixerat.

Neque validius forsan confeceris argumentum, si dixeris Virginem Mariam in hac Liturgia eo vocari modo, iisque Lucæ Evangelistæ verbis, quæ & illam mortuam indicant, & Evangelium Lucæ compositum. At enim si dixeris nemini probabile fieri illam tam cito intra Missarum solemnia precibus publicis invocatam, nec verba hujus Evangelii, quod anno tantum LVI. editum fuit, sic in Liturgiis transcripta fuisse: responsum illico accipies,

pies, hæc omnia à Jacobo, cùm anno tantum 63. martyrium subierit, Liturgiæ inseri potuisse.

§. V.

Et tertium.

Tertium momentum desumitur ex Trisagio: *Sanctus Deus, Sanctus fortis*, &c. quod in hac eadem Liturgia cantandum adsignatur. Illud enim Eclesiis ante annum 446. quo Proclus, de quo ante diximus, urbis Constantinopolitanæ Episcopus sedebat, omnino incognitum fuisse perhibetur. Eo quippe tempore, cùm omnes horribili terræ motu territi, preces ad Deum enixius funderent, fertur puerum in aera sublatum audivisse Angelos hoc Trisagion concinentes, & fidenter asseverantes, quod si à populo similiter caneretur, continuò omnes ab imminenti periculo liberandos. Cardinalis Bona respondet quidem Trisagion apud Isaïam c. 6. reperiri. Verum idem postea duo Trisagia cogitur agnoscere, unum plane simplex & brevissimum, de quo non tantum in Isaïæ Prophetia, sed etiam in Johannis Apocalypsi cap. 4. fit mentio: alterum, de quo nunc agitur, longe prolixius, quod in Missarum celebratione à Græcis quotidie, à Latinis vero semel in anno die sacro Parasceves canitur. Fatetur insuper, quod omnino ad rem nostram facit, summum Pontificem Felicem tertium censere hujus posterioris Trisagii natales, ad eam quam narravimus historiam, esse referendos. Atqui non unius solummodo Felicis hæc fuit sententia, verum etiam Jovii Monachi apud Photium, Theophanis in Chronico, Acacii Constantinopolitani Patriarchæ, Asclepiadis Trallium Episcopi, aliorumque plurium. Qua testium nube non mi-

Lib. 1. Rer. Liturg. cap. 8. Ibid. lib. 2. cap. 10.

Epist. ad Petr. Gnaph.

In Biblioth. cod. 6.

nimum argumento nostro robur accedit. Allatius antea aliis rationibus probare nisus fuerat Trisagion ipsis Apostolorum temporibus natum, illudque desumi potuisse ab his Psalmistæ verbis: *Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum.* Sed omnia ejus argumenta vel pro priori simpliciorique Trisagio, vel omnino contra ipsiusmet opinionem faciunt. Neque sane mirari satis possumus quomodo ipsi in mentem venerit, ut in opinionis suæ firmamentum adferret Theophanis auctoritatem, quæ eam funditus evertere videtur. Hæc enim ipsius sunt verba: *Sanctus autem Proclus hac suscepta sententia, præcepit populo sic psallere, & statim terræ motus cessavit. Porro beata Pulcheria de miraculo cum fratre supra modum admirata, sanxit per universum orbem terrarum divinum hunc canti hymnum, & tunc cœperunt omnes Ecclesiæ per singulos dies hunc canere Deo.* Quantùm vero ad id quod respondet hoc Trisagion ex Psalmista sumi potuisse, inutilis plane & inepta responsio est. Non quæritur enim ex quo Trisagion desumi potuerit, immo nec etiam ex quo revera desumtum sit; sed à quo tempore in Missarum celebratione cœperit decantari. Ab hac igitur difficultate se se facilius breviusque expedivisset, si dixisset Trisagion unum esse ex iis fragmentis, quæ temporum decursu Liturgiæ nostræ adjecta sunt.

Ps. 41.

In Chronic.

§. VI.

Et quartum.

Quartum momentum petitur ex Doxologia seu hymno, *Gloria Patri*, &c. qui habetur in Liturgia nostra, quemque ante sæculum quintum in Ecclesia cani consuevisse inficiantur. At contrariæ

opinionis adſertores viciſſim negant id ulla probabili ratione evinci, contenduntque hunc hymnum ab his verbis, quibus Chriſtus Apoſtolos mittens in univerſum orbem, juſſit eos gentes baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, originem accepiſſe, nec multo poſt in precibus publicis Liturgiiſque ad glorificationem Trinitatis divinæ adhibitum. Majus quidem foret difficultatis pondus, ſi ſecunda hujuſce doxologiæ pars, quæ ab his verbis incipit: *Sicut erat in principio*, &c. integra alicubi in noſtra Liturgia haberetur; doctiores quippe viri illam ante concilium Nicænum nullibi prolatam facile concedunt. Probabile quidem videtur eam poſt pſalmos, qui primis tantum verbis indigitantur, fuiſſe ſubjunctam: ſed cùm id nec perſpicue probari, & ab pervicatioribus facile negari queat, nihil inde contra eos poterit à quoquam confici. *Matth. 28. 19.*

§. VII.

Et quintum.

Quintum momentum inde ducitur, quod in ea Liturgia mentio fiat Confeſſorum, atque eorum qui in Monaſteriis vitam degebant. Ad primum reſpondet Allatius Confeſſorum nomine eos intelligi, qui multa pro Chriſti fide perpeſſi tormenta; martyrio tamen mortem non obierant. Et re quidem vera ii Græce vocantur ὁμολογῆται; qua quidem voce Socrates & Sozomenus aliique non pauci ad eoſdem ſignificandos ſæpius utuntur. Verum non ita facilis ad ſecundum reſponſio. Aiunt enim quidam ſtatum Monachorum temporibus Apoſtolicis eſſe coævum. Sed ii debebant animadvertere Liturgiam non tantum de Monachis, verum etiam

de Monasteriis sermonem facere. At quis crediderit Jacobi tempore Monasteria exstructa fuisse? Immo doctiores critici negant ullos tum extitisse Monachos. Deinde Liturgia diversos Christianorum status & conditiones aperte distinguit his verbis: *Pro iis, qui in virginitate & castitate, in Monasteriis & venerando conjugio degunt.* At nemo certè dixerit Jacobi ætate Monachatum sic in Ecclesia stabilitum fuisse; ut à cæteris Christianorum conditionibus ita tum distingueretur. Quod quidem Allatius & Cardinalis Bona attentius considerantes, voces Confessorum ac Monasteriorum inter fragmenta Liturgiæ nostræ adsuta computant.

§. VIII.

Et sextum.

Ultimum denique momentum est, quod in eâ plures loci non solum ex Evangeliis Matthæi & Lucæ, sed etiam ex epistolis Pauli de verbo ad verbum Græcè referantur. At verò cui verisimile fier hos locos ita à Jacobo citatos, cùm incertum sit an ille Pauli epistolas umquam habuerit ad manum; atque etiamsi habuisset, an illarum verba in Liturgia sua sic transcribere voluerit. Ab hac tamen difficultate illorum adversarii cito se se expedient, si hosce sacrorum Auctorum locos & parvo numero, atque eos esse dicant, quos huicce Liturgiæ adjectos ultro concedunt.

§. IX.

Quid ex his omnibus argumentis & responsis concludendum sit.

Ex his utriusque partis tum argumentis tum responsionibus æqua lance perpensis, clare evidenter-

que colligitur, nonnulla esse momenta, quæ alterius partis responsis non omnino infirmantur; nonnulla vero quibus invicte demonstratur, plurima post Jacobi ætatem Liturgiæ nostræ facta fuisse additamenta. His tamen non invicte probatur Jacobum non fuisse primigenium saltem illius auctorem, qui præcipuum ejus corpus, cui aliæ atque aliæ identidem partes additæ sunt, efformaverit.

§. X.

Ad aliam certiorem regulam Liturgia Jacobi examinatur.

Quapropter ut id firmiori certiorique regula dignoscatur, jam Liturgia illa ad eam quam ex Apostolo atque Justino retulimus Liturgiæ Apostolicæ descriptionem, tamquam ad Lydium lapidem, examinanda est. Justinus ait Christianos die Dominica ad Liturgiæ celebrationem cogi solitos; auctor vero Liturgiæ nostræ singulis diebus: *Atque id fit*, inquit, *singulis diebus in sacra Missa*. Verum quidem est ex Actis Apostolorum illos per hebdomadam aliâ quam Dominicâ die congregatos; sed illud ipsum probat hanc non singulis diebus factam synaxim. Apud Justinum Liturgia modo plane simplici solebat suo tempore peragi, exordium à sacris scripturæ lectionibus ducebat, nullique in ea nisi Diaconi ministrabant. Apud auctorem nostrum principium sumit à magna orationum precumque multitudine, tuncque ac deinceps maximam ubique videas cerimoniarum omnium pompam, qua certe placidissimis Ecclesiasticæ pacis temporibus major nulla exstiterit. Ibi enim processiones, introitus, thurificationes repetitæ & solemnes, ibi Lectores quibus munia

privatim adsignata, ibi cantores, qui nihil nisi priùs denotatum, cantare debebant. Justinus scribit fideles congregatos *in eumdem locum* non templum aut ecclesiam: Auctor vero noster non tantum in ecclesiam, sed in ecclesiam, quæ sanctuarium habebat, sactistiam, vestibula, chorum, narthecem, ceterasque partes, quæ pacis tantum temporibus construi cœperunt. Quid plura? Pro certo ponit fidem Christi per totum terrarum orbem diffusam, ubique templa Ecclesiasque ædificatas, atque Episcopos constitutos, *qui per universum orbem orthodoxa fide distribuunt verbum veritatis.* Ex hac igitur apologiæ Justini cum Liturgia nostra instituta comparatione nemo non intelligit eam longe abesse à simplicitate Liturgiæ Justini; proindeque longius distare a Liturgiis Pauli & Apostolorum, quæ cæteris omnibus simpliciores erant & breviores.

Unum tamen, ut nihil dissimulemus, opponi potest nimirum sacerdotem in panis consecratione hæc proferre verba: *Frangens dedit* NOBIS *discipulis suis:* in vino vero: *similiter..... dedit* NOBIS *discipulis suis:* in ultima tandem Liturgiæ oratione: *Tu enim es, qui præcepisti* NOBIS *dicens: Quæcumque ligaveritis, &c.* Atqui inquies, quis umquam nisi unus ex Apostolorum grege, in hunc modum loquutus est? Adde, si velis, id ita verum videri; ut in Liturgiis Basilii & Chrysostomi pro *ἡμῶν*, *nobis*, repositum legatur *ἁγίοις*, *sanctis*.

Verum etiamsi hæc Liturgia foret ab Apostolo quopiam edita; non ideo tamen edita fuisset, ut ab eo solo, sed ut ab aliis, suisque etiam successoribus inposterum recitaretur. Et revera ita à quam plurimis deinceps recitatam fuisse, nemo,

opinor, negaverit. Atqui certum est in ista ejusdem Liturgiæ repetitione omnes pariter dixisse ἡμῶν; cùm nihil aliud ejus loco proferendum ibi proponatur. Inde autem recte conficitur, quod si uni vel pluribus Apostolorum successoribus licuit in hujusce Liturgiæ repetitione illud ἡμῶν dicere, licuit etiam uni Apostolorum successori in hujus Liturgiæ compositione idem ἡμῶν scribere. Quid porro si Liturgiæ auctor pro Apostolo haberi voluerit? Quid si antiquarius hoc verbum immutaverit? Denique ultima Liturgiæ oratio manifestissime apparet longo post tempore illi adsuta; ejus tamen auctor idem verbum ἡμῶν apponere non dubitavit.

§. XI.

Quid ex dictis concludendum.

Liquet igitur hanc Liturgiam Jacobum Apostolum auctorem non habere; tum quia nullus ante Proclum, id est, medium sæculum quintum illam sub ejus nomine laudasse legatur; tum quia iis, quæ à Christo & Apostolis instituta erant, exceptis, illa ab Liturgiis quæ ab eorumdem Apostolorum tempore ad Justini usque ætatem fuerunt in usu, plane penitusque, ut vidimus, sit dissimilis.

§. XII.

Cur à tam longo tempore Jacobi nomine inscripta sit?

At, inquies, cur ergo à tam longo tempore Jacobi nomine inscripta est? Fatemur quidem id nos lubentius à doctioribus, qui in Liturgicis operibus explicandis insudarunt, audituros. Si tamen officii nostri sit, id quod sentimus, aperire, dicemus breviter Liturgiam nostram cùm Ecclesiæ Hiero-

solymitanæ usui fuerit, plures in animum facilè induxisse, eam à Jacobo primo ejusdem urbis Episcopo compositam; ejusque nomine inscribendam. Quod vero Ecclesiæ Hierosolymitanæ usui fuerit, liquido patet ex his verbis: *Offerimus tibi, Domine, & pro sanctis locis quos glorificasti divina apparitione Christi tui, & adventu sanctissimi tui Spiritus, & præcipuè pro gloriosa Sion, matre omnium Ecclesiarum.* Idem etiam probant ea quæ de Ecclesiæ suæ Liturgia scripsit Cyrillus Hierosolymitanus; magna siquidem cum iis omnibus intercedit Liturgiæ nostræ similitudo.

Catech. 5. Mystag.

§. XIII.

Cujus ætatis sit.

Ceterùm si hæc ipsa eadem sit, quæ à Proclo Constantinopolitano laudata, à Basilio brevior facta dicitur, magnæ procul dubio antiquitatis eam esse concedendum est. Verumtamen in eum, quo nunc cernitur, statum non prius redigi potuit, quam pax Ecclesiis omnibus à Constantino Magno ejusque successoribus data fuisset. Nobis vero probabile omnino videtur illam post Basilii tempora, apud Ecclesiam Hierosolymitanam adhuc in usu fuisse, plurimaque illi, ut ex lectione ejus clare colligitur, etiam post Basilianam abbreviationem rursus fuisse addita. Certiorem de ea sententiam ferre liceret, si qui occurrissent illius manuscripti codices; sed nullum neque Græcum neque Latinum ullibi in Bibliothecis potuimus reperire.

§. XIV.

De ejus variis editionibus,

Liturgia hæc typis Græcis & Latinis edita est Pa-

risiis apud Guillelmum Morel anno 1560. Latinis vero tantum, Antuerpiæ eodem anno apud Christophorum Plantin. In utraque editione subjunctæ sunt Basilii Chrysostomique Liturgiæ. Jacobiana rursus duobus post annis Antuerpiæ edita est in ædibus Joannis Stelsii; tum deinde in Bibliothecis Patrum Parisiensi, Coloniensi, ac nostra denique Lugdunensi.

Caput III.

De Liturgia Marci Evangelistæ nomine inscripta.

§. I.

Hanc Liturgiam non esse Marci.

Ex his quæ de superiori Jacobi Liturgia disputavimus, facile colligitur eam quæ Marco Evangelistæ tribuitur, potiori jure illi omnino esse abjudicandam. Verum enimvero non solum ii qui illam Jacobi esse abnuunt, hanc quoque Marci esse negant: verum etiam doctissimi viri qui priorem Jacobo adscribendam esse censent, posteriorem, nonnullis nequidquam reclamantibus, Marco suppositam esse cum aliis omnibus una voce pronuntiant. Ad hanc autem sententiam his, quæ more nostro ponderanda sunt, adducuntur rationum momentis.

§. II.

Argumentum primum.

Primo aiunt in ea, sicut in præcedenti Liturgia, legi vocem ὁμοούσιος & Trisagion, adde & verbum σκοπικὸς, atque ibi Monachorum men-

tionem fieri. Hæ tamen rationes nihil apud eos promovent, quos pro Liturgia Jacobi stare diximus. Id itaque efficacius probari posse putant ex his ejusdem Liturgiæ verbis : *Spiritum-sanctum, dominum, vivificantem, qui in Lege, & Prophetis, & Apostolis loquutus est; tibi consubstantialis, ex te procedens.* Hæc quippe omnia ex Symbolo Constantinopolitano in illam translata fuisse videntur.

§. III.

Secundum Argumentum.

Secundo, fit ibi ipsiusmet Marci memoria, quæ certe ab ipsomet Marco fieri non potuit. Respondebant nonnulli id minime novum videri debuisse, *Cùm id quoque factum reperiatur in Liturgiis D. Clementis & Chrysostomi, ut exempli tantum causa auctorum nomina inserantur, eademque ratione in libris legis Moysis decessus continetur.* Frivola plane & inepta responsio est. Qua enim ratione probabis ea nomina *exempli tantum causa* ibi posita fuisse. Nihil certe aliud inde colliges, nisi & hæc Sanctorum nomina in Liturgiis, Moysis vero in Deuteronomio post eorum mortem ab aliis scriptoribus fuisse adjecta.

§. IV.

Tertium Argumentum.

Tertio, secundum hanc Liturgiam orationes fiunt pro Rege, qui tum imperabat : addendum non pro Rege quolibet, sed pro Rege christiano & orthodoxo : Βασιλείου, τοῦ δούλου, τοῦ ὀρθοδόξου, καὶ φιλοχρίστου. Quis autem Marci tempore Regem christianum atque ortodoxum Alexandriæ imperasse dixerit?

§. V.

Quartum Argumentum.

Quarto, non Regis tantum meminit, sed Episcopi sanctissimi, immo & beatissimi Papæ: *Quæ nomina*, inquiunt, *tribus primis Ecclesiæ sæculis usurpata non fuerunt.* Sed multo certius est, Marcum non ita Græce loquutum τὸν ἁγιώτατον καὶ μακαριώτατον, ἀρχιερέα πάπαν καὶ τὸν ὁσιώτατον ἐπίσκοπον.

§. VI.

Quintum Argumentum.

Quinto, Balsamo hanc Liturgiam tamquam pseudepigrapham eo repudiat, quod nec scriptura sacra nec synodus ulla *testantur sacrum ministerium à sancto Marco traditum.* Ex cujus verbis colligitur Ecclesias Orientales, saltem cùm hæc scribebat, Marcum hujusce Liturgiæ auctorem non agnovisse.

§. VII.

Sextum Argumentum.

Sextò, denique eamdem Liturgiam Marco abjudicant, quod utatur voce *patena*, quæ aliquibus recentior videtur. Sed debebant animadvertere græce legi τοὺς δίσκους, καὶ τὰ ποτήρια. Tam levi igitur ictu ferienda non erat ea opinio, quæ vel seipsâ solâ corruat necesse est.

§. VIII.

Alia Argumenta.

Nonne enim falsam Liturgiæ hujus inscriptionem aperte probat ille, quem texit, ministrorum Ecclesiæ catalogus: *Circumstantes*, inquit, *Episco-*

pos, Presbyteros, Diaconos, Lectores, Cantores, queis & Subdiaconos annumerat. Num hi omnes Marci tempore in Liturgia ministrabant? 2. Designatur ibidem legendus *Apostolus, alleluiaque* cantandum. Num etiam *Apostolus,* id est, Pauli epistolæ jam tum legebantur publicè in Ecclesia? Ex quo verò *præscripto* cantandum *alleluia* annotatur? 3. Evangelium legitur à Diacono. Ad hoc igitur munus tum temporis deputabatur. Atqui doctiores critici initio Ecclesiæ Lectores hæc munia obiisse scribunt. 4. Tandem orationes ex aliis Liturgiis, quæ hac certe priores esse debuerant, desumendæ primis tantum verbis indicantur. Quo certe clarius novitatis ejus atque suppositionis indicium dari nullum potuit.

§. IX.

Ubi hæc Liturgia reperta sit.

Liturgia hæc primùm reperta est, *in vetustissimo,* ut aiunt, *codice Monasterii S. Mariæ* ὁδηγητρίας *quod Rossani apud Calabros sub instituto S. Basilii regitur.* Cardinalis Sirletus ex hoc manuscripto eam describi jussit, misitque Joanni à sancto Andrea Ecclesiæ Parisiensis Canonico, qui eam anno 1583. Parisiis typis edi curavit. Porro Monachi Græci, ut scribit Ughellus, hujus monasterii quod vulgo dicitur *de la patire,* id est, compassionis sunt incolæ: Ecclesia vero Rossana: *non à multis,* sic ille loquitur, *abhinc annis Latina facta est; antea enim Græcam linguam ritumque servabat.* Nihil mirum igitur si in urbe monasterioque, quæ tamdiu Græcos incolas habuerunt, reperta sit hæc Græca Liturgia.

Ital. Sacr.

§. X.

Cur Marci nomine inscripta: & cui Ecclesiæ usui fuerit?

Jam vero si curiosius inquiras cur Marci nomine inscribatur; in promtu est responsio, eam Ecclesiæ alicui, quæ sanctum hunc Evangelistam fundatorem habuerit, usui fuisse. Id aperte demonstrant hæc illius verba: *Et sancti patris nostri Marci Apostoli & Evangelistæ, qui demonstravit nobis viam vitæ.* Quæ sane semel atque iterum repetuntur. At rogabis illico, quænam sit hæc Ecclesia. Censent aliqui non aliam intelligi præter Alexandrinam; quippe quæ sit à Marco fundata. Atque in hujusce opinionis confirmationem adferri possunt hæc verba, bis in eadem Liturgia repetita: *Fluviales aquas ad earum mensuram tua gratia sursum elicito.* Hæc etenim Nilo optime congruunt, cujus exundatione terras fæcundari nemo est qui nesciat. Contra tamen pugnare videntur aliæ rationes. Primum enim in ea hæc legere est: *Memento Domine, civitatis imperatricis* βασιλευούσης, *& nostræ hujus* καὶ τῆς πόλεως ἡμῶν ταύτης. Quibus sane verbis civitas, cujus erat Liturgia nostra, ab urbe regali ita distinguitur, ut Alexandrina longe videatur inferior. Deinde ex aliis verbis paulo superius allatis, quibus non tantum Episcopi, sed & Papæ, id est, Romani Pontificis ea fit mentio, quam apud Alexandrinos Marci tempore vel etiam postea factam nemo homo dixerit. Qui primis rationibus adducti, hanc Liturgiam ad Alexandriæ Ecclesiam pertinuisse arbitrabuntur, iidem fateri debent, illam inde in Italiam, atque in Magnæ Græciæ urbem, ubi quædam ad ritus proprios sunt adjecta, fuisse asportatam. Quibus vero probabilius videbitur eamdem

non Alexandriæ, sed alicujus alterius in Italia, maxime vero in Calabria, Ecclesiæ fuisse usui, dicendum ab iisdem erit hanc Ecclesiam originem suam ad Marcum Evangelistam sive jure sive injuria referendam censuisse. Eam porro opinionem cùm semel imbibisset, Liturgiam suam, quam à tanto viro se accepisse arbitrata est, ejus nomine inscribere non dubitavit. Id tamen primitus Rossanæ Ecclesiæ, quamvis ibi codex Liturgiæ nostræ repertus sit, tribui non potest; quia Episcopalis sedes primum sita *in urbe Thuriorum, post ejus vastitatem Rossanum translata est*. Codex igitur Liturgiæ nostræ manuscriptus vicinæ cujusdam alterius Ecclesiæ esse potuit, atque inde in alium transferri locum, & apud sancti Basilii Monachos in monasterio supra memorato deinceps adservari.

Ughel. Ital. Sac.

§. XI.

De Liturgia hujusce codice ms. Græco, ejusque versione, ac difficili unius loci lectione.

Ex illo Græco codice atque ipsa Liturgiæ lectione eam Græcè primum scriptam fuisse colligitur. Porro illum codicem manuscriptum, ex quo typis edita dicitur, imperfectum esse, pluribusque lacunis hiare certissimum est. Latina vero illius versio liberior, cui nonnullis in locis aliqua ab interprete addita. Is autem non intellexit hæc verba Græca: καί μεταλαμβάνῃ ὁ ἱερεὺς εὐχ. τῆς κατὰ φιλανθρωπίας ἄλλος: quæ sic Latinè reddidit: *Hic participat sacerdos Euchites seu orator alius*. Fatendum quidem est maximam in verbis Græcis subesse difficultatem; verum id procul dubio nullatenus sonant, quod Latine dixit interpres. Si conjecturis in lectione tam difficili indulgere nobis liceat,

dicemus in Græco caractere esse abbreviationes, quales vidimus in regio Liturgiarum Basilii atque Chrysostomi manuscripto, optimæque notæ codice. Hæ autem abbreviationes sæpius occurrunt in his verbis: διάκονος, ἱερεὺς, εὔχεται, λαός; ibique pro εὔχεται, legitur εὐχ pro λαὸς vero ὁ λ quam abbreviationem cùm non intelligeret antiquarius, scripsit ἄλλος. Ex hac autem observatione verior, ut nobis quidem videtur, Græcæ phraseos sensus esse intelligitur, sacerdotem in corporis Christi sumtione recitare orationem, quæ ab his verbis incipiat: τῆς κατὰ φιλανθρωπίας: interim vero populum cantare Psalmum 41. *Quemadmodum desiderat cervus, &c.* Nam post vocem ἄλλος vel potius ὁ λ continuo legitur ὃν τρόπον ἐπιποθεῖ ἡ ἔλαφος, &c. Ceterum hanc conjecturam doctiorum judicio lubenter permittimus.

§. XII.

Cur ibi Adamus è tumulo excitatus dicatur?

In secunda post communionem oratione quædam alia occurrunt verba, quæ sine observatione aliqua prætermitti non debent. Sacerdos enim Christum invocando ait: *Et Adam è tumulo excitasti, καὶ τὸν Ἀδὰμ ἐκ τάφου ἀναστήσας.* Auctor igitur hujus orationis Adamum è mortuis à Christo excitatum putavit. Quomodo autem hæc nata sit opinio, si scire aveas, in memoriam revoca errorem Tatiani fuisse, Adamum æternis suppliciis damnatum, in inferno cruciari. Hanc impugnavit Irenæus, atque [a] Epiphanius: unde [b] Augustinus Evodio postea scripsit quod *Ecclesia fere tota consentit* Adamum cum Patriarchis cæteris è limborum, ut loquuntur, carcere à Christo eductum. Addit Epi-

Lib. 1. adv. Hæres. cap. 30.
[a] *Hæres. 46.*
[b] *Epist. 164. §. 6.*

phanius Adami corpus in Calvario monte sepultum, cùm sanguine è latere Christi in cruce pendentis fuso conspersum fuisset, statim vivum resuscitasse: *ut non temere*, inquit, *nec otiose pronunciata videatur; surrexerunt multa corpora Sanctorum, &c.* Hæcque, ut in notis ad Ambrosium observavimus, communior fuit veterum Patrum sententia. Verumtamen Cyrillus Hierosolymitanus apud Græcos aliam amplexus est opinionem; Hieronymus vero apud Latinos Epiphanio adversatur. Alii qui tamen maxime Græci, sicut auctor orationis præfatæ, sequutis temporibus pro priori sententia stare potuerunt. Unde audacter ille in hâc oratione dixit Adamum è tumulo excitatum.

Loc. cit.

Comment. in Luc. lib. 10. §. 114.

Catech. 13.

§. XIII.

De Editionibus hujus Liturgiæ.

Liturgia hæc publici juris facta est à Joanne à sancto Andrea, & Parisiis edita anno 1583. Postea in Biliothecis Patrum Parisiis, Coloniæ, & Lugduni prodiit. In hac autem ultima editione aliqua sunt additamenta, quæ qua auctoritate facta sint, scire non potuimus.

CAPUT IV.

De Liturgia Petri Apostoli nomine inscripta.

§. I.

Quæ Lindani de hac Liturgia fuerit opinio?

HÆc Liturgia multò evidentius Petro Apostolo, quam superiores Jacobo, & Marco, supposita videtur. Emissa est in publicum à Guillelmo

mo Lindano, Gandavensi Episcopo, qui eam ex manuscripto Græco Bibliothecæ doctissimi Cardinalis Sirleti edi curavit. Notas subjunxit & apologiam, qua eam verum Petri fœtum esse probare conatus est. Fatetur quidem nonnulla à viris piis & doctis temporum decursu ei fuisse inserta atque addita: sed contendit hasce additiones non magis substantiam Liturgiæ, quam vestes substantiam hominis mutasse. Si ab eo autem rogaveris, quænam sit illa Liturgiæ Petri substantia, respondet nihil aliud esse præter sacrum Missæ canonem, non quidem novum, sed antiquum, qui Gregorii Magni opus esse creditur, quique ab eodem vocatur *formula sacrificandi ab Apostolis tradita.* Si rursus urgeas, dicasque eo in canone, quorumdam mentionem fieri sanctorum, qui sæculo tantum tertio vel etiam quarto mortem obiêre, respondet iterum additamenta esse sed levicula, quæ integrâ Canonis essentiâ permanente, ibi fidelium pietate inserta sunt.

§. II.

Opinio Lindani refellitur, & Liturgiam Petro suppositam esse probatur.

Verum hæc opinio non omnibus tantummodo argumentis, quæ adversus præcedentes Liturgias allata sunt, sed sola ejusdem Liturgiæ lectione omnino corruit & destruitur. Initium siquidem illius ex Græca Basilii Liturgia; præfatio vero, canon integer, atque oratio, quæ post precem Dominicam, *Pater noster &c.* legitur, ex Missa Latina; tandem quæ subsequuntur, rursus ex Basilii Liturgia desumta fuere. Id ita certum est, ut in orationibus plurimis ad ipsam Basilii Liturgiam lector mitti

soleat; Ζήτει εἰς τὴν λειτουργίαν τοῦ ἁγίου Βασιλείου: *Quære in sancti Basilii Liturgia.* Quid quod plures aliæ orationes, ut in Basilii Liturgia etiam quærantur, ex primis solum indicantur verbis. Ex quibus evidenter colligitur Liturgiam Basilii & hac Petri Liturgia antiquiorem esse, & in locis ipsis, ubi ea scripta est, magis fuisse in usu.

§. III.

Nec canonem hujus Liturgiæ à Petro scriptum fuisse.

At vero, inquit, Lindanus, Canon Missæ, qui tota Liturgiæ Petri substantia est, in hac Liturgia Petri reperitur. Sed animo ipse adtendat quantum hæc pugnent cum Gregorio Magno, qui canonem Missæ Latinæ à Scholastico, id est, viro docto, compositum adserit. *Precem* inquit, *quam Scholasticus composuerat.* Quod ita ratum fixumque habuit; ut ea quæ jam supra retulimus, addiderit: *Mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem* (scilicet Dominicam) *oblationis hostiam consecrarent.* Deinde in canone hæc habetur oratio: *Hanc igitur oblationem &c.* quam ab eodem Gregorio Magno additam scribunt ejus vitæ auctores Johannes Diaconus, atque Anastasius. Denique concilium Tridentinum de canone Missæ sic pronuntiat: *Is constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.* Neque tamen dissimulare possumus canonem Liturgiæ, Petri nomine inscriptæ, à Romano quandoque discrepare: sed leves admodum minorisque momenti sunt hæ discrepantiæ, quas Liturgiæ scriptor vel ex aliis exscripsit, vel propria auctoritate addere aut immutare non dubitavit.

Sup. cap. 1. §. 1.

In vita Gregor.

Sess. 22. cap. 4.

§. IV.

Hanc Liturgiam opus esse cujusdam compilatoris.

Dicendum igitur hanc Liturgiam opus esse compilatoris cujusdam seu Clerici Græci, seu Basileani Monachi, in Italia degentis, qui ut illam, Græco ritu non derelicto, Romanæ similiorem redderet, ex Græca Basilii Liturgia., & canone Romano unum Liturgiæ corpus effecit. Utrum autem uni vel pluribus Ecclesiis aliquando usui fuerit, cùm unicum tantum illius exemplar manuscriptum reperiatur, definire difficile est. Lindanus quidem ait aliud quoddam apud Turrianum exstitisse: sed quale fuerit nec ille dixit, nec à quopiam deinceps illud visum fuisse ullus umquam testificatus est.

§. V.

Eam integram esse & perfectam.

Addendum insuper falsum esse eumdem Lindanum, si hanc Liturgiam ab Offertorio, seu secunda Missæ parte, quæ olim *Missa fidelium* dicebatur, incipere arbitratus sit. Qui enim attente eam legerit, integram suisque numeris omnibus absolutam esse comperiet. Ibi quippe cernere est, Epistolam, Evangelium, aliasque orationes, quibus constat prima pars Liturgiæ, quæ *Missa Cathecumenorum* vocabatur.

§. VI.

Ad quem Liturgiæ Basileanæ codicem illa nos remiserit.

Observandum denique certò sciri non posse ad quod Basileanæ Liturgiæ exemplar remittat nos hujusce Liturgiæ Auctor. Plures enim loci ab eo

indicati, in Liturgia quæ Basilii nomine communiter prænotatur, minime reperiuntur. Ad aliud igitur exemplar, quod habebat præ manibus, nos remisit. Qualle autem illud fuerit, cùm tot, ut supra monuimus, tamque à se invicem discrepantes hujusce Liturgiæ codices circumferantur, indicare non ita est in promtu. Tale tamen nobis videtur illud fuisse, quale est unum ex iis Basilii Liturgiis, cujus variantes lectiones à Jacobo Goar editæ sunt. Illud quippe cum eo, quo Auctor noster usus est, optime congruere videtur.

§. VII.

Græce primum scripta est.

Liturgia hæc Petri nomine insignita, primùm Græcè scripta est, ut vel ex ipsis interpretis Latini verbis, quæ ipse quandoque clarius explicat, liquido colligitur. Quamvis autem manuscriptus codex, unde publici juris facta est, adeo elegans esse dicatur, ut & ipse videatur prœlo submissus, typisque excusus; in eo tamen quædam adhuc occurrunt menda & lacunæ; sed ea omnia levia sunt, nec magni profecto momenti. Quod obiter semelque observasse, lectori nec inutile forsan nec injucundum fore credidimus.

§. VIII.

De ejus editionibus.

Pluribus variisque editionibus vulgata est illa Liturgia. Antuerpiæ anno 1589. Plantini typis edita est; deinde Parisiis apud Morellium anno 1595. Hanc posteriorem editionem qui accuravit Johannes à Sancto Andrea, in ea apologiam Lindani, quæ in priori typis mandata fuerat, con-

fultò prætermisit. Denique edita est in Bibliothecis Patrum Coloniensi & Lugdunensi; hacque in ultima editione quædam orationes, quæ primis solum verbis indicatæ fuerant, integræ prodierunt.

DISSERTATIO TERTIA
DE SANCTI BARNABÆ APOSTOLI EPISTOLA.

ARTICULUS PRIMUS.

Analysis hujus epistolæ.

AUCTOR hujus epistolæ, præmissâ eorum ad quos scribit brevi salutatione, fidem illorum laudat, caritatem, aliaque, quibus repleti erant Spiritus-sancti dona. Nulla vero alia ratione animum ad scribendum appulisse profitetur; nisi ut fidem illorum perfectiorem redderet, ostenderetque Deum ideo Prophetas suo spiritu adflasse; ut fœdus novum, incarnatione Filii sui ineundum, omnibus prænuntiarent. Hinc argumentum suum aggressus, demonstrat ex eorumdem Prophetarum oraculis Christum Dominum jure merito legis Mosaïcæ abrogasse sacrificia, nullaque alia, quam spiritus & cordis postulare. Unde eos sollicitè monet, ab iis caveant, qui legem Moysis & Christi simul observandam esse docerent. Ideo vero illam abrogatam esse probat : *ut dilectio Jesu consignetur in cordibus vestris in spem fidei illius*; hisque tribus virtutibus: *meditemur timorem Dei & custodiamus mandata illius.* Subindè aliis Prophe-

tarum locis demonstrat Christum ideo carnem induisse mortemque subiisse; ut mortis imperio destructo, mundum sanguine suo redimeret. Quod Judæi cùm credere noluerint, voluit Evangelium suum ab Apostolis, gentibus omnibus prædicari. Addit Christum etsi ex Patris præcepto mortem, sicuti prædictum fuerat, lubens obierit; verum tamen Filium Dei esse. Explicat deinde quomodo Prophetæ & verbis & figuris significarint Christum in passione aceto & felle potandum, purpura induendum, spinis coronandum; sed hæc omnia surdis Judæorum auribus decantata. Hinc colligit aures cordis circumcidendas, docetque circumcisionem Judæorum antiquatam, legesque Mosaïcas, quibus cibi nonnulli prohibebantur, spirituali sensu intelligendas. Posthæc ostendit ab iisdem Prophetis insuper prænuntiatum, fore ut Judæi nec Christi baptismo abluerentur, nec crucem ejus agnoscerent, atque ob ejusdem Christi ab illis abnegatam divinitatem exhæredes facti, in eorum locum adoptati Christiani subrogarentur. Denique postquam de sabbati celebratione, Dominicæ diei institutione, templi Hierosolymitani destructione, Deique in cordibus nostris habitatione disseruit, primam claudit epistolæ partem.

In secunda, quæ brevior est, stylum ad informandos Christianorum mores convertit; duasque ea propter demonstrat esse hominum vias. Quarum prior, cui Angeli præsunt, *via lucis* dicitur, eamque explicando, quid Christianus agere, quid fugere debeat, omnium oculis subiicit. Posterior; quæ *subest Angelis Satanæ*, vocatur *via tenebrarum*, ipsiusque expositione palam facit quæ sint vitia & mala opera, quibus inquinata anima pæ-

nis inferni addicitur. Postremo ut imperatis divinis morem gerant, adhortatur; comprecaturque ut sui meminerint apud Deum, cujus in gratia ut semper maneant, expetendo, epistolæ coronidem imponit.

ARTICULUS II.

Hanc epistolam eamdem esse, quæ ab antiquissimis Ecclesiæ Patribus laudatur.

Constat epistolam hanc eamdem esse, quam à Patribus antiquissimorum Ecclesiæ temporum sub Barnabæ nomine citatam fuisse ex eorumdem testimoniis, in fine hujus libri proferendis, planum fiet. Id autem vel ex sola Clementis Alexandrini auctoritate invictissimè demonstratur. Quos enim ex ea locos protulit, ii ex epistolæ initio, ubi Græca verba deleta, atque ex medio, ac tandem ex fine, ubi Latina versio deficit, excerptos esse liquet. Ex quo intelligere est, errasse Moynium, Calvinianæ sectæ, olim Rotomagi Ministrum, qui posteriorem hujus epistolæ partem nec ejusdem scriptoris, nec ejusdem styli ac priorem videri arbitratus est. *Var. Sacra.* Hanc quippe ipsam partem, præter memoratum Clementem, ab Origene, Gregorioque Nazianzeno sub eodem Barnabæ nomine citatam legimus.

ARTICULUS III.

De auctore hujus epistolæ antiquorum Scriptorum opiniones.

Tota igitur de hac epistola difficultas in eo versatur, utrum à Barnaba Apostolo, cujus præfert nomen, vere profecta sit. Hac siquidem de re antiqui Patres non unius fuerunt sententiæ: posterio-

res verò scriptores in plures magisque diversas opiniones abierunt. Clemens Alexandrinus nullus umquam dubitavit eam verum genuinumque fœtum esse Barnabæ, quem Apostolum, virum Apostolicum, unum ex septuaginta, & Pauli adjutorem appellat. Hæc videre est in libris Stromatum secundo, quinto & sexto; quos quidem locos, quia prolixiores sunt, eos omnes in calcem hujus libri rejecimus; ut ibi sine tædio, nec interrupta disputatione à quovis adiri possint. Clementi præceptori suo subscripsit Origenes: ac postea Gregorius Nazianzenus Origenis ipsius verba transcribendo, in eadem quoque opinione se fuisse significat.

Verum adversus Clementem pugnare videtu[r] Eusebius; siquidem ubi de ejusdem Clementis Ope- *Lib. 6. Hist. c. 13.* ribus sermonem instituit: *In iisdem*, inquit, *libr[is] adfert testimonia scripturarum, quæ à nonnullis r[e]pudiantur, nempe ex Sapientia Salomonis, item [e]x epistola Clementis ac Barnabæ.* Et paulo post. *[Id]em* *Lib. 3. cap. 25.* *in libris ὑποτυπώσεων omnium, ut uno verbo dicam, utriusque Testamenti scripturarum compendiosam instruit enarrationem, ne illis quidem prætermissis scripturis, de quibus inter multos ambigitur, [J]udæ epistolam & Barnabæ, ac reliquas catholicas epi-* *Ibid. c. 14.* *stolas intelligo.* Hinc ex sua sententia sic ips[e] pronuntiat: *Pro spuriis habendi sunt etiam Actus Pauli... Barnabæ item epistola.* Undè intelligas Eusebium, quorumdam antiquiorum vestigiis inhærendo, epistolam Barnabæ pro spuriâ habuisse. *De Script. Eccles.* Hieronymus vero illam *inter scripturas apocryphas amandat.* Utrique Nicephori Constantinopolitanus atque Calixtus Eusebii verba sensumque expresserunt: sed quænam sit Eusebii ac Hie-

ronymi de apocryphorum definitione opinio adhuc est in controversia.

ARTICULUS IV.

Sententia recentiorum.

Quantum ad recentiores, Hugo Menardus, Benedictinæ gentis Monachus, de hac epistola sic sentit: *Jure*, inquit, *inter scripturas apocryphas à citatis auctoribus connumeratur; tum quia an Barnaba sit, incertum est; tum quia quædam reperiuntur, quæ difficultate minime carent; siquidem nonnulla sunt in ea salebræ, ad quas minus cauti offendere possunt.* Nec ulli, subdit, mirum esse debet, quod nec à Clemente, nec ab Origene apocrypha censeatur; *siquidem hujusmodi auctores utuntur apocryphis.* Fluctuat animo Cotelerius, summisque se ait difficultatibus præpediri; quominus Barnabæ eam adtribuat, quam tamen illi omnino abrogare non audet Re autem perpensâ, concludit in hunc modum: *Ego magis inclino, ut censeam non esse Apostoli*; profiteturque se gratias iis habiturum, qui voluerint *certiora proferre*. Natalis Alexander, memoratusque Moynius illam Barnabæ penitus abjudicant, & apocrypham atque supposititiam esse contendunt. Contra vero Hamondus, Vossius, Bullus & Dupinius eam non alium quam Barnabam auctorem habere propugnant.

Præfat. in epist. Barnab.

ARTICULUS V.

Primum argumentum examinatur.

Qui epistolam hanc Barnabæ abjudicant, his nituntur argumentis: primo auctoritate Eusebii

atque Hieronymi, superiùs allata, qui eam ad apocrypha & spuria ablegant. Docet quippe idem Hieronymus: *Apocrypha eorum non esse, quorum titulis prænotantur*: vel ut addit Gelasius Papa, aliquo inficiuntur errore. Negant tamen alii alterutro sensu accipienda esse de epistola Barnabæ, Eusebii vel Hieronymi verba. Non quidem primo; cùm epistolam hanc Barnabæ nomine inscribi non inficientur, ac Hieronymus eam à Barnaba compositam esse affirmet. Neque secundo, cùm illam non tantum omnis erroris expertem agnoscant, sed etiam, ut ait Hieronymus, *ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem*. Eo igitur sensu eam spuriam & apocrypham esse dicunt, quòd inter canonicos divinæ scripturæ libros non adnumeretur.

Epist. 7. ad Lætam.

De Script. Eccles.

Verum ex posita ab Augustino regula urgent eorum adversarii; ea quæque scripta ab Ecclesia recipi debuisse, quæ à quolibet Apostolo prodiisse constiterit. Inde quippe sanctus Doctor contra Adversarium Legis & Prophetarum, libros Andreæ & Johannis nomen præferentes, apocryphos esse probat; quia *si illorum essent, recepti essent ab Ecclesia*. Quod si respondeas putasse quosdam epistolam nostram inter scripturas canonicas ab Origene computari, atque eo in numero in antiquis earumdem scripturarum catalogis reperiri: instabunt iisdem in catalogis alios itidem libros reperiri, qui pro canonicis numquam habiti sunt; neque Origenis verbis id quod aiunt ullo significari modo contendent.

Lib. 1. contra Advers. Legis & Prophet. cap. 20.

Respondent itaque alii Augustini mentem non esse omnia omnino Apostolorum, vel potius Apostolicorum virorum, sicuti Barnabæ, scripta in ca-

nonicorum numerum esse referenda; quandoquidem & liber Hermæ, & Clementis Romani epistola hunc in numerum minime referuntur. Addunt præterea non eo ipso scriptum aliquod pro canonico habendum, quod ab Apostolo quopiam editum sit; sed id insuper Ecclesiæ definitione renuntiari debere.

Nos autem Augustini mentem ex alia, quam de libris apocryphis statuit, certiori regula explicandam esse censemus. Cùm enim accuratius definit quis liber dicendus sit apocryphus: *Scriptura apocrypha*, inquit, *nuncupantur, eo quod occulta earum origo non claruit Patribus, à quibus usque ad nos auctoritas veracium scripturarum certissima & notissima successione pervenit.* Ex hac libri apocryphi definitione recte adversario suo libros Andreæ & Johannis obiicienti, respondet, eos plane esse apocryphos; quia si ab iis quorum tanta erat apud Ecclesiam auctoritas, vere prodiissent, id & Patribus perspectum, & ab Ecclesia fuisset receptum. Quapropter cùm è contrario origo epistolæ Barnabæ claruerit Patribus, nimirum Clementi, Origeni atque aliis, ex allata Augustini definitione inter apocryphas scripturas annumerari non debet. *Lib 15. de Civitate Dei cap. 23. §. 4.*

Articulus VI.

Secundum argumentum expenditur.

Secundum argumentum, quo epistola nostra Barnabæ abjudicetur, inde desumitur, quod videatur incredibile Apostolum eas scripsisse, quas ibi legimus, coactas nimirum allegorias, enarrationes Scripturarum minus verisimiles, fabulas de ani-

malibus. Respondet Hamondus quod Gnostici: *Scriptura sacra mystice interpretanda facultatem sibi arrogantes, multa veteris Testamenti testimonia ad impuros usus accommodabant. . . . . Hinc Barnabas hac fere universa epistola sua veteris instrumenti loca quamplurima mystice, etiam cabalistice exposita, Gnosticorum doctrinis opponit.*

Respondent alii Clementem Alexandrinum, Origenem, aliosque qui hanc epistolam Barnabæ abjudicant, nihil coactum in ejus allegoriis, nihil non verisimile in enarrationibus, nihil denique fabulosum in ea reperisse; immo nihil quod non Apostolicum virum, nihil quod à Barnabæ ipsius stylo alienum aliquid aut indignum præ se ferat. Idcirco illos nostræ ætatis viros temeritatis audacter incusant, qui de stylo Apostolicorum scriptorum melius quam eorumdem discipuli, aliique suppares aut ejusdem ætatis homines, se judicare posse confidunt. His adjiciunt illud fuisse ingenium Judæorum ad Christianam fidem, sicut ipse Barnabas, noviter conversorum; ut scripturas sacras allegoriis ac mysticis enarrationibus interpretarentur, multaque observarent in animalium proprietates.

Addemus, nos paulo post demonstraturos hanc epistolam, si Barnabæ non sit, auctoris esse ejusdem cum illo, aut certè proximæ ætatis. Nemini autem vero videbitur simile scriptorem pium & doctum, viris Apostolicis coævum, quique apprime noverat quomodo Apostoli Scripturas exponerent, ab eorum stylo & scribendi interpretandique methodo hac in epistola penitus descivisse.

ARTICULUS VII.

Tertium argumentum examinatur.

Tertium argumentum est Barnabam modo tam hyperbolico non vocaturum Apostolos iniquissimos hominum, & super omne peccatum peccatores. Respondent hæc verba non omnino ad litteram, sed benignius accipienda, nihilque aliud sonare quam Apostolos, quod quidem verum est, ante conversionem suam multa magnaque peccasse.

Respondemus verò hoc idem argumentum ab Origene jam olim fuisse dilutum. Cùm enim *fortasse* Celsus ex iisdem auctoris nostris verbis *occasionem,* ipso teste Origene, *arripuisset, ut Apostolos infames & nequissimos diceret, Jesum ad apostolicam functionem elegisse homines omni iniquitate iniquiores;* sic illum, & quidem appositè ad rem nostram confutat: *Quid igitur absurdi, si Jesus ostendere volens humano generi quantum ejus medicina contra pestes animarum polleat, infames & nequissimos elegit, ut morum purissimorum exemplum fierent amplectentibus ejus Evangelium.* Nihil ergo absurdi, nihil Barnabæ indigni, nec nimium hyperbolici in his verbis esse judicavit vir summæ eruditionis Origenes. Hieronymus vero hanc sententiam viro Apostolico ita dignam credidit; ut in libro contra Pelagianos scripto, eamdem Ignatii Martyris nomine laudare non dubitaverit. *Lib. cont. Cels.*

ARTICULUS VIII.

Moynii conjecturæ discutiuntur.

Moynius aliis quibusdam contra epistolam nostram pugnat conjecturis: quæ quidem quamvis

sint levissimæ; tamen cùm nullus hactenus iis respondisse legatur, pro more nostro, ne quid intactum relinquamus, illas singillatim examinabimus. Ait itaque: Hæc epistola si esset Barnabæ, illam non secus ac Evangelium Matthæi tumulo suo condi jussisset. Verum quis revelavit Moynio Barnabam epistolæ suæ exemplar semper, aut saltem, cùm mortem obiit, secum adservasse? Num moris est apud homines epistolarum suarum sic apud se servare exemplaria? Demus tamen Moynio penes Barnabam morientem fuisse epistolæ suæ exemplar: numquid ergo lucubrationem suam vir modestissimus eodem in pretio habebat ac Matthæi Evangelium? Si id contendat Moynius, dicemus ideo cum hoc Evangelio, non autem cum sua epistola, sepeliri voluisse; quia illud historiam vitæ, mortis ac miraculorum Christi, quam semper præ oculis habuerat, complectebatur.

Instat Moynius auctorem nostrum apocryphos libros citasse? Quid inde? Nonne & doctissimi viri Paulum & Judam libros itidem apocryphos laudavisse fatentur. Nonne & Paulus ethnicorum, quos apocryphis ab auctore nostro citatis præstare nemo dixerit, adtulit auctoritatem.

Urget Barnabam auctorem esse epistolæ ad Hebræos, nomine Pauli prænotatæ. Atqui, inquit ille, *non video quare secundis curis argumentum istud iterum pertractasset cum quadam prima delibatione, quasi in epistola ad Hebraos, materiam istam nimis perfunctorie, minusque feliciter esset prosequutus.* Neque hoc argumentum priore validius est. Primò quippe falsum est Barnabam hanc ad Hebræos epistolam scripsisse. Deinde, esto, scripserit. Numquid non potuit idem auctor duabus ad

Lib. Cit.

diversos diversæ regionis homines, quos iisdem doctrinis & præceptis imbuere volebat, datis epistolis, idem tractare argumentum. Denique nonne idem auctor plures de re eadem litteras scribere quandoque cogitur, eademque in illis repetere & inculcare?

Urget iterum Moynius hanc epistolam à primi & secundi Ecclesiæ sæculi Scriptoribus, puta Clemente Romano, Polycarpo, Ignatio etiam in suis adversus Judæos disputationibus nullibi laudatam. Verum quas alias iidem Scriptores aliorum epistolas & scripta citaverint, in medium proferre debuerat. Quid verò si nostra epistola in eorum manus non venerit? Sed conjecturis non est opus; certum quippe est hanc epistolam à Clemente Alexandrino, sæculi secundi auctore, ut supra vidimus, citari; quod ad vanam objectionem exsufflandam satis superque dictum sit.

Urget denique hanc epistolam à Barnaba, qui sub Nerone martyrium passus est, scribi non potuisse, cùm post eversam à Tito Hierosolymam data sit. Atque hoc illud est quod in notis & observationibus suis appellat argumentum *invictum & evidentissimum.* Id itaque paulo prolixiori responsione solvendum est.

Articulus IX.

Quandonam hæc epistola scripta sit?

Jam enim quo tempore epistola nostra scripta sit, indagandum. Qui eam Barnabæ tribuunt, ante mortem ejus datam esse indubie pronuntiant. Quibus vero res in ambiguo est; auctorem tamen temporibus Apostolorum floruisse vero putant simi-

lius. Denique qui à Barnaba profectam negant, eam aiunt scriptam post excidium Hierosolymitanum, sed ante finem sæcundi sæculi. Moynius addit illam post necem Justini, qui anno 162. aut 163. Martyr occubuit, & ante Tertulliani mortem, quæ circa annum 215. contigit, obsignatam fuisse. Neque alia ratione opinionem suam confirmat, quam quod nonnullæ de emissario Judæorum hirco cerimoniæ in hac epistola memorentur, quas apud Justinum, licet de iis differat, frustra quæsieris, sed tantummodo apud Tertullianum invenias. Verum à quo didicit Moynius epistolam nostram penes Justinum umquam fuisse, ipsumque eam legisse? Fac tamen & habuerit & legerit, numquid ideo omnes hirci emissarii cerimonias, ne iis quidem quæ in epistola Barnabæ occurrunt, prætermissis, debuit commemorare. Nihil igitur hac negativa conjectura magis frivolum, minusque ad rem aliquam adserendam idoneum.

Quo autem tempore Barnabas obierit, incertum. Unde nescio quid sibi velit Moynius, cùm ex communiori opinione adseverat illum sub imperio Neronis martyrio affectum. Qui enim id investigaverunt diligentiùs, ingenue fatentur apud antiquos scriptores nihil succurrere, unde certo definiatur quandonam Barnabas ab Cypro insula redierit, martyriumque subierit. Certum est autem illum post Hierosolymam anno 72. aut juxta doctiores Chronologos 70. à Tito destructam, vitam potuisse producere. Petrus siquidem & Paulus anno tantum 69. id est, uno aut tribus post excidium Hierosolymitanum annis vitam martyrio finierunt. Nihil ergo vetat, quominus Barnabas in epistola sua hujusce excidii fecerit mentionem.

Certo

Certo vero certius est hanc eamdem epistolam non solum ab Origene citari, sed etiam à Clemente Alexandrino, qui, ut ait Eusebius, primis Apostolorum temporibus proximum se fuisse testatur. Unde conficitur Clementem, qui epistolam hanc sicuti ex frequentioribus ejus citationibus liquet, magni æstimare videbatur, ab apostolicis viris, quis verus illius auctor exstiterit curiosius indagasse, nec difficiliter didicisse. Deinde idem Clemens circa annum 200 fato functus est, proindeque libros suos, ubi hanc epistolam laudavit, prius emiserat. Atqui illam non ut recens aliquod, sed antiquæ autoritatis scriptum laudat, ideoque quam putabat martyrio Ignatii antiquiorem. Quin immò ubique pro certo ponit illam à Barnaba Apostolo scriptam, nullumque quem nosset, huic opinioni refragari. Tanti viri, tantæque eruditionis, ac temporibus Apostolicis adeo vicini auctoritas, maximi certe apud omnes debet esse ponderis; cùm imprimis nulla firma rationum argumenta, nihilque illi, nisi conjectura quædam, parum valida opponatur. Cæterum quantumvis Clemens in epistolæ auctoris nomine errasse diceretur; ex ejus tamen auctoritate invictissime demonstratur illam vel ab uno ex Apostolis, vel saltem ab aliquo ex immediatis eorum successoribus fuisse exaratam.

Id quidem ex manuscriptis codicibus Græcis & Latinis confirmari potuisset si qui omnino incorrupti, ac verum epistolæ titulum præferentes ad nos pervenissent. At in Græcis codicibus caput ejus amputatum est, & titulus qui in Græca Menardi editione legitur, ex Eusebio videtur desumtus. Codex vero Latinus Bibliothecæ nostræ, qui omnium procul dubio est antiquissimus; hac tamen

F

epigraphe inscribitur : *Incipit epistola Barnabæ feliciter*, atque demum in fine sic concluditur ; *Explicit epistola Barnabæ.*

ARTICULUS X.

Ad quos hæc Epistola scripta sit?

Si manuscripti illi codices integri forent, nobis utique indicassent ad quos directa sit hæc epistola ; quando quidem id sua non caret difficultate. Putant nonnulli conjici posse ex tota orationis serie ad Christianos Hebræos missam, tenaces nimirum antiquatæ legis, & ad Hebræos inscriptam esse. Verum vel ex ipsa totius epistolæ à nobis superius facta synopsi exploratum sit, ideo præcipue ad eam scribendam auctorem ejus impulsum ; ut eos ad quos scripsit præmuniret, prohiberetque ne ab iis deciperentur, qui legem Moysis & Christi simul servandam esse adserebant. Atqui hic error ejusdem fere cum Christiana religione est ætatis : illumque non solum Hebræos, sed etiam hæreticos, quales erant Ebionitæ & Cerinthiani, docuisse certissimum est. Præterea etsi à solis Hebræis error hic disseminatus sit ; poterant tamen eo quo flagrabant zelo, illum apud omnes cum Hebræos, tum gentiles ad Christianam fidem conversos ubique disseminare. Potuit ergo Auctor noster non ad Hebræos solummodo, sed etiam ad Christianos, quos ab Hebræis vel hæreticis decipi metuebat, suam dirigere epistolam.

Obiicitur tamen Tertullianum epistolam Pauli ad Hebræos sub Barnabæ nomine citasse ; *forsitan*, inquiunt, *accepto rumore de epistola quadam Barnabæ ad Hebræos à se non visa.* Sed hac objectione levis conjectura alia multo leviori probatur. Ve-

rum enim vero si Tertullianus epistolam ad Hebræos Barnabæ adsignat, alii eamdem Lucæ, alii Clementi adjudicant. Numquid ergo in hanc sententiam abierunt, *forsitan rumore accepto de epistola quadam Lucæ vel Clementis ad Hebræos à se non visa.* Quid hac conjectura futilius? Dicendum igitur epistolam ad Hebræos à Tertulliano Barnabæ nomine laudatam, vel quia eum vere putabat hujus epistolæ auctorem, aut saltem interpretem; vel quia cùm illam ab aliquo Pauli socio & discipulo scriptam crederet, id nulli potiori jure quam Barnabæ tribuendum judicavit: vel denique aliis conjecturis, puta Auctorum aut manuscriptorum errantium, quas jam divinare promtum non est.

Porro si certo definiri non possit, qui homines, cujusve regionis ii fuerint, ad quos hanc Barnabas misit epistolam; constat tamen Christianos fuisse, qui jam in adsequenda vitæ Christianæ perfectione profectus fecerant, quosque ut magis ac magis in ea proficerent, adhortatur; quos denique admonet, caveant sedulo ab hæreticis, qui vanis argutiis & subtilitatibus legem Moysis ac Christi simul servandam suadere conabantur. Hinc eos tota epistola contra hæreticorum illorum errores munit, ac Christianæ pietatis præceptis informat.

ARTICULUS XI.

De hujus epistolæ fortuna & variis ejus editionibus.

Epistola hæc fortunam habuit variam, mirumque in modum mutabilem. Cùm enim tanto, ut supra diximus, splendore & secundo & duobus, ac forsitan etiam tribus sequentibus Ecclesiæ sæculis mi-

cuisset, deinceps ita evanuit; ut præter utrumque Nicephorum, qui verba Eusebii aut saltem eorum sensum descripsere, vix alius de ea mentionem fecisse repetiatur. Nostro tandem sæculo Græce & Latine variis in Bibliothecis feliciter inventa, emersit è tot sæculorum tenebris.

Usserius Archiepiscopus Armachanus primam ejus editionem ex manuscriptis, quæ mutuo ab aliis acceperat, Oxonii anno 1642. adornavit. Sed Vossio teste, una urbis hujus parte paulo post igne consumta, hoc incendio omnia editionis hujus exemplaria perierunt. Unus tamen codex flammis ereptus, in Bibliotheca ejusdem urbis, si qua edito ipsius Catalogo fides habenda sit, adservatur.

Hæc prima epistolæ nostræ editio doctis ita parum innotuit; ut eam ab Hugone Menardo primum editam vix unus aut alter non agnoscat. At certe omnes facile concedent eum primum fuisse, qui illam typis mandatam nostri juris fecerit. Is cùm incidisset in manuscriptum Latinum Bibliothecæ Corbeianæ, annorum plusquam 900. & dicem, aliumque Græcum, inter Thuriani scripta Romæ inventum, à doctissimo Sirmondo accepisset, ex utroque exemplari ad parandam editionem suam totis viribus incubuit. Sed collatis codicibus, altera epistolæ parte in Latinum versa, variisque observationibus compositis, priusquam aliquid prælo committi potuerit, immatura morte exstinctus est. Quapropter Lucas Dacherius paratæ ab illo editionis curam in se recepit, eamque præmissa à se præfatione anno 1645. absolvit.

Anno subsequente Isaac Vossius iterum eamdem epistolam ex tribus manuscriptis, uno Bibliothe-

cæ Florentinæ, altero Vaticanæ, tertio Theatinorum Romanorum, Amstelodami emisit in publicum. In his autem omnibus codicibus manu exaratis epistola caret initio, atque uni ex Ignatii epistolis immediate & absque titulo conjungitur.

Cotelerius anno 1672. ex codice M. S. Græco Sirmondi, de quo ante diximus, illam rursus edidit, novaque versione, antiquiore tamen non omissâ, donavit; præfixitque Operibus *Sanctorum Patrum, qui temporibus Apostolorum floruerunt.* Multa hujus editionis exemplaria incensis Bibliopolæ apothecis, igne consumta sunt.

Denique Moynius cùm Rotomago Leisdam docendæ Theologiæ causâ se contulisset, ibi eamdem epistolam inter sua *Varia Sacra* edi curavit. Ultimam autem hanc editionem ille ex manuscripto Florentino, quem in Hollandiam Rullæus adtulerat, & in quo hæc epistola uni ex Ignatianis absque titulo & principio connectitur, se adornasse testatur. Quod sane magno nobis indicio est hunc manu exaratum codicem non alium esse ab primo ex iis tribus, queis Vossium in accuranda sua editione usum esse diximus. Cæterum utrique Vossius & Moynius non aliam versionem Latinam, quàm antiquiorem, à Menardo inventam & adornatam, atque à Dacherio editam adhibuerunt.

Articulus XII.

De notis & observationibus in hanc epistolam.

Singuli harum editionum auctores epistolam notis & observationibus suis illustrarunt. Quas edidit Menardus, eæ fere omnes vel ad correctionem elucidationemque textus, vel ut illâ styli esse

Apostolici probetur, conducunt. Nonnullas tamen quandoque admiscet eruditionis suæ testes, ex quibus facile intelligas multo perfectiorem futuram fuisse ejus editionem, si per mortem viro tam docto ad umbilicum illam perducere licuisset.

Nullus Vossio pauciores brevioresque in hanc epistolam annotationes edidit, nec ille quidem prolixiores facere consueverat. Omnes fere correctionem textus spectant. Quædam sed paucissimæ quosdam obscuros locos explicant; atque in illarum præcipua observatione disputatur, quo spinarum genere corona Christi patientis compacta sit.

Moynius postremus omnium notas observationesque divulgavit in epistolam nostram, cæteris omnibus longe diffusiores, tantæque prolixitatis; ut ad solam eruditionis suæ, præsertim Hebraïcæ, ostentationem editæ videantur. Nulla quippe est observatio, ubi non sint digressiones, & sæpe ex ipsis digressionibus in alia fit iterum digressus; ita ut textus auctoris, notis obrutus, lectorum oculis evanescat. Nec alia ratione se tot tamque diffusas animadversiones publicasse innuit; nisi quia prærepta sibi occasione typis mandandi novam Operum Josephi, quam à longo tempore moliebatur editionem, quidquid magis eruditum, magisque curiosum ad eam perficiendam præparaverat, hoc in notas observationesque suas congessit. Non contemnimus viri docti eruditionem; sed prudentiori judicio ac locis aptioribus collocanda erat.

ARTICULUS XIII.

Novæ observationes in hanc epistolam.

Si quid nobis tot tamque diversis observationibus addendum superesset, Christiana libertate cum Moynio aliisque nonullis de eorum confidentia expostularemus, qua Auctorem nostrum & antiquissimos Ecclesiæ scriptores eo arguunt, quia plures veteris Testamenti locos de Messia interpretati sint, quos illi ad eum minime respicere arbitrabantur. Nihil enim hac accusatione iniquius; quandoquidem Christus Apostolis & discipulis suis sensum, ut ait Scriptura ipsa, aperuit, *ut intelligerent Scripturas*, maxime vero illos ejusdem Scripturæ locos, qui adventum ejus, mortem, cæteraque ipsius facta prænuntiabant. Atqui Apostoli & discipuli Christi eosdem Scripturæ sensus, quos à divino præceptore suo acceperant, suis quoque discipulis, id est, Auctori nostro, aliisque ejusdem ævi scriptoribus aperuerunt. Cur ergo in scripturis sacris, quibus Christus prædicabatur, exponendis tam turpiter errasse criminantur? Numquid ultimæ nostræ ætatis homines in iis explicandis doctiores sunt & acutiores, quam illi qui ab Apostolis vel ab eorum discipulis suscepti & educati, in eorum schola scientiam Scripturarum didicerunt? Caveant inconsiderati Patrum accusatores, ne vano litteralis sensus, quem ubique venditant, prætextu, à littera occidente percussi, in cæcitatis errorem, quem aliis temere inurunt, ipsimet prolabantur.

Luc. 24. 45.

Observandum præterea Auctorem nostrum quædam utriusque Testamenti citasse testimonia, quæ cùm in sacris libris non reperiantur, illa à Judæo-

rum, Christianorumque traditionibus desumsisse existimandum est. Quædam vero ex quarto libro Esdræ protulit: sed illum censoria Moynii nota male inustum ex his, quæ de hoc scripto in nostris ad Ambrosii Opera Admonitionibus disputavimus, quivis facile intelligat.

Admonit. in Libr. S. Ambrof. de Bona Morte.

Adnotandum quoque ab Auctore nostro non antiquos tantum hæreticos expugnari, sed etiam impios nostri sæculi Socinianos, contra quos Christi divinitas in hac epistola invictissime adseritur.

Animadvertendum denique illam ad nos integram non pervenisse: siquidem manuscripti Græci titulo & principio carent, pluribusque scatent erratis, quæ nisi aliorum ope codicum emendari non queunt. In codice Latino secunda pars epistolæ deficit; primæ vero additus est finis, quasi nihil amplius desideraretur. Vetus interpres Latinus, non omnia Auctoris verba reddidit, & nonnulla aliquibus in locis, quæ in Græco habentur, ab ipso prætermissa sunt. Quapropter vel in mutilum codicem incidit, vel data opera quædam omisit, vel denique Auctoris sui sensum non adsequutus est.

DISSERTATIO QUARTA IN TRES LIBROS PASTORIS SEU HERMÆ.

ARTICULUS I.

Analysis horum librorum.

PRimus hujus Operis liber in quatuor Visiones distribuitur. In prima Auctor mulierem in Tiberi lavantem se vidisse ait; cujus quidem forma captus, cùm uxorem ei similem concupivisset, inde ab eadem muliere, aliaque seniore correptus est. Exinde patefacit ejusmodi cogitata, quæ minime mala videntur, periculosa esse, nec criminis expertia. Arguitur insuper quod peccantes filios suos, ut par erat, non emendasset; & quid ad culpam hanc eluendam præstandum foret, docetur. Ædificata denique à Deo Ecclesia ei ostenditur, & quod *omnia plena fient electis ejus.*

In secunda Visione oblatus est Hermæ ab eadem anu liber, quem cùm legisset intellexissetque, rursus arguitur, quod peccata uxoris suæ ac filiorum non prohibuerit, illique aperitur quid ad obtinendam veniam agere debeat. Atque ibi postquam de pœnitentia, innocentia & simplicitate sermo institutus fuisset, præcipitur annuntiare, quod *tribulatio magna venit.* Ipsi deinde declaratur, mulierem, quam viderat, esse Ecclesiam, à qua mandatum continuò accepit ad duo memorati libri exemplaria, quæ descripserat, dirigenda, unum Graptæ, alterum Clementi; ut ab isto per omnes civitates mitteretur.

In tertia Visione eadem mulier turrim, quæ ædificabatur, Hermæ ostendit; illique quomodo, à quibus, & quibus lapidibus construeretur; atque ex lapidibus qui adsumti, qui rejecti, qui iterum secti, ædificioque aptati, clare explicat; ac qua tandem ratione hæc turris Ecclesiæ figura esset, aperit. His subjungit trium ejusdem Ecclesiæ, quam sub mulieris specie viderat, apparitionum expositionem.

Quarta ultimaque Visione Hermas conspexit belluam, quæ poterat uno haustu, nisi Angelus obstitisset, civitatem integram devorare. Hanc autem belluam *pressuræ & tribulationis superventuræ* figuram esse, à virgine, quæ Ecclesiam figurabat, didicit, ab eaque accepit qua arte vinci posset; ac tandem hæc auribus sanctorum loqui jubetur.

Liber Secundus duodecim mandata, quæ Pastor *nuntius & præpositus pœnitentiæ* ab Herma describi imperat, complectitur. Primum eorum docet quid de Deo, qui timendus est, credendum. Secundum, vitam in simplicitate & innocentia ducendam, eleemosynas omnibus erogandas, nullius famæ detrahendum. Tertium, veritatem semper adserendam & numquam mentiendum. Quartum, castitatem corporis atque animæ servandam, quidque *sponso erga sponsam infidelem* agendum sit. Ibi verò quædam de pœnitentia obiter perstringuntur. Quintum mandatum præcipit *æquanimitatem & patientiam*. Sexto, duæ viæ & duo genii, quorum unus justitiæ, & sequendus; alter injustitiæ; & expellendus ostenditur. Septimo, Deum timendum, minimè vero dæmonem. Octavo, omne malum quod fugiendum, omne bonum quod agendum est. Nono, quæ bona sint in oratione

ſine dubitatione & cum perſeverantia, à Deo ſemper poſtulanda. Decimum prohibet triſtitiam, quæ *filia dubitationis & iracundiæ* eſſe demonſtratur. Undecimum aperit quid diſcriminis ſit veros inter ac falſos prophetas; de quibus rurſus & in duodecimo, ubi de bona malaque cupiditate, altera ſequenda, fugienda altera tractatur. Poſthæc Paſtor Hermæ imperat, ut diligenter hæc omnia ſervet mandata, hortaturque omnes, ut ea pariter obſervent. Denique idem Paſtor hanc mandatorum obſervationem, propter quam homines *vivent Deo*, eis facillimam eſſe oſtendit.

IS IN TERTIO LIBRO ad varias ſimilitudines, quibus Hermam erudire pergit, ſermonem convertit. Docet itaque non divitiis accumulandis, ſed erogandis eleemoſynis incumbendum. Quod quidem probat ſimilitudine vitis cum divite, & ulmi cum paupere, qui niſi divitem, ſicut ulmus vitem fulciat, ſerpit, nec ullum vix umquam fructum referet. Hinc ad alias tranſit ſimilitudines, aitque ſicut arbor viridis à ſicca non hyeme ſed æſtate diſcernitur; ſic homo juſtus ab injuſto non in hoc mundo diſtinguetur, ſed in judicio extremo. Deinde comparat jejunium cum ea diligentia, qua ſervus vitem domini ſui, magis quam ſibi fuerat imperatum, colere ſtuduit. Qua eadem ſimilitudine oſtendit quanta *pro hominibus Deus patraverit*, & quanta illi puritate vitam inſtituere debeant. Ob oculos deinde ponit paſtorem juvenem cujus *pecora copioſa in voluptatibus & deliciis*, figurabant homines voluptatibus deditos; quorum aliqui *corrumpuntur uſque ad defectionem*, alii uſque ad mortem. Non diffitetur tamen quaſdam eſſe voluptates, *ſalutem adferentes*. Hinc ve-

nit ad similitudinem salicis magnæ, cujus rami absque arboris diminutione abscissi, multisque hominibus distributi, atque ab iisdem variis siccitatis & viriditatis gradibus restituti, varios observandæ legis divinæ modos figurabant. Rami autem nonnulli iterum & tertiò plantati, & ad varios viriditatis gradus revocati, gerebant peccatorum variis modis pœnitentiam agentium similitudinem. Postea constructionem turris, similitudinem Ecclesiæ præferentis, quam libro primo levius attigerat, fusissime describit: & quidquid ad eam pertinet, singillatim Christianis, maxime verò pœnitentibus applicando, omnia quæ à singulis quibusque persolvenda erant, religionis & pietatis officia explicat. Dehinc narrat Hermas quam sollicite Angelus, qui eum Pastori *nuntio pœnitentiæ* tradiderat, ipsimet, ut mandata hactenus exposita observet, aliisque similiter observanda esse nuntiaret, imperaverit. Postremò memorat Angeli pollicitationem, qua fore ut ipsi pastorem & duodecim virgines, id est, omnes omnino virtutes cum eo in æternum permansuras mitteret, ultro spoponderat.

ARTICULUS II.

Quis Hermas auctor hujus Operis; num sit frater Pii primi summi Pontificis?

Extra controversiam est hoc Opus idem esse, quod ab antiquissimis Patribus Hermæ nomine laudatur. Id liquidò probatur ex libris eorumdem Patrum, ubi non pauca Auctoris nostri testimonia ex variis hujusce Operis partibus præscripta leguntur. Auctor vero ipse in hoc Opere

nomen Hermæ ubique adsumit. Quapropter illud tantum venit in controversiam, quis iste sit Hermas, & quo vixerit tempore.

Quidam Scriptores illum Pii primi summi Pontificis fratrem fuisse indubitanter adserunt. Sic sentiebat Auctor Poëmatis, Tertulliani nomine inscripti, qui de illo ita cecinit:

Post hunc deinde Pius, Hermas cui nomine frater
Angelicus Pastor, quia tradita verba loquutus.

Auctor Pontificalis, qui Damaso tribuitur, subscripsit eidem sententiæ hunc in modum: *Sub hujus*, scilicet Pii Papæ, *episcopatu frater ipsius Hermas librum scripsit, in quo mandatum confirmatur, quod ei præcepit Angelus Domini, cùm veniret ad eum in habitu Pastoris; ut sanctum Pascha die dominico celebraretur.* Auctor Decretalis, *ad universos Christi fideles;* quæ ipsimet Pio Pontifici tribuitur, eadem quoque tradidit: *Istis ergo temporibus Hermas doctor fidei & Scripturarum effulsit inter nos .... eidem Hermæ Angelus Domini in habitu Pastoris apparuit, & præcepit ei ut Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur.* Ex his ultimis verbis haud absurde colligas alterum ex his duobus scriptoribus ab altero, id quod scribebat, mutuatum esse, aut utrumque ex iisdem hausisse fontibus. Hos nonnulli postea sequuti sunt, Beda nimirum & Ado, non quidem in citatis à quibusdam eorum Martyrologiis, sed in Chronologiis. Ibi siquidem Beda cùm scripsisset Justinum Philosophum sub Pio Papa martyrio vitam finivisse, continuo subdidit. *Hermas scripsit librum, qui dicitur Pastoris, in quo præceptum Angeli continet, ut Pascha dominico die celebraretur.* Ado vero verba Bedæ transcripsit: *Pius Episcopus Romæ habe-*

tur, sub quo Hermas librum scripsit, qui dicitur Pastoris, in quo præceptum continet Angeli; ut semper Pascha die dominico celebretur. Auctor veteris Romanorum Pontificum Catalogi apud Bucherium & Continuatores Bollandi, in eadem est sententia: *sub hujus*, Pii, *Episcopatu frater ejus Hermas librum scripsit, in quo mandatur, continetur que quod ei præcepit Angelus, cùm venit ad eum in habitu Pastoris.* Denique Scriptor alterius eorumdem Pontificum Catalogi apud eosdem Bollandi Continuatores idem paucioribus verbis dixit: *Pius natione Italus ex patre Rufino, frater Pastoris.*

In Propylæo.

Verum hæc opinio stare nullomodo potest. Primò enim quidam ex his Scriptoribus secum ipsi pugnant. Ado siquidem in suo Martyrologio scribit: *Natale sancti Hermæ, cujus Apostolus Paulus meminit.... Hunc adserunt auctorem esse libri qui appellatur Pastor.* Atqui si Hermas discipulus fuit Pauli, vel Paulus illius meminit, non potuit certe librum suum, sicuti idem Ado in Chronologia sua adserit, scribere sub Pontificatu Pii, qui centum ferme post Paulum annis summus Pontifex renunciatus est.

Deinde narrant ex libro Hermæ statutum, ut Pascha die dominico celebretur. At frustra apud Auctorem nostrum decretum hujusmodi quæsieris. Vel ergo hi Scriptores, qui de libro à se nusquam viso scripsisse videntur, omnino falsi sunt, vel de alio Opere à nostro plane penitusque diverso loquuntur. Denique manifestum est posteriores Scriptores opinionem suam à prioribus sumsisse, proindeque originem ejusdem opinionis in memoratum Poëmatis, aut Pontificalis Au-

ctorem esse refundendam. Atqui uterque Auctor est apocryphus, nullius nominis, nullius diligentiæ, nullius auctoritatis.

Articulus III.

Num fuerit discipulus Pauli Apostoli?

Contra vero Scriptores iis omnibus nomine & ætate longe superiores putant Hermam Auctorem nostrum fuisse discipulum Pauli Apostoli, quem ille in epistola ad Romanos salutat his verbis: *Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam.* Enimvero Origenes in hunc Pauli locum sic scribit: *Puto quod Hermas iste sit scriptor libelli illius, qui Pastor appellatur; quæ scriptura valde mihi utilis videtur, & puto divinitus inspirata.* Eusebius vero: *Apostolus Paulus in salutationibus illis, quæ sub finem epistolæ ad Romanos leguntur, mentionem fecit Hermæ, cujus esse fertur is liber, qui Pastor inscriptus est.* Hieronymus id ab aliis adsertum esse memorat. *Hermas*, inquit, *cujus Apostolus Paulus ad Romanos scribens meminit .... adserunt auctorem esse libri, qui appellatur Pastor.* Possunt iis subjungi posteriores Scriptores, qui illorum verba transcripserunt, vel subscripserunt eorum sententiæ. Hos inter Sedulius Origenis verba mutuatur, Nicephorus vero Eusebii vestigiis insistit. In hujus sententiæ firmamentum illud adduci posset, quod Hermas ipse testatur ex duobus libri sui exemplaribus à se descriptis, unum in exteras civitates à Clemente mittendum: *Mittet autem Clemens in exteras civitates; illud enim permissum.* Quem enim alium his verbis designat, quam Clementem summum Pontificem, qui cùm

Ad Rom. cap. 16. ℣. 14.

Lib. 3. Histor. cap. 3.

De Scriptor. Ecclesiast.

Comment. in Epist. Pauli.

Lib. 2. Histor. cap. 46.

Romæ sederet, inde cæteris omnibus facilius poterat hunc librum in exteras mittere civitates?

Porro si hæc sententia, cui nihil adversans & repugnans videtur, sit vera, dicendum profecto hos libros ab Auctore nostro ante finem primi Ecclesiæ sæculi editos. Clemens enim juxta posteriores, diligentioresque Historias Romanam sedem tenebat, intra annos 67. & 76. vel juxta alios ab anno 93. ad annum 100. quo in Chersonesum exsul missus est.

Nulli etiam dubitamus Scriptorem nostrum hunc esse Hermam, cujus nomen in Sanctorum Martyrologia relatum, in Romano sic notatum legitur. *Romæ Sancti Hermæ, cujus Apostolus Paulus in epistola ad Romanos meminit. Hic digne semetipsum sacrificans, acceptabilisque Deo hostia factus, virtutibus clarus cælestia regna petivit.* Attamen contra tantam hujus viri sanctitatem ea dubitationem scrupulumque injiciunt, quæ de semetipso passim in suo libro prædicat, se patremfamilias fuisse, qui nimiâ in uxorem & filios indulgentiâ peccatis eorum non obstiterit; se verò ipsum multa magnaque peccasse, nec fere umquam ad veritatem loquutum.

Responderi tamen potest Hermam non in sua sed in aliorum persona hæc omnia dixisse; ut illo scribendi genere omnes ad agendam peccatorum suorum pœnitentiam facilius excitaret, eisque ostenderet quanta à Christianis vitæ morumque sanctitas desideretur. Verum quidquid sit de Auctoris nostri sanctitate, vero videtur satis simile illum ea ætate, quam paulo supra adsignavimus, & vixisse, & commentationem suam emisisse in publicum.

ARTICULUS

ARTICULUS IV.

Quo tempore hos libros scripserit?

Cæterum si argumenta nostra rigidioribus criticis non satis firma sint & valida, fateantur necesse est hos Hermæ libros ab eo non ante Origenis & Tertulliani tantum, sed etiam Clementis & Irenæi tempora, id est, ante finem sæculi secundi, quo saltem Irenæus scripsisse perhibetur, vulgatos fuisse. Id quidem ex eorum testimoniis, quæ quia prolixiora sunt, ad calcem hujusce libri rejecimus, cuivis planum fiet. Utrum vero iidem Patres hanc lucubrationem longe ante ab Herma editam putaverint, inde facile intelliges, quod apud eos non ut nova & recèns edita, sed ut antiqua passim ubique citata legatur. Irenæus autem eorum omnium antiquissimus, illius tamquam unius sacræ scripturæ libri auctoritate utitur his verbis: *Bene ergo Scriptura dicit: Primo omnium crede quod unus est Deus &c* Quod certe indicio est Irenæum in ea fuisse opinione eamdem lucubrationem unum ex Apostolis vel saltem aliquem ex eorum proximis successoribus auctorem habuisse. Eusebius vero non solum citata Irenæi verba retulit, verum etiam librum Hermæ ab aliis quoque, quos vetustissimos appellat, laudari testatur: *Comperimus*, inquit, *quosdam ex vetustissimis παλαιοτάτων scriptoribus ipsius testimonio usos fuisse.* Quibus sane verbis ille quosdam Clemente & Irenæo antiquiores indicasse nonnullis forsan videbitur. Sed quolibet sensu accipiantur, non obscure significant Eusebium sibi persuasum habuisse hos libros primæ post sacras scripturas fuisse in Ecclesia antiquitatis. Neque tamen dicendum

Lib. 4. adv. Hæres. cap. 37.

Lib. 5. Histor. cap. 8.

illos primam Ecclesiæ persecutionem præcessisse; quandoquidem iidem libri Martyres memorant, qui jam perpessi fuerant *feras bestias, flagella, carceres, cruces*. At vero cùm ii quoque persecutionem aliam, quam probabiliter eam esse putamus, quæ à Domitiano anno 92. excitata est, imminentem prænuntient; inde non absurde colligas Hermam paulo ante hunc annum, Clemente jam in summum Pontificem adsumto, hoc Opus in lucem emisisse.

Lib. 1. Vis. 3.

Vis. 2. & 3.

Articulus V.

Num ii Græce primùm scripti sint?

Illud autem à Græco Auctore, & Græce primò compositum fuisse, ita pro certo omnes posuerunt, ut nullus umquam id in controversiam vocasse videatur. Ea tamen cura, qua libros Bibliothecæ nostræ examinandos suscepimus, non sinit ut illud idem omnino intactum relinquamus. Præcipuum quo id probetur argumentum ex his Hieronymi verbis eruitur: *Multi*, inquit, *Scriptorum veterum de eo usurpaverunt testimonia, sed apud Latinos pene ignotus est.* Deinde Origenes in publico quem apud fideles christianos habebat, sermone unum aliquod ex his libris testimonium, sed tantummodo dimidiatum, profert, auditores ad ipsos libros, haud dubie Græcos, ubi reliqua legerent, mittere contentus: *Potestis quippe*, inquiebat ille, *legere si vultis.* Denique hoc Opus multo sæpius à Græcis Patribus, quam à Latinis laudatum est. Atqui nullus negaverit librum Latinis pene ignotum, Græcis vero non doctis tantum, sed quibusque passim notissimum & usitatissimum,

De Scriptor. Eccles.

Homil. 13. in Ezechiel.

Græce primò scriptum fuisse.

Nonnulla tamen contra hæc omnia, quantumvis firma sint argumenta, opponi possunt. Primùm, omnia Hermæ visa, uno tantum excepto, Romæ vel in vicinis ejusdem urbis locis data narrantur. Secundùm, Hermas de jejunio sic loquitur: *Video Pastorem .... dicentem mihi: Quid tam mane huc venisti? Respondi: Quoniam, domine, stationem habeo. Quid est, inquit, statio? Et dixi, jejunium.* At certe quis græcus Auctor ita umquam loquutus est: *Statio est jejunium?* Hic profecto loquendi modus non Græcis, sed Latinis proprius, peculiarisque est, ut liquet ex Tertulliano aliisque, quos in doctissimi Cangii Glossario ad verbum *statio* citatos reperies. Porro autem minime nos latet ad utramque rationem responderi posse, & ad primam quidem, ideo Romam aliaque vicina loca memorari; quia civitas erat totius orbis caput, atque apud omnes celebratissima. Ad secundam vero, objectum loquendi modum solius esse interpretis, qui Auctoris Græci verba liberiori paraphrasi audacius vertendi sibi jus adrogavit. An autem hæ responsiones omnibus faciant satis, aliorum esto judicium. *Simil. 5.*

ARTICULUS VI.

Num versio Latina sit barbara, & Anastasius illius sit auctor?

Quamvis autem hoc Opus Græce scriptum petierit, nobisque sola superfit versio Latina; non possumus tamen adsentiri Barthio, qui ait primò quod hæc versio sit *mixta barbarismis*, habueritque *semibarbarum translatorem*. Secundò quod, *mihi si censio*, verba ejus sunt, *detur*, *Anastasium* *Animadv. ad Hermæ Pastor. circ. init.*

Bibliothecarium hujus translationis auctorem dicam, cujus exstant clam palamque similis industriæ & scriptionis monumenta.

Quantùm enim ad primum, non diffitemur versionem non esse Latinitatis omnino puræ, nec styli elegantioris: sed Barthius plures dictiones inter barbarismos recenset, quas apud scriptores politioris elegantiæ reperire est. Quantùm ad secundum, inde falsi convincitur, quod longe pluribus ante Anastasium sæculis quædam hujus versionis verba, qualia in ea ipsa habentur, à Tertulliano transcripta legimus. Neque dixeris hunc librum, ut supra monuimus, tempore Hieronymi ignotum fuisse Latinis, idque argumento esse illum nondum tunc Latine redditum. Nam futilis & vana est hæc ratiocinatio; quandoquidem hic liber non tantum Tertulliano, qui Hieronymo antiquior est, notissimus fuit, verum etiam Rufino & Cassiano, eidem Hieronymo coævis & supparibus, qui hunc librum procul dubio viderunt Latine interpretatum.

Articulus VII.

Num sit tantum epitome?

Tertium addit Barthius cæteris peræque falsum, scilicet hanc versionem epitomen tantum esse, in qua interpres multa Auctoris Græci verba sciens prudensque prætermiserit. Unde enim id probabit Barthius? Numquid præ manibus habuit Græcum exemplar, quocum versionem Latinam composuerit? Minime gentium. Contra vero hac versione integrum minimeque mutilum Opus contineri inde luculenter demonstratur, quod om-

nia testimonia, quæ sane plura sunt, ab Scriptoribus ex ipsa eadem prolata, in ea reperiantur. At, inquies, unum retulit Clemens Alexandrinus, cujus verba illic frustrà quæsieris. Sed id frustra obijcitur. Nam Clementem non Auctoris verba sed mentem ac sensum, quod solum intenderat, ibi retulisse planum est & perspicuum.

ARTICULUS VIII.

De titulo hujusce Operis.

Hoc Opus pluribus variisque titulis ab antiquis Scriptoribus prænotatur. Rufinus quidem ubi eos libros enumerat, qui vocantur *à majoribus non canonici, sed ecclesiastici* de nostro sic loquitur. *In novo Testamento libellus qui dicitur Pastoris sive Hermas, qui appellatur, Duæ viæ, vel Judicium Petri.* Quid sibi ista verba velint, adtentius perpendendum. Libellus enim Pastoris appellari non potest *Duæ viæ*: tum quia initio tantum sexti mandati de hoc argumento differitur, atque plura alia toto in Opere, tractantur; tum quia alius omnino est totius Operis scopus. Neque etiam inscribi potest *Judicium Petri*: hac quippe de re nihil in his libris invenias. Aliquod igitur mendum in Rufini textum irrepsit, vel illius verbis duo aut tres diversi libri notantur. *Primus quidem libellus qui dicitur Pastoris*, de quo jam quæstio habetur. Secundus est libellus; hæc enim vox *libellus* forte subaudiri debet; libellus, inquam, *qui appellatur Duæ viæ, vel Judicium Petri*; nisi forsan per τὸ *Judicium Petri* tertius liber designetur, cujus meminit Hieronymus his verbis: *Quintus Judicium Petri inter apocryphas scripturas*, de quo alibi nobis erit dicendi locus.

Exposit. in Symb. Apost.

Lib. 2.

De Scriptor. Ecclesiast. cap. 2.

Usitatior hujusce Operis epigraphe, quæque apud antiquos Scriptores & frequentius & potiori jure occurrit, est *Pastor*, vel *liber Pastoris*. Enimvero Pastor in secundo & tertio libro Hermam alloquitur & informat, illique visiones libri primi, imprimis vero tertiam enucleat & aperit.

Denique idem Opus nomine Auctoris aliquando appellatur *Hermas* aut *Hermes*, unius litteræ mutatione à librariis facta, vel, ut observat Labbæus Ἑρμᾶς, mutata dumtaxat dialecte, dictus est Ἑρμῆς. Vero tamen similius est Hermam, cùm proprium nomen Operi suo præfigere nollet, illud inscribi voluisse hac epigraphe *Pastor* vel *liber Pastoris*. Tertulliano nihilominus hæc inscriptio non omnino probari videtur. Ait quippe: *Hermas cujus scriptum fere Pastor inscribitur*. Verum credibile est illum hanc particulam *fere*, id est, fere semper addidisse; quia in nonnullis aliis Scriptoribus alio quodam titulo, quod quidem non negamus, aliquando prænotabatur.

Lib. de Orat. cap. 12.

Articulus IX.

De divisione, capitibus & summariis capitum hujus Operis.

In manuscriptis codicibus, S. Germani à Pratis, Colbertino & aliis, nec non in prioribus editis inscribitur *Liber Pastoris, nuncii pœnitentiæ*, sed nusquam in tres libros distribuitur. In editione Henrici Stephani anni 1513. idem ac in manuscriptis est titulus, sed initio libri secundi continenter & absque ulla divisione legitur: *De mandatis à Pastore, Angelo pœnitentiæ, Visio quinta &c.*

Neque etiam antiquissimi Patres hanc Operis nostri in tres libros divisionem agnovere. Siquidem ab Origene, Tertulliano, Athanasio, Rufino, Cassiano vocatur *liber vel libellus Pastoris, Scriptura, vel Scriptum.*

Præterea in iisdem manuscriptis libris & antiquioribus editionibus nulla sunt argumenta seu summaria capitum, sed simpliciter legitur: *Visio prima, Visio secunda &c. Mandatum primum &c. Similitudo prima &c.*

Quapropter ut divisio Operis in tres libros, ita argumenta non ab Herma profecta sunt, sed ab eis dumtaxat qui postremas editiones adornaverunt. Hinc nulli mirum videri debet, si aliqua ex iisdem argumentis Auctoris sensum ac consilium minus bene repræsentent.

ARTICULUS X.

Quid de his libris antiqui Patres senserint?

Quantæ antiquitatis sint hi libri jam vidimus; quid vero de illis senserint antiqui Patres, quodque de iisdem judicium ferri debeat, nunc diligentius inquirendum. Irenæus itaque videtur illos ut sacros divinæ scripturæ codices laudare: *Bene*, inquit, *pronuntiavit Scriptura, quæ dicit: Primò omnium crede, &c.* Unde Eusebius de eodem Irenæo scribit: *Liber Pastoris non solum ab eo cognitus, sed etiam magnopere adprobatus est his verbis: Bene Scriptura* &c. Nec alia fuit Clementis Alexandrini sententia, qui simili modo ait: *Divinè ergo virtus illa quæ Hermæ loquitur in revelatione:* Θείως τοίνυν ἡ δυνάμις ἡ τῷ Ἑρμᾷ κατὰ ἀποκάλυψιν λαλοῦσα. Origenes autem de eo libro sic

Lib. 4. adv. Hæres. cap. 37.

Lib. 5. Histor. cap. 8.

Lib. 1. Strom.

pronuntiat : *Quæ Scriptura mihi valde utilis videtur, & ut puto divinitus inspirata.* At ille ideo addidit, *ut puto*, quo id omnino sibi persuasum non fuisse significaret, præsertim cùm in quibusdam Homiliis unicuique integrum faciat in aliam, si libuerit, ire sententiam. Sic enim in Homilia una loquitur : *Si cui tamen Scriptura illa recipienda videtur.* In altera vero : *Si cui tamen libellus ille recipiendus videtur.* Ea propter nobilissimi quidam Scriptores illum extra canonem sacræ scripturæ ablegarunt. Primus inter eos annumerandus est Athanasius, qui de hoc libro : *Etsi*, inquit, *in canone non sit.* Hunc sequitur Hieronymus : *Non sunt*, inquit, *in canone.* Rufinus quoque : *Non sunt canonici, sed ecclesiastici.* Unde adserit veteres Patres noluisse ex hoc sicut ex uno divinæ scripturæ libro testimonia proferri. Eodem certe sensu Eusebius eos in spuriorum & adulterinorum numero ponit; *Pro spuriis*, inquit, *ἐν τοῖς νόθοις habendi sunt Actus Pauli & liber Pastoris*, & à Gelasio Papa & ab Auctore Stichometriæ, in calce Chronographiæ Nicephori Constantinopolitani editæ, apocryphi vocantur. Non alia denique mens eorum omnium, quorum Eusebius refert sententiam in hunc modum : *Sciendum est eum librum à nonnullis quidem in dubium revocatum, ob quos δἰ οὓς inter recepta auctoritatis libros censeri non potest.*

Comment. in cap. 16. epist. ad Rom. ℣. 14.

Homil. 8. in Numeros.

Homil. 1. in Ps. 37.

lib. de Decret. Synod. Nicen. post med.

In Prolog. Galeato.

In exposit. Symb.

lib. 3. Histor. cap. 25

In Decret.

Lib. 3. Histor. cap. 3.

Articulus XI.

Quanta sint utilitatis?

Communis autem Patrum opinio, quæque veritati magis consona videtur, ea est quæ censet

hunc librum utilissimum esse, atque ad hominis recèns ad christianam fidem conversi mores informandos aptissimum. Id aperte docet Eusebius loco jam sæpius citato: *Ab aliis maxime necessarius judicatur, iis præsertim qui primis religionis nostræ elementis instituendi sunt. Unde etiam in Ecclesiis publice legi comperimus, & quosdam ex vetustissimis ipsius testimonio usos fuisse.* Ex his porro Eusebii verbis tria colliguntur argumenta, quibus maxima libri nostri utilitas liquido demonstratur. Primum petitur à Scriptoribus vetustissimis, qui id adseruere; inter eos enim, quorum Eusebius nomen tacuit, forsitan censendus est Origenes, jam à nobis laudatus, qui scripsit: *Mihi valde utilis videtur.* Athanasius quoque librum eumdem appellat: *Utilissimum Pastoris librum.* His vero Hieronymus à nobis subjungi debet, cujus etiam judicio est: *Revera utilis liber.* *Lib. de Incarnat. Verb. paulopost init.* *De Script. Eccles.*

Alterum summæ ejusdem libri utilitatis argumentum est, quod ille teste Eusebio, in Ecclesiis publice legeretur. Et id quidem non solum ab illo doctissimo viro traditur, sed etiam ab Hieronymo, qui: *Apud quasdam*, inquit, *Græciæ Ecclesias etiam publice legitur*, & à Rufino: *Quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt.* At certe Episcopi illum in Ecclesiis publice legi noluissent, nisi habuissent omnino persuasum, inde plurimam à christianis percipi posse utilitatem. Porro non in Ecclesiis dumtaxat publice legebatur, verum etiam erat in omnium manibus, ut ex Origene vidimus, patetque ex Athanasio qui illum inserit Catalogo librorum: *Quos Patres sanxerunt legi iis, qui ad fidem accedunt, cupiuntque in pie-* *Ibidem.* *In Symb. Apost.* *In epist. Pasch.*

tatis verbo institui. Unde quantum ii ad utilitatem Christianorum hanc lucubrationem conducere crederent, facile intelligitur.

Tertium argumentum quod ex Eusebii verbis elicitur, illud est : *Quosdam ex vetustissimis ipsius testimonio usos fuisse.* Id namque manifeste probat quanto hic liber ipsis aliisque plurimis, qui ex illo pariter testimonia multa protulerunt, fuerit in pretio. Quod sane planius fiet ex ipsorum verbis, à nobis in calce harumce Dissertationum referendis.

Loc. sup. cit.

Quartum argumentum his tribus Eusebianis non incongrue forsan adiicies, nempe utilitatem libri hujus ex ejus lectione, vel etiam ex sola illius, quam dedimus, analysi posse à quolibet facile agnosci. Ex illa siquidem clare intelligitur, scopum Auctoris esse homines ad agendam peccatorum pœnitentiam, ad indefessam virtutibus omnibus, quarum præstantissima quæque præcepta tradit, dandam operam, ad persecutiones tyrannorum jam jam imminentes fortissime, & ad mortem usque patientissime sustinendas, adhortari, incendere, atque si fas fuisset, compellere. Quæ profecto quantæ christianis sint utilitatis nemo non videt.

Verumtamen si de Auctoris nostri libro sententia ex quorumdam hujusce temporis hominum acutiori ingenio ferenda sit, pronunciabitur illico illius dicendi genus ad persuadenda Religionis nostræ dogmata, quæ numquam fictis somniis, & falsis visionibus doceri debent, parum idoneum esse, omninoque ineptum. Non possumus quidem ire inficias Hermam uti potuisse alia methodo, styloque simpliciori; ideo tamen Opus

illius vituperandum aut abjiciendum esse palam aperteque negamus. Quis enim ob stylum scribendique genus Opus illud adspernari audeat, quod Patres antiquitate & doctrina celeberrimi, tantis laudibus extulere, quodque sanctissimi Præsules voluerunt publice in Ecclesiis legi, atque in omnium esse manibus? Dicendum itaque Hermam hoc scripsisse stylo; quia illum ad alliciendos movendosque hominum animos, atque ad tradendam doctrinam suam aptissimum & efficacissimum judicabat.

Articulus XII.

Utrum antiqui Patres illos spreverint?

Quid ergo inquies? Negari ne potest hunc librum ab antiquis despici ac pro nihilo putari? Certe Origenes expressis verbis dixit: *A quibusdam contemnitur.* Tertullianus vero: *Scriptura Pastoris sola mœchos amat .... ab omni concilio Ecclesiarum etiam vestrarum inter apocrypha & falsa judicatur.* Hieronymus autem illum non solùm contemni, sed & stultitiæ argui testatur: *Liber ille*, inquit, *apocryphus stultitia condemnandus est, in quo scriptum est, quemdam Angelum nomine Tyri praeesse reptilibus.* Denique Prosper Collatori, Hermæ auctoritatem objicienti, respondet: *Post illud autem nullius auctoritatis testimonium, quod disputationi suæ de libello Pastoris inseruit.* Verum si hæc Patrum testimonia diligentius examinentur, liquidò patebit primò Origenem non dixisse, qui fuerint, cujusve nominis, vel quibus rationibus fulti, ii qui hunc librum despicatui habuerunt. At certe ex ipsius mente eos obscuros fuisse, nullius auctoritatis, nullisque rationum

Loc. cit.

Libr. de Pudicit. cap. 20.

Lib. 1. Comment. in Habac.

Lib. cont. Collat. cap. 30.

momentis munitos, inde colligimus, quod ut vidimus, vir ille doctissimus doctrinam in hoc eodem libro traditam, divinitus inspiratam esse putaverit.

Quod spectat ad Tertullianum, certum est illum cùm hæc scriberet, jam in Montanistarum hæresim incidisse : nullique mirum esse debere, si tum ille objectam à catholicis Hermæ auctoritatem, vano contemtu, conatuque irrito eludere tentaverit.

Porro si contendas illud verum esse, quod ipse adjecit, hanc scripturam ab Ecclesiis catholicis inter apocrypha & falsa judicari: responsum accipies illum eo tantum sensu sic loquutum ; ut significaret hanc lucubrationem inter sacros Scripturæ libros non annumerari, vel ut verbis ejus utamur, *divino instrumento non incidi*. Neque enim potuit affirmare hunc librum ab Ecclesia rejici, ut apocryphum & falsum, id est, erroneum, suppositium, & fabulosum; quin continuò falsi ipse argueretur ab iis omnibus, quorum testimonia ad ejusdem libri veritatem utilitatemque probandam supra retulimus.

Quantùm vero ad Hieronymum, ipse eamdem libri nostri utilitatem in aliis lucubrationibus suis ante & post suum commentarium in Habacuc vulgatis, prædicat. Non poterat igitur omnem hunc librum stultitiæ insimulare. Et re quidem vera uni tantum illius loco, ubi de Angelo reptilibus præsidente, sermonem fieri putabat, censoriæ severitatis notam inussit. Verum ex infra dicendis non obscure demonstratur sanctum Doctorem in corruptum quemdam codicem, ex quo Auctoris mentem adsequi non potuerit, fortuito incidisse.

Ad Prosperi auctoritatem responsum est, hunc librum qui, teste Hieronymo, *apud Latinos pene ignotus* erat, ipsi quoque fuisse incognitum. Nec absurde etiam responderi potest, Prosperum dixisse *testimonium*, non vero librum Hermæ nullius esse auctoritatis. Quo quidem verbo datâ operâ ille forsitan usus est; ut ostenderet testimonium ex aliquo libri nostri loco à Collatore prolatum, nihil ad adserendam ejus opinionem conducere.

Articulus XIII.

Quam temere à quibusdam recentioribus contemnantur?

Cùm ergo tot Patres & antiquissimi & doctissimi utilitatem librorum Hermæ apertè prædicent, laudibusque maximis extollant, quis castigandam non censeat temeritatem recentiorum quorumdam Scriptorum, à quibus hic liber non summo tantum contemtui habetur, verum etiam audacter repudiatur, tamquam *suppostitius, & ut verisimile est, ab hæreticis depravatus, atque hæresibus & fabulis oppletus.* Verum enim verò argumentis neutiquam spernendis probavimus illum Hermæ verum genuinumque esse fœtum, proindeque suppositionis temere accusari.

Falsum autem est illum fabulis oppletum esse, quippe qui visiones tantum contineat, quas non plane immerito jure ab Auctore usurpatas paulo ante * ostendimus. Falsum est etiam hunc librum ab hæreticis depravatum fuisse, ut aperte colligitur ex variis Patrum testimoniis, ex omnibus illius partibus desumtis, quæ ibi prout ab eis prolata sunt, totidem verbis repperiuntur. Neque ta-

* Sup. §. 11.

men iidem Patres de hæreticorum corruptionibus umquam conquesti sunt, nec ullus poterit aliquando locus adsignari, qui ab hæreticis sit depravatus.

ARTICULUS XIV.

Hos libros plenos non esse hæresibus, & primo quidem circa Angelum bonum & malum singulis hominibus tributum.

Falsum est denique eumdem librum hæresibus oppleri: quod quidem nobis fusius probandum est. Bellarminus etenim & alii quidam Hermam idcirco erroris insimulant, quod ibi differat: *de duobus geniis, sive duobus Angelis, uno bono & altero malo, singulis hominibus à Deo tributis.... Quem errorem ex hoc Auctore accepit Cassianus, & ante eum Origenes.* At verò de hac opinione sic loquitur Cassianus, ac si eam non Hermæ, sed scripturæ sacræ auctoritate firmatam esse credidisset. Deinde Basilius & Gregorius Nyssenus in eadem de duobus Angelis, non secus ac Hermas, & Origenes sunt opinione. Magister verò sententiarum de illa tamquam nullomodo improbabili disputat. Estius porro id incertum esse adserit. Hæc igitur opinio immerito ab aliis nonnullis tamquam error noxius rejicitur. Qui plura de hac quæstione scire voluerit, adeat, si lubet, Gazæum in citatum locum Cassiani. & in ejusdem Collat. 13. cap. 12. Maldonat. in cap. 18. Matt. Huet. lib. 2. Origenian. quæst. 5. §. 30. & sequent.

De Scriptor. Eccles.
Lib. 2. Mandat. 6.
Collat. 8. c. 17.
In Isaiam 3. ¥. 12.
Libro de vita Moisis.
Lib. 2. sent.
In eumd. sentent. libr.

Nec prætermittendum autumasse quosdam hanc opinionem, *magis ad fabulas falsarum religionum pertinere, quam solidum in doctrina*

Christiana habere fundamentum. Sed cui credibile fiet Hermam à paganis potius quam ab apostolicis viris, sibi coævis, illam accepisse? Si ex Ambrosii aliorumque quorumdam doctissimorum Patrum principiis argumentemur, dicendum est è contrario paganos ab auctorum nostrorum fontibus omnia hausisse ejuscemodi doctrinæ dogmata.

ARTICULUS XV.

Hos libros non favere Novatianis.

Secundus error cujus Hermas arguitur, majoris profecto est momenti. Aiunt enim eum disseruisse *de unica pœnitentia secundùm errores Novatianorum, quibus hic liber omnino favere videtur.* Sed hîc mirari subit quam diversæ sint quandoque doctorum hominum de re una atque eadem nec plane obscura, sententiæ. Tertullianus enim Hermæ opinionem Novatianis è diametro oppositam adtribuit. Is quippe cùm Montanistarum, eadem cum Novatianis de unica pœnitentia sentientium, errorem amplexatus fuisset; nihil aliud catholicis Hermæ auctoritatem ipsi objicientibus respondet, quam illum ejusdem cum eis indulgentioris esse sententiæ: *Cederem*; inquit, *tibi, si scriptura Pastoris, quæ sola mœchos amat, meruisset.... adultera & ipsa, & inde patrona sociorum.* Verumtamen utrique à veritate ex æquo aberrant. Tertullianus quidem qui tradit Hermam, eo quod nec Montanista nec Novatianus esset, lenioris remissiorisque fuisse sententiæ: alii verò qui adserunt illum in severiorem & durissimam Novatianorum hæresim pedibus ivisse. Hoc postremum inde falsi convincitur, quod Hermas

Lib. de Pudicit. cap. 10.

suis in libris eo præcipue collimat; ut peccatores ad pœnitentiam agendam impellat, cujus ope omnes remissionem peccatorum adsequuturos esse pollicetur. Hinc Pastor ubique ab eo vocatur, *Nuncius, præpositus pœnitentiæ*, totamque commentationem suam his verbis concludit: *Cùmque vidisset Dominus bonam atque puram pœnitentiam eorum, & posse eos in ea permanere, jussit eorum peccata deleri.* Quibus sane verbis Novatianorum error funditus evertitur.

Lib. 3. cap. 9.

Objicitur tamen illum aperte dixisse: *Servis Dei una pœnitentia est.* Verum sancti Patres qui plura ex hoc libro testimonia exscripserunt, nihil hîc Novatiani veneni subesse suspicati sunt. Cur ergo unicam dixerit esse pœnitentiam, clarius explicari non potest, quàm verbis Ambrosii adversus ipsosmet Novatianos disputantis: *Merito*, inquit, *reprehenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant...... quia sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur; nam quotidiani nos debet pœnitere peccati: sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* Ambrosio concinunt & alii sancti Patres, ut nos aliquando ad hunc Doctoris nostri locum observavimus. Hermas igitur eodem ac Ambrosius sensu dixit: *Servis Dei una pœnitentia est*, nimirum; *quæ tamen publice agitur.*

Lib. 2. de pœnit. cap. 10. §. 95.

Verisimilius forsan objici posset, quod idem Hermas de transfugis, hoc est, à Christiana religione apostatis tradidit: *Transfugæ, ac nefanda loquentes, & proditores servorum Dei, illis proposita mors est, pœnitentia non est.* Idem enim ibi docere videtur, quod initio hæresis suæ Novatiani, nusquam Ecclesiæ ejusque ministris concessam

cessam à Deo potestatem dimittendi peccata *libellaticis, thurificatis & apostatis Christi nomen ejurantibus.* At respondemus in eo positum semper fuisse errorem Novatianorum, quod pertinaciter contenderent, quæcumque pœnitentia illorum criminum ageretur; ab iis tamen absolvendi ministris Ecclesiæ negatam esse facultatem. Verum id nullatenus negavit Hermas; quippe qui tantummodo dixerit: *Illis... pœnitentia non est*, hoc est, Deus eis illam, qua veniam absolutionemque peccatorum consequantur, occasionem facultatemque non concedet: vel ut ipse loquitur: *Dedit spiritum eis qui digni erant agere pœnitentiam.... At quorum adspexit dolum, & animadvertit ad se fallaciter reversuros, negavit eis ad pœnitentiam regressum.* Quod etiam Ambrosius ubi Novatianos acrius insequitur, & de blasphemia in Spiritum sanctum disputat, simili modo dicit: *Hos ergo qui hoc loquuntur, negat Christus ad veniam pertinere.* Et paulo post ubi de hæreticis ac schismaticis disserit; *Quibus*, ait, *indulgentiam negat.* Quid enim aliud hæc verba sonant, quam quod ait Hermas: *Illis pœnitentia non est?* Lib. 3. Similit. 8. Lib. suo. cit. cap. 4. Num. 22. & 24.

Si instes Hermam alibi scripsisse: *Hi qui cognoverunt Dominum, & mirabilia ejus viderunt, si nequiter vivant, duplo amplius punientur, & ipsi morientur in ævum*: responderi quidem posset Hermam ibi de illo peccato loqui, quod nonnulli Patres, si doctissimo Morino fides habenda sit, umquam remitti posse inficiabantur. Sed dicimus illic sermonem tantùm haberi de iis, qui in ipsa peccandi voluntate usque ad mortem perseverantes, in finali, ut aiunt, impœnitentia moriuntur. Lib. 3. Similit. 8. Lib. 9. de Admin. Pœnit. cap. 21.

Articulus XVI.

Eosdem libros immerito aliorum quorumdam errorum incusari.

Rivetus aliique nonnulli Calvinianæ sectæ homines Hermam aliorum quorumdam incusant errorum, qui potius doctrinæ ejus puritatem manifestam faciunt. Arguit enim ille quod ab eo
Crit. Sac. lib. 1. cap. 12. *contra Apostoli consensum adstruitur liberum arbitrium, solitudo Monastica, & purgatorium ab anu quadam visione tertia revelatum.* Sed quibus in locis duo priora errorum capita is docuerit, idem Rivetus non indicavit. Quid ergo in hoc libro contra Apostoli consensum de libero arbitrio adstruatur, divinare non possumus; nisi forte illud
Collat. 13. c. 12. sit, quod Cassianus refert his verbis: *Adjacere autem homini in quamlibet partem animi libertatem etiam liber ille qui dicitur Pastoris, apertissime docet, in quo duo Angeli unicuique nostrum adhærere dicuntur, id est, bonus ac malus; in hominis verò optione consistere, ut eligat quem sequatur.* Ex his
Lib. 2. Mandat. 6. Pastoris verbis duo infert Cassianus. 1. *Et idcirco manet in homine semper liberum arbitrium, quod gratiam Dei possit vel negligere vel amare*, id est, juxta ejus mentem, gratiam Dei absque ulla præveniente gratia amare. 2. *Inesse homini omnia anima naturaliter virtutum semina, beneficio creatoris inserta.* Sed hæc consectaria Cassiani sunt, non Auctoris nostri, qui nec citato loco, nec alibi quidquam de libero arbitrio docet, in quo ab Apostolo doctrinaque orthodoxa transversum unguem discesserit.

Quid verò Rivetus per solitudinem Monasticam sibi velit, non potest facile definiri. Quan-

doquidem si Monasterium, vel Monasticum institutum intelligat, ne hilum quidem de his apud Hermam reperire est. Si de Christiani à mundi negotiis & tumultibus secessu loquatur, hunc ab Apostolis omnibusque Ecclesiæ doctoribus commendari, negare quis audeat?

Denique si Hermas purgatorium adstrueret, nihil profecto statueret, nisi sanum omnino & planè orthodoxum. Attamen sincerò veritatis amore ducti libenter fatemur, in eo quem laudat Rivetus Hermæ loco non disputari de purgatorio, sed de pœnitentia in hoc vitæ cursu agenda, deque pœnis quæ eodem vitæ tempore hominibus ob eorum peccata infliguntur.

ARTICULUS XVII.

De variis editionibus & notis in hos libros.

Hi Hermæ libri editi sunt in Orthodoxographia & Hæreseologia, atque in omnibus sanctorum Patrum Bibliothecis, nec non apud Cotelerium inter Opera sanctorum Patrum, *qui temporibus Apostolicis floruerunt*. Privatim vero typis excusi sunt, curante Fabro, Parisiis apud Henricum Stephanum anno 1513. atque à Nicolao Herbelio Argentorati anno 1522. deinde curis Gasparis Barthii Cygneæ anno 1655.

Barthius animadversiones in hunc librum edidit, sed ille non immerito à Coteleri o vocatur: *Criticus minorum gentium*; Et certe observationes ejus parum dignæ sunt, quibus legendis tempus impendatur. Sed Lectoris adtentione vere dignæ sunt ipsius Cotelerii notæ, varia non secus ac aliæ ejusdem auctoris, eruditione & doctrina

refertæ. Quædam tamen minoris sunt utilitatis, parumque ad Hermam spectant, nec multum ad textus illius elucidationem conducunt.

Articulus XVIII.

Novæ observationes; & primo utrum Apostoli mortui prædicaverint nomen Filii Dei iis, qui erant apud inferos.

Neque porro cuiquam ingratum fore putavimus, si quædam obscurissima, aliaque nonnulla Auctoris nostri loca, novis observationibus pro virili illustrare contendamus. Primus sane difficillimus atque obscurissimus, qui tamen semel atque iterum citatur à Clemente Alexandrino, his verbis concipitur: *Apostoli & Doctores qui prædicaverunt nomen Filii Dei, cùm habentes fidem ejus & potestatem defuncti essent, prædicaverunt his qui ante obierunt, & ipsi dederunt eis illud signum. Descenderunt igitur in aquam cum illis, & iterum adscenderunt: sed hi vivi adscenderunt, at illi qui fuerunt ante defuncti, mortui quidem descenderunt, sed vivi adscenderunt. Per hos igitur vitam acceperunt, & cognoverunt Filium Dei; ideoque adscenderunt cum illis.* Hæc vox *signum* ibi nihil sonat aliud, quam baptismum; cùm subjungat continenter: *Descenderunt in aquam.* Sed cùm nullus nisi in hac vita, nec nisi ab hominibus viventibus, baptismo possit ablui: illic vero baptizantes Apostoli, atque ab eis baptizati mortui & corpore soluti dicantur, ibi profectò de solo baptismo spiritali agatur necesse est. Quod certè loci hujus difficultatem non minuit, sed auget plurimum.

Lib. 3. Similit. 9.

Certum est enim Christum post mortem suam ad inferos descendisse. Unde Augustinus: *Quis nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum?* Epist. 164. ad Evod. Constat etiam Christum tunc Patriarchis justisque hominibus, ibi degentibus, se se manifestasse, uti ex his Petri Apostoli verbis intelligitur: *Christus semel pro peccatis mortuus .... in quo & his qui in carne erant spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant, &c.* 1. Petr. 3. 19. Quo igitur modo Hermas dicere poterat: *Apostoli & Doctores prædicaverunt nomen Filii Dei .... his qui ante obierunt .... & cognoverunt Filium Dei?*

Clemens Alexandrinus videtur quidem difficultatis nodum secare, ubi Auctoris nostri verba citat, aitque Christum apud inferos Hebræis Evangelium annunciasse, Apostolos vero *iis qui ex gentibus apti erant ad conversionem. Et recte dictum est à Pastore: Descenderunt ergo in aquam, &c.* Lib. 6. Strom. §. 2. Verum si hac explicatione Clemens nodum difficilem expedire videtur, in alium profecto longè difficiliorem incidit. Docet quippe Hermam opinatum esse plures ex ethnicis hominibus justis cùm Christum illis Apostoli prædicassent, ab inferis liberatos, atque à Christo æterna felicitate beatos. Quæ quidem opinio ab Augustino tamquam omnino erronea repudiatur. Loc. sup. cit. Deinde Hermas nullum Judæos inter & ethnicos ponit discrimen, immo aperte loquitur de Hebræis per lapides 10. 25. & 30. adumbratis, quibuscum Apostoli quadragesimo lapide figurati descenderunt, eisque prædicaverunt nomen Filii Dei.

Quapropter putamus, salva tamen debita Clementi reverentia, Hermæ locum alio sensu exponendum, eo scilicet quo Augustinus supra relata Petri

Epist. 164. ad Evod. verba interpretatus est. Enimvero cùm Evodius ab eo illa sibi explicari poposcisset, Augustinus quantæ sint ibi difficultates primùm exponit; deinde respondet illis Petri verbis : *Iis qui in carne erant, spiritibus*, eos intelligi posse, *qui tunc erant in carne, atque ignorantiæ tenebris velut carcere claudebantur*. Neque tamen objiciendum erat, quod *Christus nondum venerat in carne*. Quoniam inquit sanctus Doctor : *Ipse utique non in carne, sed in spiritu veniebat visis congruis, colloquens quos volebat, sicut volebat*. Eodem igitur sensu Hermas dicere poterat quod *Apostoli & Doctores ... prædicaverunt his, qui ante obierunt*, hoc est, mortui sunt tenebris, ignorantia, infidelitate, & incredulitate.

At inquies, cur ergo de Apostolis subjungit : *Prædicaverunt nomen Filii Dei ... cùm defuncti essent?* Quidni & hæc Apostolorum mors spirituali quoque sensu intelligatur; quia nimirum vetus Ad Rom. 6. 6. eorum homo cum Christo crucifixus & mortuus fuerat, & destructum corpus peccati, ut loquebatur Paulus? Et certe hæc verborum Hermæ interpretatio inde confirmatur, quod ille continuò addat; *Sed hi vivi adscenderunt.* Quod quidem de vita spirituali ipsemet interpretatus, subdit : *Vitam receperunt; & cognoverunt Filium Dei.* Denique ex jam dictis certum est Hermam sermonem hîc facere de baptismo spirituali, id est, cognitione Filii Dei. Cur ergo totus iste locus spirituali sensu non intelligatur, cujus saltem quædam partes alio sensu explicari nequeunt? An vero genuinus hic sit verborum Hermæ sensus, aliorum esto judicium; nec illius repugnabimus explicationi, qui ea litterali sensu, ab omni errore alieno, poterit interpretari.

ARTICULUS XIX.

Utrum Hegrin *sit nomen Angeli?*

Alius Auctoris nostri locus obscurus & difficilis ibi occurit, ubi ille narrat se, cùm in belluam immanem incidisset, ab una virgine, quæ figura Ecclesiæ erat, audivisse: *Misit Dominus Angelum suum super bestias, cui nomen est Hegrin, & obturavit os ejus, ne dilaniaret te.* Autumant nonnulli Hieronymum sibi in animum induxisse *Hegrin* nomen esse Angeli, quod quidem ipsi adeo ridiculum fatuumque visum est; ut hoc elogio librum nostrum notaverit: *Liber ille apocryphus stultitiæ condemnandus est, in quo scriptum est quemdam Angelum nomine Tyri præesse reptilibus.* Alii tamen illud ab Hieronymi mente ita abhorrere putaverunt; ut illum de quodam libro apocrypho ac deperdito ista scripsisse crediderint. Et re quidem ipsa quid in his verbis deprehenditur, quod *stultitiæ* argui possit? Num ideo, quia Angelum præesse reptilibus adfirmat? Verum id docent cum antiqui Patres imprimisque Origenes pluribus in locis, tum Doctores scholastici post divum Thomam, qui air: *Unaquæque res visibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi præpositam.* Num autem ideo quia Angelum nomine *Tyri* appellaverit? Si res ita se habeat, vel erratum est in Operum Hieronymi editionibus, vel ipse manuscripto codice corrupto usus est. In aliis siquidem omnibus ac in editis legimus *Hegrin.* Cotelerius omnes animi nervos in eo contendit, ut investiget & perscrutetur, cur Angelus vocetur Hegrin; sed postquam diu multumque laboravit, tandem ingenue

Lib. 1. Comment. in Habac.

Homil. 14. in Numer. cap. 23. Homil 23. in Josue cap. 18 Homil. 6. in Hierem cap. 18. 2. Part. q. 110. art. 1. ad 3.

fatetur, quod *absque melioribus codicibus vix aliquid certi proferri queat.* Ditissima vero illustrissimi Colberti Bibliotheca unum non vetustæ quidem manus, quippe qui 300. annos non superet, suppeditavit nobis codicem, qui veram quam Cotelerius frustra quæsierat lectionem, unius litterulæ immutatione exhibere videtur. Sic enim in eo legimus: *Misit Dominus Angelum suum super bestiam, cujus nomen est Hegrin:* ex quo intelligere est *Hegrin* nomen esse non Angeli, sed bestiæ. Cur autem illam ita vocaverit, recte forsitan conjicies, si adtendas vocem *Hegrin* idem esse ac Græce ἄγριος, id est, immitis, ferox, vel fera, & bestia, ac probabile proinde videri Hermam adlusisse ad
Psal. 79. 14. hæc Psalmistæ verba: *Singularis ferus* μονιὸς ἄγριος *depastus est eam*, scilicet vineam. Hermas enim ibidem declarat, hanc bestiam figuram esse *pressuræ superventuræ*. Quamobrem cùm illic adjecit, quod Angelus *est super bestiam*, id est, super pressuram superventuram, nihil aliud sibi voluit, nisi eumdem Angelum à Deo esse præpositum, ut Christianos adversus imminentem tyrannorum persecutionem defenderet ac tueretur.

ARTICULUS XX.

Num Angeli omnia creaverint?

Tertius Hermæ locus, qui elucidatione aliqua indiget, ad omnes Angelos spectat. Cùm enim dixisset Angelos inter creaturas primos esse, quos
Lib. Vision. 3. Deus creaverit, subjungit: *Hi sunt Angeli Dei, qui primò constituti sunt, quibus tradidit Dominus universam creaturam suam struendi, ædificandi, & dominandi creaturæ illius.* Pro verbo autem *struendi*, legimus in codice Sancti Germani à Pra-

tis ab annis 800. descripto, nec non in Colbertino supra citato *creandi*. Quæ quidem lectio si vera sit, videtur Hermas impingere in eum errorem, quem antiquissimi hæretici à Platone atque Philone Judæo hauserunt, Angelos primos omnium à Deo creatos, ab eoque accepisse cætera omnia deinceps creandi potestatem. Verum Hermas huic errori non difficulter eximitur. Primò, quia codices, qui verbum *creandi* repræsentant, aliud scilicet *potestatem* vel aliquod simile omiserunt. Qua ergo oscitantia amanuenses illud verbum prætermiserunt, eadem etiam aliud potuerunt immutare. Deinde etiamsi Hermas voce *creandi* usus sit; eam tamen non in strictiori acceptione prò creaturæ, ut loquuntur Scholastici, ex nihilo productione, sed in latiori, atque latinis auctoribus magis usitata, pro simplici productione & institutione, ab illo usurpatam fuisse dicendum est. Nec ulli hoc mirum videri debet, cùm eodem sensu Ambrosius dixerit: *Quod autem & factum est, idem est & creatum.* Quod sane & multis aliis exemplis facilè posset probari. *Lib. 3. de Fide cap. 11. §. 81.*

ARTICULUS XXI.

Qui Doctores & præsides ministeriorum dicantur?

Non deerunt fortasse, quibus salebrosa videbuntur de sacris Ecclesiæ Ministris, hæc Scriptoris nostri verba: *Episcopi & Doctores, & Ministri.... Episcopatum gesserunt, docuerunt, & ministraverunt.* *Lib. 1. Simil. 3.* Libro autem tertio: *Tales sunt qui crediderunt quidam Episcopi, id est, præsides Ecclesiarum .... Et deinde qui præsides sunt ministeriorum, qui inopes & viduas protexerunt, & castam perpetuo* *Lib. 3. Simil. 9.*

conversationem habuerunt. Qui enim sunt illi *Doctores & præsides ministeriorum*, non cuivis statim occurret. Verum hæc planiora fient, si id quod à nemine vocatur in dubium, observetur, Diaconos à sanctis Patribus solo Ministrorum nomine passim appellari. Hinc enim intelligitur *Doctores*, qui Episcopos inter & Ministros medii collocantur, non alios proculdubio esse quam Presbyteros seu Sacerdotes. Cur vero Presbyteri Doctores nominentur, si rogaveris, disces à Dionysio Alexandrino, qui eodem plane ac Hermas sensu apud Eusebium dixit: συγκαλέσας τοὺς πρεσβυτέρους καὶ διδασκάλους τῶν ἐν ταῖς κώμαις ἀδελφῶν. *Convocatis Presbyteris ac Doctoribus, qui per singulos vicos Fratribus prædicabant.* Ex his quippe verbis colligitur Presbyteros per singulos vicos, id est, vicorum parochiis præfuisse, atque ibi cùm Fratribus prædicarent, doctores fuisse appellatos. Quod quidem Chrysostomus multo clarius breviusque edisserit: *Nam & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est & Magisterium* διδασκαλία. Quod ad præsides ministeriorum, ii forsan Presbyteri quoque erant. Siquidem Hermas de Diaconis Paulo ante dixerat: *Ministri male ministraverunt*: ab iis autem venit ad Presbyteros qui cùm Diaconis superiores essent, eos *præsides ministeriorum* appellavit. Si quis tamen contendat eosdem *præsides ministeriorum* non alios esse quam Diaconos; quia & ipsi ministri erant, & ministeriis inopum & viduarum præesse debebant, non omnino repugnabimus.

Euseb. Histor. Lib. 7. cap. 24.

Homil. in Epist. 1. ad Timoth.

ARTICULUS XXII.

De Xerophagiis.

Quærent alii cur Pastor tam severum jejunium

Hermæ indixerit: *Illa die*, inquit, *qua jejunabis, nihil omnino gustabis, nisi panem & aquam.* Fatetur quidem Hieronymus illud cæteris omnibus fortissimum jejunium esse. Solebat tamen olim à Christianis ultimâ Quadragesimæ hebdomadâ observari. Nec desunt qui hanc Xerophagiam lege aliqua præscriptam censeant: idque probare nituntur ex Tertulliano, qui Montanistarum hæresim amplexatus, de catholicis dicebat: *Arguunt nos quod etiam Xerophagias observemus*, &c. Sed idem ipse Tertullianus addidit: *Denique respondetis*, nempe catholici, *hæc ex arbitrio observanda non ex imperio.* Nulla igitur lege ejusmodi jejunia, teste Tertulliano, indicta erant; sed ex cujusque arbitrio observabantur. Hinc Epiphanius isthæc ad consuetudinem refert, non ad præceptum: *Præterea sex illos dies Xerophagiis, hoc est, arido victu transire populus omnis assuevit, hoc est, panem dumtaxat cum aqua sub vesperam adhibere.* Si lege data Xerophagiæ constitutæ fuissent, de iis eodem ac de quartæ & sextæ feriæ jejunio scripsisset: *Item quarta & sexta feria jejunium ad horam usque nonam indictum .... Ideo per illos dies jejunandum esse decreverant Apostoli.* At, inquies, legem hanc alibi commemorat: *Quid si*, aiebat, *ex Apostolorum constitutione repetenda nobis auctoritas est; cur illis quarta sextaque feria jejunium perpetua lege sancitur, excepta Pentecoste? Cur sex Paschatis diebus nihil omnino ad cibum præter panem, salem & aquam adhibendum definiunt?* Ibi certe utraque jejunia & quartæ sextæque feriæ, ac sex dierum Paschatis eadem lege atque Apostolica constitutione sancita esse pronuntiavit. Attamen ubi idem Epiphanius contra Aërianos, jejunia stata damnantes, dispu-

Lib. 3. Simil. 5. *Epist. 2.*

Lib. 1. cap. 1.

Ibid. cap. 15.

In exposit. fidei §. 22.

Hæres. 75. §. 6.

tat, cùm hoc præceptum maxime urgere deberet, illud in solam consuetudinem refundit: *Porro diebus ipsis Paschatis .... aridorum ciborum usu, precibus, vigiliis, ieiuniis .... celebrare solemus.* Ex quo non absurde forsitan colligas, verbum παραγγέλλουσι definiunt, quod superiùs adhibuit, non aliud sonare quam, admonent, vel hortantur; non autem præcipiunt, jubent, definiunt. In hujus certe explicationis firmamentum illud adduci potest, quod historici varias Ecclesiarum de hisce jejuniis fuisse consuetudines narrent, tum quia paulo post aliquid de severitate hujus jejunii in aliquibus saltem Ecclesiis remissum sit. Auctor enim Constitutionum Apostolicarum pani & aquæ sal & olera superaddi lubens concedit: *In diebus ergo Pascha jejunare incipientes à feria secunda usque ad Parasceven & Sabbatum, per sex dies solo utentes pane, sale, oleribus, & aqua potu.*

Hæres. 75. §. 3.

Articulus XXIII.

De matrimonii vinculo numquam solvendo.

Ex obscuris Hermæ locis ad ea progrediamur, quæ luce claritateque sua quæstionem de numquam solvendo connubii nexu, quam obscurissimam, implicatissimam & difficillimam dixit Augustinus, illustrare potest. Docet enim viro, qui uxorem suam adulteram dimiserit, ea vivente, alteram ducere in matrimonium nefas esse: *Si permanserit in vitio suo mulier, dimittat illam vir, & per se maneat. Quod si dimiserit mulierem suam, & aliam duxerit, & ipse mœchatur.* His Hermæ verbis quidam refelluntur, maxime vero Chemnitius, qui audacter asserit quæstionem hanc post Augustini tempora *horridius disputari.* Patres vero eodem

Lib. 1. de Adulter. conjug cap. 25 §. 31. & lib. 2. Retract. cap. 57.

Lib. de Mandat. 4.

Augustino antiquiores: *Non adeo*, inquit, *fuerunt asperi, duri, horridi, & immanes;* ut conjugi innocenti alteram sibi matrimonio copulandi facultatem negarent: *sed docuerunt rectius, præstantius, & perfectius esse, si etiam ille qui ab adultera separatus est, vel maneat sine conjugio, vel reconciliatam uxorem rursus recipiat.* Sed quam falsus sit Chemnitius, perspicimus ex nostro Herma, qui etsi Augustino longe antiquior, eodem tamen ac ille modo ejusmodi conjugia adulteria esse definivit. Idem adseverant Athenagoras & Justinus, ut suis locis videbimus, nec non & Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum. Denique id confirmatur ex Origene ipso atque Hieronymo, quos in opinionis suæ confirmationem Chemnitius protulit.

In Canon. 7. Session. 24. Conc. Trident.

Objicit enim hæc Origenis verba: *Scio quosdam qui præsunt Ecclesiis, extra Scripturam permisisse aliquam nubere, priori viro vivente.* At ipsemet confestim subdit: *Et contra Scripturam quidem fecerunt dicentem: Mulier ligata est, &c.* Non diffitemur quidem illos aliqua ex parte excusari ab Origene, qui subjunxit continenter: *Non tamen omnino sine causa hæc permiserunt; forsitan enim propter hujusmodi infirmitatem incontinentium hominum, pejorum comparatione, quæ mala sunt, permiserunt adversus ea quæ ab initio fuerunt scripta.* Vir autem ille doctissimus à culpa eos non liberat. At in eo tantum excusandos esse censet, quod minus malum, ut majus devitaretur, permiserunt. Hanc tamen permissionem, quantumvis justa videatur, auctoritati Scripturæ sacræ repugnare testatur; proindeque ejusmodi connubia ab eadem Scriptura proscribi & damnari non obscure significat.

Tract. 7. in Matth.

Hieronymus vero, quem etiam Chemnitius no-

bis objicit, ipsi adhuc, multoque planius quam Origenes adversatur. Ubi quippe ad Oceanum scribit Fabiolam ideo, priore viro suo vivente, alteri nupsisse: *Quia persuaserat sibi, & putabat virum à se jure dimissum;* continuò subjungit: *Nec Evangelii rigorem noverat, in quo nubendi universa causatio, viventibus viris, feminis amputatur.* Narrat deinde quomodo publicam hujusce secundi conjugii, non secus ac si adulterium commisisset, pœnitentiam egerit. Non solum autem ibi has nuptias à Scriptura sacra prohibitas esse docet, sed in suis etiam ad Matthæi Evangelium Commentariis id palam aperteque pronuntiat.

Epist. 30.

In cap. 10. Matth.

Major sane, ne quid dissimulemus, oritur difficultas ex his Epiphanii verbis: *Sed cui mortua una non sufficit, cùm occasione aliqua stupri adulteriique, aut alterius flagitii,* ἢ κακῆς αἰτίας, *cum ea divortium fecerit; is si alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupserit, sacrarum litterarum auctoritas ab omni culpa illos absolvit; neque ab Ecclesia, aut æternâ vitâ rejicit, sed propter imbecillitatem tolerandos existimat.* Eruditissimus Petavius putat hunc Epiphanii locum esse depravatum; fatetur tamen eumdem Epiphanium ibi subscripsisse opinioni quorumdam veterum Scriptorum, quibus post legitimum divortium permissa innocentibus conjugibus hujusmodi matrimonia videbantur. Verum si corruptus est Epiphanii locus, quid certi ex eo confici poterit? Porro Epiphanius de iis secundis nuptiis disputat, quas non stupri adulteriique tantum, sed cujuslibet flagitii causâ, ἢ κακῆς αἰτίας, permissas esse adfirmat. At certe Epiphanium conjugi innocenti ob cujusvis alterius conjugis flagitium, contra Scripturæ auctoritatem,

Hæres. 59. §. 4.

aliud inire matrimonium permisisse nemini umquam, ut arbitror, probabitur. Vero igitur est similius eumdem Epiphanium illic de nuptiis post conjugis mortem contrahendis disputare, vel nihil certi ex ipsius textu, donec emendetur, posse definiri.

Certum est igitur hanc fuisse Patrum etiam ante Augustini ætatem sententiam, conjugium nulla umquam de causa à quoquam solvi posse. Si quid vero contra vel scriptum vel factum proferatur, illud vel minoris alicujus mali, quo aliud majus peccatum evitaretur, tolerantia fuit, vel certe abusus aliquis, à cæteris omnibus improbatus.

Quapropter provocant nos adversarii ad divinam Matthæi auctoritatem, qui expressis verbis statuit: *Omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari*, & ỳ. 19. *mœchatur: & qui dimissam duxerit, adulterat.* Si autem dixeris nec Marcum, nec Lucam, nec Paulum, qui de hac uxoris dimissione loquuntur, hujus exceptionis ullibi fecisse mentionem, illamque tanti esse momenti, ut si quando à Christo posita esset, ab iis numquam fuisset prætermissa: illud ii illico reponent, nisi à Christo esset addita, numquam illam Matthæus tam expresse tradidisset. Verum quidquid de sacro eorum textu dicatur, certum est divinos illos Scriptores nullomodo inter se pugnare, aut à se ipsis dissentire. Cùm ergo unus omnium sit consensus, sic eos conciliari posse putamus, ut hæc exceptio Matthæi: *Exceptâ fornicationis causâ*, non ad verbum *dimiserit*, sed ad *aliam duxerit*, referenda sit. Unde non alius erit verborum Matthæi sensus, quam viro illi, cujus uxor est adultera, eam dimittendi, non aliam ducendi datam à Christo potestatem. Quo quidem

Matth. 5. 32. & 19. 9.

Marc. 10. 11. Luc. 16. 18. Paul. 1. Cor. 1. & ad Rom. 7.

sensu non discrepat à Paulo aliisque, qui plures fatentur esse causas, propter quas conjuges à se invicem separari possunt.

Instabis tamen, si exceptio ad verbum *dimiserit* referatur, nulla alia secundùm Matthæum erit divortii causa, nisi fornicatio seu adulterium. Atqui ex Paulo, atque etiam ex nostro Herma, cæterisquè Patribus, aliæ sunt, & quidem plures causæ, ob quas conjuges à se invicem sejungi possunt. Exceptio igitur Matthæi non ad verbum *dimiserit*, sed ad *aliam duxerit*, debet necessario referri. Tota vis hujus argumenti in eo sita est, quod Matthæus unius tantum exceptionis mentionem fecerit. Sed respondemus ideo unius tantummodo meminisse, non ut alias, quas Paulus aliique commemorant, omnino excluderet; sed quia illa maxima omnium erat & gravissima. Alias itaque exceptiones prudenti silentio prætermisit; quia leviores erant; quia brevioris temporis separationem poscebant; quia denique mens illi erat unius præcipuæque exceptionis commemoratione arctissimum atque à nullo umquam homine solvendum matrimonii vinculum, omnibus magis magisque commendare.

ARTICULUS XXIV.

De libro apocrypho de Heldam & Modal.

Antequam manum de tabula levemus, paucis monebimus laudari ab Herma librum de *Heldam* & *Modal*, qui duo viri erant, quorum mentio in sacris Numerorum libris habetur. Sed hunc eumdem librum ad apocrypha amandant Synopsis Athanasiana, & Stychometria, Chronographiæ Nicephori superaddita. Porro hæc adnotamus, ut hujus libri antiquitas, quæ Auctoris nostri ætatem superat, ab omnibus observetur.

DISSER-

DISSERTATIO QUINTA

IN HISTORIAM PROCHORI, CHRISTI DISCIPULI, de vita, miraculis & adſumtione beati Johannis Apoſtoli.

ARTICULUS PRIMUS.

Hanc hiſtoriam ſuppoſititiam eſſe & adulterinam.

QUID in hac lucubratione tractetur, titulus ipſe Operis ſatis ſuperque declarat. Illud autem adulterinum eſſe omninoque ſuppoſititium una eſt omnium & catholicorum & aliorum vox & conſenſus. Magiſter vero Sacri Palatii illud idem apocryphum, fabuloſum, quodque à quoquam legarur penitus indignum pronuntiat. Non eſt igitur neceſſe ut huic probandæ ſuppoſitioni, quam nullus negat, diu multumque immoremur. Præcipua tamen argumenta, quibus illud demonſtretur, ne quid officio noſtro deſit, breviter perſtringenda ſunt. Primum igitur & quod prima fronte occurrit, eſt pſeudo-ſynodus Apoſtolorum, qua illi in omnes mundi partes ad prædicandum Evangelium ſorte mittuntur. Johannes vero ſorte ſua non contentus, propter eam vehementer in eadem ſynodo reclamat, graviterque conqueritur. Sed facti cito pœnitens, veniam ab Apoſtolis ſupplex impetrat. Quod quidem, quantumvis abſurdum, bis & tertio repetitur. Denique Petro & Jacobo verba ibidem tribuuntur, quæ ipſis numquam venerunt in mentem.

Quis autem id sibi persuadeat, quod in hac historia narratur, Johanne ex dolio ferventis olei egresso, *Christi fideles qui illic aderant ante portam Latinam, Ecclesiam posuerunt, in ejus nomine dedicantes.* Scilicet tunc temporis Christianis per paganos aliosque idolorum cultores Ecclesias ædificare licebat?

Cap. 11.

Præterea Prochorus ille inducit Johannem verba Pauli & Petri, uti ex illius epistolis & Actis Apostolorum liquet, tamquam vere à Christo profecta essent, referentem. Tantæ tarditatis & stupiditatis erat larvatus iste Christi discipulus; ut magistri sui vocem ab aliis discernere non posset!

Quid insuper quod Opus illud fabulis falsisque narrationibus, nulla arte nulloque ingenio compactis, omni ex parte contextum compositumque est. Denique ex sola illius lectione cuivis patet, quam merito illius auctor homo *mendacissimus* appelletur; quandoquidem si quæ vera, quod rarissime contingit, facta narrat, eadem continuo mendaciis figmentisque suis adulterat & corrumpit.

ARTICULUS II.

Quis fuerit illius auctor, aut qua ætate vixerit?

Quis fuerit impostor ille, aut qua ætate vixerit scire parum interest, satiusque esset ejusmodi Scriptorum Opera in lucem numquam emitti, vel perpetuis tenebris obrui, quam multam operam in auctoribus eorum inquirendis frustra consumere. Si quid tamen curiositati hac in re concedendum, nobis haud ægre suadebitur, hanc historiam in Synopsi Athanasiana sub titulo περίοδος τοῦ Ἰωάννου *Circuitus Johannis* inter apocrypha ablegari. Enim-

vero nihil aliud illa continet, nisi Johannis itinera ab urbe Jerosolyma Ephesum, Epheso Romam, Roma rursus Ephesum, Epheso in insulam Pathmos, indeque tertio Ephesum. Quibus adjiciuntur miracula, quæ iisdem in civitatibus, dum ibi commoraretur, patraverat. Quominus tamen opinioni huic præbeamus adsensum, illud cohibet, quod Prochorus adserat Johannem dixisse esse in sanctissima Trinitate *tres hypostases in una substantia.* Siquidem id argumento est illum post synodum Nicænam, & postquam nomen hypostasis ad personam propriè significandam usurpatum est, historiam suam vulgasse. Synopsis vero si Athanasii opus sit, hanc ætatem superat, nostramque historiam notare non potuit. Cæterum qua ratione Prochorus Johannem Evangelium suum scripsisse memorat, illud iis quæ de eodem argumento prodidit Metaphrastes, adeo simile est; ut hunc qui alios compilare solet, ab Auctore nostro sua mutuatum esse certum videatur. Ea propter si Metaphrastes sæculo decimo libros suos exaravit, Prochorus antea historiam suam condidisse dicendus est.

ARTICULUS III.

De editionibus hujus historiæ.

Narratio ista quantumlibet fabulosa, edita est in Bibliotheca Patrum Parisiis anno 1576. Rursus ibidem typis excusa *apud Michaëlem Sonnium anno 1583. R. Laurentii de la Barre studio & industria castigata, atque per ordinem redacta.* Ex hac secunda editione, rursus prodiit in Bibliothecis Patrum Parisiis, Coloniæ & Lugduni. Sed duæ

posteriores, quæ censuram Bellarmini eidem præmiserunt, illam vel in appendicem ablegare, vel potius omnino prætermittere debebant.

DISSERTATIO SEXTA IN DUOS LIBROS BEATI LINI ROMANORUM PONTIFICIS de Passione Petri & Pauli, ad Ecclesias Orientales.

ARTICULUS I.

Hos libros esse suppostitios.

EXHIBENTUR in his duobus libris Acta martyrii sanctorum Petri & Pauli, id est, ea quæ in ultimo vitæ eorum agone acta sunt. Sed illa tamquam notha & spuria ab iisdem Scriptoribus, eademque adspernatione, ac superior Prochori historia, repudiantur. Eorum falsitas & suppositio omnibus semetipsam aperte prodit. Enimvero Petrus ibi conjugia solvit, & uxores à viris etiam invitis separat. Quæ quidem divortia licet non eadem omnino sint, quidquid nonnulli reclament, ac ea quæ leguntur in alio libro, olim nomine Augustini inscripto; constat tamen illa divinæ Pauli doctrinæ penitus adversari. Eadem falsitas in eo deprehenditur, quod ibi narratur Petrum, inscio Nerone, à quo conjectus fuerat in carcerem, jussu Agrippæ necatum. Neque etiam motus ac seditiones ob Apostolorum condemnationem concitata, magis vera sunt, quàm mors & resurrectio Patrocli, quàm

De fide contra Ma. lib. c. 38.

visiones quibus Petrus & Paulus Neroni aliisque adparuerunt; quàm id tandem quod scribitur Romam pene omnem Christianæ religioni fuisse addictam.

Quid vero magis puerile & insulsum, ac gravitate Apostolica minus dignum, quam sermones, quos Pseudo-Linus ab Apostolorum principibus profectos esse refert? Denique tam plumbeus & stolidus est impostor ille; ut aliquando verba quæ Pauli esse scimus, Petro adtribuat; aliquando verò Paulum in suis adversus idolorum cultores disputationibus Scripturæ sacræ verba, tamquam certissimæ apud eos auctoritatis, citantem introducat.

Articulus II.

De eorum antiquitate.

Eruditissimus Cardinalis Baronius arbitrabatur exstitisse quondam vera ac genuina martyrii sanctorum Petri & Pauli Acta, quæ vel adjectis fabulis corrupta in libris Pseudo-Lini, vel ab iis penitus diversa erant. Censet autem hos libros tantæ esse antiquitatis; ut falsis quæ ibi memorantur, Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam texendis epistolis ansam dederint. Existimant tamen alii, quod nobis probabilius videtur, mentionem harum litterarum, in libris nostris fieri; quia prius conscriptæ fuerant. Addamus, si lubet, verisimillimum etiam nobis videri, quæ ibidem de Petri ad suadendam castitatem concionibus, deque ejus Roma exeuntis visione leguntur, illa nihil aliud esse, quam eorum quæ hisce de rebus Ambrosius vel forsan Hegesippus scriptis mandaverant, amplificationem. *Serm. cont. Ax[entium] Tom. 2. pag. 867. lib. 3*

Articulus III.

De eorum editionibus, inscriptione, versione versionisque ætate.

Hi duo libri in iisdem, ac superior Prochori historia, editionibus prodierunt. In Bibliotheca vero Patrum Parisiis anno 1576. inscribuntur: *D. Lini, Romanorum Pontificis secundi, de D. Petri passione tradita Ecclesiis Orientalium, & deinceps in Latinum conversa, liber primus.* Qua quidem epigraphe docemur hos libros primum Græce editos; quamvis Latina dictio primigenium quid, atque ab ipso fonte profluens referat. Cæterum hæc Latina versio, si vere versio sit, barbara est omnino, nec ante infimæ Latinitatis tempora potuit in publicum emitti. De ea fortasse certum ferre judicium liceret, si Acta martyrii Apostolorum Petri & Pauli, quæ Johannes Jacobus Chifletius Vezontione repererat, quæque sincera & vera esse scripsit, ab eo fuissent publicata. Veremur tamen ut tam vetustæ, quam ipse dixit, sint auctoritatis. Quandoquidem ejusmodi manuscripti codices, qui ad singularum Ecclesiarum usum exarati erant, à se invicem adeo sunt diversi; ut quis illorum ex archetypo emanaverit, vix umquam definiri posse videatur. Illud autem adseveramus penes nos fuisse varia manuscripta annorum 300. 400. & 500. ubi hæc Acta Latine tantum occurrunt cum hac simpliciori inscriptione: *Incipit martyrium beati Petri Apostoli à Lino Episcopo conscriptum.* Unde conjicias cætera omnia, quæ in aliis codicibus manu exaratis vel editis leguntur, illis postmodum fuisse superaddita. Quapropter ex manuscriptorum

nostrorum epigraphe colligi non potest, an hæc Acta Latine tantum edita fuerint, nec qua in urbe Linus Episcopus sederit. Verum quidquid de his dicatur, certum est hos libros opus esse imperiti cujusdam nebulonis, cujus nomen & scripta tenebris sempiternis sepeliri debuissent.

DISSERTATIO SEPTIMA

DE EPISTOLIS SANCTI IGNATII, Episcopi Antiocheni & Martyris veris, interpolatis & suppositiitiis.

PRIUSQUAM nostram de sancti Ignatii, Episcopi Antiocheni & Martyris epistolis Dissertationem adgrediamur, operæ pretium esse duximus, varios qui in variis libris, cum editis, tum manuscriptis occurrunt, texere earumdem epistolarum catalogos; ut uno eodemque intuitu unusquisque intelligat & quæ epistolæ, & quo ordine Ignatio à diversis Scriptoribus, diversisque temporibus, fuerint adtributæ, ac de quibus tandem disputatio nostra instituatur.

ORDO EPISTOLARUM
Divi Ignatii Episcopi Antiocheni & Martyris, juxta codices editos & manu exaratos.

ORDO EDITIONIS USSERII.	ORDO EDITIONIS VOSSII.	ORDO BIBLIOLHECÆ PATRUM, Græco-Latinæ, & aliarum eorumdem Patrum Bibliothecarum.
Sancti Polycarpi Martyris, Smyrnæorum Episcopi, discipuli sancti Johannis Evangelistæ ad Philippenses.		
Polycarpus & qui cum eo, &c.		*Epistola Latina tantum.*
1. Ad Ephesios. *Suscipiens vestram, &c.*	1. Ad Smyrnæos. *Glorifico Jesum, &c.*	1. Joanni sancto Seniori. *Frater de tua mora, &c.*

Ordo edit. Usser.	*Ordo edit. Voss.*	*Ordo Bibliothec.*
2. Ad Magnesianos. *Cognoscens vestram, &c.*	2. Ad Polycarpum. *Acceptans tuam, &c.*	2. Johanni sancto Seniori. *Mihi si licitum est, &c.*
3. Ad Trallianos. *Immaculatum animum, &c.*	3. Ad Ephesios. *Acceptans in Deo, &c.*	3. Ad beatam Mariam Virginem. *Me Neophytum, &c.*
4. Ad Romanos. *Deprecans Deum, &c.*	4. Ad Magnesios. *Cognoscens vestram, &c.*	
5. Ad Philadelphienses. *Videns autem Episcopum, &c.*	5. Ad Philadelphios. *Quem Episcopum, &c.*	
6. Ad Smyrnenses. *Glorifico Deum, &c.*	6. Ad Trallesios. *Incoinquinatum, &c.*	
	7. Ad Romanos. *Deprecans Deum, &c.*	
Epistolæ Ignatio adscriptæ.	Epistolæ Ignatio perperam adtributæ.	Beatæ Mariæ Virginis ad Ignatium.
Ignatio Maria Proselita. Chassaobolorum, &c.	*Ignatio Maria ex Cassobelis.*	*De Jesu, quæ à Johanne, &c.*
Semper tibi eramus, &c.	*Quia miraculis, &c.*	Epistolæ Græco-Latinæ.
1. Ad Mariam Cassobolitam. *Optima quidem figuratio littera, &c.*	1. Ad Mariam Neapolim, quæ ad Zarbum. *Melius quidem littera, &c.*	1. Ad Mariam Cassobolitam. *Litteris tanto melior, &c.*
2. Ad Polycarpum Episcop. Smyrnensium. *Suscipiens in Deo, &c.*	2. Ad Tarsenses. *A Syria usque Romam, &c*	2. Ad Trallianos. *Inculpatam sine omni, &c.*
3. Ad Tarsenses. *Satiatus sum in omnibus, &c.*	3. Ad Antiochenos. *Levia mihi & non onerosa, &c.*	3. Ad Magnesianos. *Ubi cognovissem caritatem, &c.*
4. Ad Antiochenses. *Levia mihi & non onerosa, &c.*	4. Ad Heronem Diaconum, Ecclesiæ Antiochenorum. *Deprecor te in Deo, &c.*	4. Ad Tarsenses. *A Syria Romam usque, &c.*
	5. Ad Philippenses de Baptismo. *Memores caritatis, &c.*	5. Ad Philippenses, de Baptismate. *Memores caritatis, &c.*
6. Ad Heronem, Eccl[illegible]		6. Ad Philadelphienses.

Ordo edit. Usser.	Ordo edit. Voss.	Ordo Biblioth.
siæ Antiochenæ Diaconum. *Rego te in Domino.*		*Conspectu vestro Episcopo, &c.*
7. Ad Philippenses de Baptismo. *Memores caritatis, &c.*		7. Ad Smyrnenses. *Glorifico Deum, &c.*
		8. Ad Polycarpum, Episcopum Smyrnæ. *Probans & suscipiens animum, &c.*
		9. Ad Antiochenos. *Levia minusque gravia, &c.*
		10. Ad Heronem Diaconum Antiochiæ. *Obsecro te in Deo, &c.*
		11. Ad Ephesios. *Commendavi vestram, &c.*
		12. Ad Romanos. *Deprecatus Deum obtinui, &c.*
Epistolæ Latinæ tantum.	*Epistolæ Latinæ tantum.*	
1. Johanni sancto Seniori. *De tua mora, &c.*	1. Johanni sancto Seniori. *De tua mora, &c.*	
2. Johanni sancto Seniori. *Si licitum est mihi, &c.*	2. Johanni sancto Seniori. *Si licitum est mihi, &c.*	
3. Christiferæ Mariæ. *Me Neophytum, &c.*	3. Christiferæ Mariæ. *Me Neophytum, &c.*	
Mariæ ad Ignatium. *De Jesu, quæ à Johanne, &c.*	Epistolæ interpolatæ.	
1. Ad Ephesios.	1. Ad Ephesios. *Suscipiens vestram, &c.*	

Ordo edit. Usser.	*Ordo edit. Voss.*
2. Ad Magnesios.	2. Ad Magnesianos. *Cognoscens vestram, &c.*
3. Ad Trallesios.	3. Ad Trallianos. *Immaculatam animam, &c.*
4. Ad Romanos.	4. Ad Philadelphienses. *Videns autem Episcopum, &c.*
Ad Philahelphicos.	5. Ad Smyrnenses. *Glorifico Deum, &c.*
6. Ad Smyrnæos.	6. Ad Polycarpum Episcopum Smyrnensium. *Suscipiens autem tuam, &c.*
7. Mariæ Proselytæ Chassaobolorum.	7. Ad Romanos. *Deprecans Deum, &c.*
8. Ad Polycarpum.	
9. Ad Tarsenses.	
10. Ad Antiochenos.	
11. Ad Heronem Diaconum Ecclesiæ Antiochenorum.	

Ordo *Manuscripti græci Colbertini, in carta papyracea scripti.*	Ordo *Manuscripti Latini Colbertini, annorum 500. ad 600.*
Epistola deest.	1. Ad Mariam.
Initio mutila est.	2. Ad Trallianos.
πρὸς Τραλλεσίους.	
πρὸς Μαγνησίους.	3. Ad Magnesianos, scripta de Smyrna.
πρὸς τοὺς ἐν Ταρσῷ.	4. Ad Tarsenses scripta de Philippis.
πρὸς Φιλιππησίους, περὶ βαπτίσματος.	5. Ad Philippenses, de baptismo ... pta de Endanno, per Eufantu... ctorem navim adscensurum.
πρὸς Φιλαδέλφους.	6. Ad Philadelphienses, scripta de Troja.
πρὸς Σμυρναίους.	
πρὸς Πολυκάρπον ἐπίσκοπον Σμυρναίων.	8. Ad Polycarpum Episcopum eorum, de illuminatis.

9. πρὸς Ἀντιοχεῖς.	9. Ad Antiochenſes, ſcripta à Philippis.
10. πρὸς Ἥρωνα διάκονον Ἀντιοχῆα.	10. Ad Hironem Diaconum Eccleſiæ Antiochenæ, quem ei Dominus oſtendit ſeſſurum in ſede ejus.
11. πρὸς Ἐφεσίους.	11. Ad Epheſios, ſcripta de Smyrna: de unitate.
12. πρὸς Ῥωμαίους.	12. Ad Romanos ſcripta de Smyrna per Epheſios.

PARS PRIMA

DE VERIS IGNATII EPISTOLIS.

CAPUT PRIMUM.

Status quæſtionis & genuinarum Ignatii epiſtolarum analyſis proponitur.

§. I.

Status quæſtionis proponitur.

Quatuor ſunt epiſtolarum Ignatii claſſes, quarum prima eſt earum, quas Iſaacus Voſſius ex manuſcripto Græco Bibliothecæ Florentinæ Græce edidit, quarumque antiquam verſionem Latinam Uſſerius Archiepiſcopus Armachanus ex duobus codicibus manu exaratis, altero Bibliothecæ Richardi Montacutii, altero Cantabrigenſis antea vulgaverat.

Secunda claſſis eaſdem complectitur, ſed interpolatas, ac cum ſuis additionibus Græce & Latine editas.

Tertia claſſis quinque alias continet, Græce item & Latine publicatas, quæ in editionibus Uſſeriana ac Voſſiana, aliis ſupra memoratis, ſubjunguntur.

Quarta denique in classi collocantur tria Ignatii epistolia, duo ad Johannem Evangelistam & tertium ad sacram virginem Mariam, Christi matrem, cui ejusdem Mariæ ad Ignatium responsio subnectitur. Hæc autem omnia ut uno intuitu ab omnibus videri queant, varios epistolarum omnium catalogos, huic Dissertationi præmittendos texuimus.

Omnium autem harumce epistolarum examen ab iis ordimur, quæ primæ sunt classis, & de quibus præcipua nunc ac pene omnis inter eruditos est controversia. Septem sunt ejuscemodi epistolæ, quarum ut major habeatur notitia, atque de iis ab omnibus certius judicium ferri possit, brevem earum, sed claram accuratamque pro virili analysin præmittemus.

§. II.

Analysis septem epistolarum Ignatii.

Cùm Ignatius Antiochiæ damnatus esset ad bestias, Romamque ut iis objiceretur, vinctus duceretur, & Smyrnam appulisset; inde quatuor priores, de quibus jam agitur, dedit epistolas. Harum prima Ecclesiæ Ephesinæ, quæ ad eum ex diutissimi itineris defatigatione recreandum reficiendumque, Onesimum Episcopum suum una cum Byrro, Euplo, & Frontone miserat, destinata est. Hanc Ecclesiam, ob eximiam in se caritatem primùm laudat, gratiasque maximas ei rependit. Tum Christianos omnes quorum se discipulum esse, etsi lubens fateatur, victus tamen sui erga eos amoris zelo, monet ut in eadem semper cum Onesimo & necessitudine & obedientia perseverent; quantaque inde singulis quibusque bona atque u-

tilitates oriantur, eisdem aperit. In hoc autem quod quosdam hæreticos, qui Christi mortem & resurrectionem fictam & simulatam esse dicebant, noluerint audire, sed continuas ad Deum preces pro illorum conversione fuderint, fidem illorum prædicat. Sub hæc nonnulla eis tradit vitæ morumque præcepta, ibique de se tanto sentit humilius, quanto virtutes illorum altius extollit. In primis verò eos hortatur fidem integram servent, ac semper credant Christum vere ex Maria virgine natum: sed matris virginitatem & mortem Filii, cujus divinitas eo sydere, quod supra astra omnia resplenduit, manifestata est, diabolo prorsus fuisse incognitas. Pollicetur deinde se aliam ad eos, si per Deum liceat, daturum epistolam: ac tandem postquam eorum orationibus Antiochenam Ecclesiam commendavit, primæ huic epistolæ finem imponit.

Secunda scripta est Ecclesiæ Magnesianæ, quæ Damam Episcopum suum, & Bassum atque Apollonium Presbyteros, ac Solonem Diaconum ad eum direxerat. Hi postquam Ignatium de felici ejusdem Ecclesiæ statu certiorem fecissent, ad eam confestim hanc exaravit epistolam, in qua de se summa cum demissione loquutus, illius caritatem, concordiam, cæterasque virtutes Christianas summe prædicat. Eam quoque ob causam, breviorem se fecisse epistolam testatur; quod hominibus tot tantisque virtutibusque præditis, prolixiorem scribere opus non erat. Illis itaque dumtaxat, ut Presbyterorum instar, in debita Episcopo suo, licet juniori, obedientia, reverentia adversus Presbyteros & Diaconos exhibenda, mutuaque inter se pace & concordia servanda semper perseverent, adhor-

tatur. Docet deinde omnes Moysis lege solutos, sola Christi Servatoris lege teneri ; quem vere mortuum & à mortuis suscitatum esse demonstrat. Quod quidem non ideo argumentis probandum se suscepisse dicit, quod eorum aliqui illud non crederent ; sed ut eos omnes adversus quorumdam errores, qui id impie negabant, præmuniret ac tueretur. Ea propter illos ut in doctrina Domini & Apostolorum firmissime stabiliantur, Episcopoque suo morem semper gerant, obsecrat obtestaturque. Denique sui ipsius & Ecclesiæ suæ Antiochenæ brevi commendatione claudit epistolam.

Tertia ad Ecclesiam Trallensem ab eo data est, postquam per Polybium ejusdem Ecclesiæ Episcopum, ad se ab ea missum, certò accepisset Trallenses Christianos *inculpatam mentem habere & insuperabilem in patientia,* eosque vere esse imitatores Dei. Ille enim his nunciis gaudio perfusus, hanc scripsit epistolam, qua eis de tot eximiis virtutibus plurimum gratulatus, eosdem ut Episcopum obedientia, Presbyteros veneratione, observantia Diaconos prosequantur, amice monet. Subdit se quamvis nihil molestius umquam tulerit, quam nimias quorumdam laudes ; negare tamen non posse cognitionem scientiamque non vulgarem divinitatis, Angelorum, rerumque cælestium, quam cum ipsis, nisi adhuc essent infirmiores, ultro communicaret, sibi divinitus fuisse concessam. Verumtamen præter has cognitiones, quantumvis sublimes, sibi alias multo majores deesse, nec se primis discipulis proximum numerari, ultro fatetur. Post hæc commonefacit Trallenses, ab iis qui Christum fictum hominem, simulatè mortuum & exsuscitatum audacter adserebant, in primis ca-

veant; nec laqueos eorum facilius, quam sua in Episcopum sacrosque ministros obedientia declinari posse. Deinde illos, & suis, & Smyrnensis, ac Ephesinæ, aliarumque Ecclesiarum nomine salutat, atque ad mutuam inter se pacem,& in Episcopum Presbyterosque suos observantiam rursus excitat. Poscit denique ut fusis ad Deum precibus eam, quâ martyrium suum consummare possit, gratiam exorent.

Quarta ultimaque epistola, Smyrnæ data, ad Christianos Romæ degentes directa est, illâque Ignatius eos de martyrio suo, in eorum urbe perficiendo, certiores facit. Illos vero omnibus quas ardentissimus martyrii zelus suggerere poterat, rationibus pulsat; ne mortem suam, quod unum timebat, prohibere tentarent. Subjungit se crudelissimis satellitum, à quibus ducebatur, vexationibus ad adsequendam martyrii palmam præparari: se Romanis non præcipere, sed eos obtestari, ut à Deo impetrent corpus suum, tamquam frumentum Christi, dentibus bestiarum ita moli; ut nihil omnino sit reliquum: tandemque optare se ab illis quamprimum devorari; atque si vel minimum morentur, illas, ut Christo, quo nihil sibi carius erat, citius frueretur, derepente adgressurum. Ob oculos deinde ponit quanto conatu princeps sæculi martyrio suo obsistere niteretur. Hinc illis ne cum dirissimo mortalium hoste conspirent, sed sibi, ut ocyus mortem optatam obiret, opem potius ferant, auctor est & suasor. Suam postea Ecclesiam, in qua ne ultimo quidem qui adscriberetur loco, dignus erat, plurimum illis commendat; eisque, & suis, & omnium quæ vel eum exceperant, vel ad eum invisendum aliquos miserant,

ferant, Ecclesiarum verbis plurimam salutem mittit. Denique carissimum suum Crocum ad se pervenisse nunciat, atque ut iis qui ex Syria Romam venerant, eumdem Croci adventum, seque eos brevi conventurum significarent, obnixe postulat.

Ignatius his quatuor litteris Smyrnæ obsignatis, inde solvens, appulit Troadem, ubi tres alias, quarum prima ad Philadelphienses scripta est, exaravit. Hanc inchoat à laudibus sancti eorumdem Episcopi, cujus divinam ad Episcopatum vocationem, modestiam aliasque virtutes admirationem suam movisse testatus, illos ad ei, sicut oves pastori, obsequendum, quò mortiferas doctrinæ erroneæ herbas devitent, sedulo hortatur. Subjungit continuo nosse se eos in hac semper fuisse obedientia: sed ne ab iis qui legem Moysis non autem Christi servandam esse docebant, corrumpantur, perseverantiam poposcit. Memorat autem se cùm ad eos divertisset, cognovissetque apud ipsos esse quosdam, qui eatenus Evangelio, quatenus priscis eorum auctoribus consentaneum esset, credendum esse contenderent, tum eamdem illis suasisse obedientiam. Jam vero se numquam his hominibus, sed cruci, morti, resurrectioni Christi, atque Evangelio ab Prophetis prænunciato, tamquam incorruptibili veritati fidem habiturum profitetur. Illos deinde monet, ut ad Ecclesiam Antiochenam Diaconum quemdam, vel sicut vicinæ Ecclesiæ, Episcopum ac Presbyteros, qui de reddita ei pace gratulentur, dirigant. Sub hæc ob Philonem Diaconum, Reum, & Agathopodem benignissime ab eis exceptos gratias agit. Denique eos Troadensium verbis salutat, optatque ut Bur-

rhus, & Ephesini, atque Smyrnæi à Christo, in quo spem omnem collocaverant, dignis honoribus afficiantur.

Sexta epistola ab Ignatio ad Smyrnensem Ecclesiam per Burrhum, quem itineris sui comitem habuerat, missa est Præcipuo quod in ea tractatur, argumento Ignatius Christianos adversus quosdam hæreticos, qui Christum fictam tantum hominis carnem, qua mortem & resurrectionem simulaverat, adsumsisse dicebant, munit ac tuetur. Eam ob rem veritatem carnis, passionis, mortis & resurrectionis Christi invictis argumentis demonstrat; præcipitque Smyrnæis, ut colloquia hæreticorum fugiant, ac suis precibus eorum conversionem à Deo exposcant. Eos deinde ut Episcopo, Presbyteris, & Diaconibus obsequantur, in primis autem Episcopo summa in omnibus obedientia & veneratione auscultent, sollicite admonet. Tum eis gratias maximas rependit, quod se sociosque suos incredibili benevolentia exceperint, atque inde eos dignam à Deo mercedem accepturos esse pollicetur. Postea pacem Ecclesiæ Antiochenæ redditam nunciat, oratque ut aliquem qui hac de re illi gratuletur, ac Deo laudes gratiasque simul cum ea referat, quam primum mittere festinet. Denique omnibus cum Troadensium, tum suo nomine salutatis, epistolæ coronidem imponit.

Septimam Ignatius Troade Neapolim contendens, atque in navim jam jam conscensurus ad Polycarpum, carissimum discipulum suum, ac Smyrnensem Episcopum destinavit epistolam. Ibi miram ejus in fide constantiam commendat, gaudiumque suum quod Smyrnæ ipso fruitus sit, testificatur. Deinde quò & ipse in virtute proficeret,

& commissam sibi Ecclesiam Christiane regeret, variis illum præceptis imbuit. Orat postea ut ad Ecclesiam Antiochenam de reddita pace ei gratulaturus litteras, ab aliquo deferendas, scribat; atque ut alias quoque Ecclesias ad illam eadem de causa scribendum hortetur, perquam amanter obsecrat. Denique Christianis omnibus generatim, quibusdam verò nominatim salutatis obsignat epistolam.

CAPUT II.

Varia Scriptorum de his epistolis sententia: quædam observanda præmittuntur, & qua methodo vera sententia propugnabitur?

§. I.

Varia Scriptorum de his epistolis sententia.

DE his septem epistolis tres sunt diversæ Scriptorum hujusce ætatis opiniones. Prima Blondelli, Dallæi, aliorumque plurium Presbyterianæ Calvinianæque sectæ hominum, illas tamquam omnino adulterinas, fictas, atque Ignatio suppositas repudiat. De ea vero ætate quâ eas in lucem prodiisse censent, quot eorum capita, tot sensus. Albertinus enim eas circa medium sæculum secundum, Salmasius sub imperio Antonini vel Marci Aurelii, Blondellus post mortem Clementis Alexandrini, Dallæus exeunte sæculo tertio scriptas esse pronuntiant; immo & Bochartus epistolam ad Romanos non ante Constantini Magni imperium exaratam esse arbitratur.

Secunda opinio est Usserii Armachani Archie-

piscopi, qui sex priores epistolas Ignatio adserit; septimam vero, quæ ad Polycarpum data est, rejicit, fictitiamque esse adfirmat.

Tertia aliorum omnium sententia has septem epistolas verum ac genuinum Ignatii opus esse contendit; eaque non ab orthodoxis tantum, sed ab eruditissimis Calvini ac Protestantium sectatoribus, Vossio scilicet, Hamondo, Riveto, Sculteto, Pearsone, Bullo, Moynio propugnatur. Huic sententiæ lubentes subscribimus, illamque verissimam esse invictis, ut putamus, rationum momentis demonstrare conabimur.

§. II.

Quædam observanda præmittuntur.

Verum antequam ad eam probandam adgrediamur, nonnulla quæ ad quæstionis nostræ elucidationem non parum conducunt, juvat observare. Primo constat inter omnes cujuslibet opinionis auctores quasdam ab Ignatio nostro scriptas fuisse epistolas: *Quis enim*, inquit Dallæus, *tam fatuus est; ut eum scripsisse aliquas neget?* Constat etiam inter eosdem illas quæ ab Athanasio, Eusebio, aliisque infra citandis, laudantur Ignatii nomine, non alias esse ab iis quas Usserius & Vossius sinceras & absque interpolationibus ediderunt, quasque primam Ignatii epistolarum classem constituere diximus. Contendunt vero primæ sententiæ auctores has à nebulone aliquo exaratas, & veris Ignatii epistolis fuisse suppositas.

Lib. de script. Ignat. pag. 450.

Observandum quoque est epistolas Ignatii non à catholicis, sed ab Usserio & Vossio, viris inter Protestantes celeberrimis, ex optimæ notæ manu-

scriptis cùm Latinis tùm Græcis, eâ fide quâ majorem nullus desiderat, primum vulgatas fuisse.

Observandum denique eos etiam qui ad propugnandam harumce epistolarum veritatem prolixiores Dissertationes ediderunt, catholicos non fuisse, sed Protestantis Calvinianæque sectæ homines. Enimvero Vedelius Calvinista ac Genevensis Minister, Usserius, & Vossius in harum epistolarum editionibus suam quisque earumdem apologiam adjunxit. Cùmque Salmasius & præcipue Blondellus Usserium ac Vossium impugnare tentassent, illos uterque, & Usserius quidem in sua Appendice Ignatiana, Vossius vero in suis litteris strenue confutaverunt. Hos excepit Henricus Hamondus Presbyter Anglicanus, qui prolixam adversus Blondellum adornavit disputationem, qua non solum omnibus Blondelli argumentis respondit, sed novis firmisque rationum momentis epistolas nostras Ignatio adseruit. Contra hunc Dallæus Charentonensis Minister pugnat Dissertatione longe prolixiori, sed fide, quidquid ipse dixerit, non omnino integrâ. Omnes enim epistolas Ignatio adscriptas, sive eas quas Hamondus atque alii Ignatio tribuunt, sive eas quas ipsi abjudicant, ille confuse, generatim, & in globo adgreditur; atque ut hac confusione ac ingenti argumentorum cohorte fucum faceret, contra illas omnes litteras, quinque supra sexaginta, quæ accurate numerat, promit rationum firmamenta. Verum Pearsonius Presbyter Anglicanus doctis suis earumdem epistolarum Vindiciis omnes ejus conatus cassos & irritos reddidit: tantaque claritate & sinceritate illarum veritatem adstruxit, quantâ confusione Dallæus omnia turbare tentaverat. Co-

natus est quidem alius Calvinistarum Minister anonymus desperatæ Dallæi causæ novâ disputatione opitulari: sed quam male votis ejus res cesserit, à nobis jam demonstrandum est.

§. III.

Quâ methodo vera sententia propugnabitur.

Quapropter septem Ignatii epistolas, quas primam classem componere monuimus, eâ methodo ab Ignatio profectas esse adstruemus; ut omnia argumenta, quibus alii jam eas ipsi vindicaverunt, rursum ad incudem revocemus, aliisque novis, & à nobis excogitatis rationum momentis firmemus. Tum objectiones adversariorum, expensis aliorum responsionibus, vel nostris pro virili parte subjunctis destruere conabimur: ac tandem ad ea omnia quæ in Pearsonium ab Anonymo depromta sunt, dilucide, atque uti speramus, funditus evertenda propius accedemus.

CAPUT III.

Proponitur primum argumentum, ex iis quæ adversarii fingunt, depromtum.

PRIMUM quidem momentum etsi inde erui posset, quod adversariorum in adsignanda harum epistolarum ætate commentitia, tam variæ sint opiniones; ut nullus omnino inter eos de re non ita difficili, consensus esse queat: illud tamen potissimum urgemus, quod ii omnes concedunt, nec ullus ex eis negare umquam potuit, nimirum has epistolas intra annum 106. quo Ignatius Martyr occubuit, & annum 326. aut ad summum 330.

quo Eusebius suam publicavit historiam, emissas in lucem. Enimvero id falsum gratisque fictum esse inde evincitur, quod iis quoque fatentibus, Ignatius quasdam scripsit epistolas, queis teste Dallæo, *Post Divini fœderis libros nihil esse debuit in tota Ecclesia nobilius, ac celebrius, nisi forte Clementis epistolam exceperis?* *Pag. 236.*

Hinc enim conficitur, quod certe nec Dallæus nec ullus sanæ mentis inficiabitur, has epistolas ab iis saltem Ecclesiis, ad quas destinatæ erant, eâ quæ tanto Martyri debebatur, veneratione acceptas, cum aliis etiam Ecclesiis communicatas; in earum scriniis adservatas, ac in Christianorum cœtibus, non secus ac Clementis epistolam, aliaque tanti pretii monimenta, publice lectas. At quis sibi inducat in animum pluribus annis ante Eusebianæ Historiæ editionem omnia omnino harumce epistolarum tam pretiosa exemplaria ita periisse; ut ne unius quidem vestigium neque in Ecclesia Antiochena, neque Smyrnensi, neque Romana, nec ulla alia deprehendi potuerit? Numquid omnes & Ecclesiæ, & Christiani etiam Antiocheni tantis animis, tantaque arte in illarum perniciem exstinctionemque conspirarunt; ut cùm eæ quas supposititias esse dicunt, altero post Ignatii mortem sæculo lumen adspexere, tum nullus licet diligentissimus veterum scriptorum indagator, licet Ignatii temporibus, & Antiochenæ Ecclesiæ proximus, de iis quas veras genuinasque fuisse contendunt, nihil omnino umquam suspicatus sit? Si enim tunc aliquod harum tanti Martyris epistolarum exemplar superstes alicubi exstiterit; si aliquis ex Eusebii prædecessoribus, vel ex iis qui Ignatii ætate vixerunt, de iisdem epistolis aliquid audierit, illico

vel illius exemplaris solâ exhibitione, vel horum contradictione, fictitiæ litteræ ab omnibus explosæ fuissent.

Nec illud prætermittendum quod adversarii in nostris epistolis doctrinam Ignatio Ecclesiarumque illius temporis oppositam se se animadvertisse arbitrantur; atque earumdem auctorem ingeniosum, industrium, callidum, versutum; vel prout eorum intereſt, tardum, plumbeum, supinum, indoctum passim prædicant. Cur ergo hæc omnia doctissimos tertii quartique sæculi Scriptores, atque Eusebium ipsum, qui tantam in evolvendis & eruendis veterum Patrum monumentis operam posuerat, plane penitusque fugerunt? Hinc profecto nullus, uti opinamur, erit sincerus æquitatis & veritatis amator, qui non intelligat, quantum hæ opiniones parum vero videantur similes, quantumque sibi invicem contrariæ sint & adversæ.

Caput IV.

Argumentum secundum ex Polycarpi testimonio petitum, ab exceptionibus adversariorum vindicatur.

§. I.

Testimonium Polycarpi proponitur, & prima Dallæi exceptio refellitur.

SED jam ad alia argumenta, quibus opinio tam parum sibi constans impugnatur, properandum est. Ea autem duplicis sunt generis; alia quippe exteriora dici possunt, quæ ex aliis in-

culpatæ & certissimæ fidei Scriptoribus petuntur: alia vero interiora, quibus Auctoris Opera ejus ingenio & tempori ac cæteris quæ desiderari possunt, adjunctis apte convenire demonstrantur. At invictis utriusque generis momentis septem primæ classis epistolas Ignatio adseri posse plane contendimus.

Atque ut à primo argumentorum genere exordium sumamus; numerosum cujuslibet ævi Scriptorum, qui has epistolas nostro Martyri vindicant, agmen ducet Polycarpus, Smyrnæ Episcopus, Ignatio non solum coævus, sed amicitia & consuetudine conjunctissimus. Is enim qui in litteris viri sibi amicissimi dignoscendis vel indicandis nec falli nec fallere poterat, de iis ad Philippenses sic scribit: *Scripsistis ad me & vos & Ignatius..... Epistolas omnes Ignatii, quas ad me scripsit, & quascumque demum apud nos reperire potuimus, quemadmodum nobis mandastis, ad vos misimus.* Quid tanti viri auctoritate efficacius? quid ejus testimonio clarius & evidentius? *Epist. ad Philip.*

Duo tamen quæ nequaquam contemnenda esse adfirmat, ei opponit Dallæus. Primum est Nicephori Constantinopolitani judicium, quo hæc Polycarpi epistola ad deterrimi generis, ut Dallæus ac defensor ejus loquuntur, apocrypha, scilicet Itineraria Petri & Thomæ procul amandat. Unde Dallæus; *Nicephori*, inquit, *& Patriarchæ primarii, & scriptoris annis circiter octingentis nobis nostrisque vetustioris, de his libris judicium, Hamondi tametsi viri eruditissimi & aliorum ævi nostri sententiæ præferre nulla invidia est.* Sed si nulla sit invidia Nicephori judicium Hamondi aliorumque recentiorum sententiæ præferre, nulla quo- *De Script. Ignat. cap. 12. pag. 426.* *Ibid. pag. 427.*

que erit invidia judicium Irenæi, Eusebii, aliorumque Patrum tot sæculis Nicephoro vetustiorum, qui Polycarpo hanc epistolam adsignant, sententiæ Nicephori præferre: immo tanto potiori jure præferendum est, quanto & eruditione præstantiores, atque ætati Polycarpi viciniores fuerunt. Deinde verba à Dallæo objecta Nicephori Patriarchæ non sunt, sed Scriptoris cujusdam obscuri & anonymi, qui fragmentum quod Stichometriam vocat, ad illius Chronographiæ calcem subjunxit, ut infra à nobis clarissime demonstrabitur. Et certe quis sibi persuadeat Polycarpi epistolam, cujus utilitatem Dallæus agnoscere cogitur, à Nicephoro quem idem Dallæus laudibus exornat, inter apocrypha deterrimi generis fuisse ablegatam?

§. II.

Secunda & tertia Dallai exceptio exploditur.

Hinc etiam Dallæus id quod primum opposuerat, non satis firmum esse veritus, ad alterum quod majoris putat esse momenti, progreditur. Ait itaque quod hæc epistolæ Polycarpi verba: *Scripsistis ad me* &c. quæ ad finem usque sequuntur; *omnino videntur temere & præter Auctoris mentem aliena manu adsuta.* Quod quidem rursus duplici ratione probare nititur. Primo quoniam illa *Absurde, & præter manifestam orationis seriem inserta, atque infulta sunt.* Siquidem præcedentibus verbis: *Ut sitis perfecti* &c. epistola claudebatur, vel, ut ipse loquitur; *In hanc decentissimam, ut* OMNES VIDENT, *clausulam desinebat epistola.*

Cap. 32. pag. 427.

Secundo quia hæc ultima verba Ignatium ad-

huc in vivis degentem memorant, quem illa ſuperiora: *Hi omnes non in vacuum cucurrerunt* &c. declarant mortuum. Unde Dallæus: *Ex his*, inquit, SOLE MERIDIANO *clarius eſt diverſos eſſe homines, qui eadem de re tam diſſentanea, tamque inter ſe contraria, & repugnantia loquuntur;* proindeque, *particulam illam falſo ac vafre epiſtolæ eſſe adſutam ab aliquo impoſtore.* Confeſtim vero ſubdit: *His exceptis, nihil in epiſtola illa videtur occurrere, quod vel quemquam offendere, vel Polycarpo indignum cenſeri debeat.*

Sed hîc pauliſper immoremur, adtendamuſque num Dallæus ubi in retegenda, quam nullus ante illum deprehenderat, repugnantia & contradictione ſibi adeo lynceus videtur, ibidem ſecum ipſe non pugnet. Enimvero ſi in tota epiſtola nihil præter illam particulam occurrat: *Quod vel quemquam offendere, vel Polycarpo indignum cenſeri debeat*, cur non ſolum Hamondo & aliis ævi noſtri doctiſſimis hominibus, ſed etiam antiquiſſimis Patribus Euſebio & cæteris præfert Nicephorum, qui epiſtolam totam rejicit inter ea quæ ſunt *ex apocryphorum deterrimo genere:* vel ut Dallæus alibi dicit *inter libros fabulis & figmentis plenos;* ex quibus, *ſi quis ad fidem de re aliqua primis illis temporibus geſta faciendam adferret, nihil efficeret?* Numquid ſi aliquis ea omnia, quæ in hac epiſtola illud quod Dallæus vocat additamentum, præcedunt, quæque ipſe Polycarpo digna cenſet, ad fidem faciendam adferret, nihil efficeret? Numquid ob particulam in fine Epiſtolæ additam, ea quæ Polycarpo digna ſunt, ad apocrypha deterrimi generis, & libros fabulis & figmentis plenos debent protinus amandari?

Quid autem quod addit Dallæus in hac epistola *tam dissentanea tamque inter se contraria & repugnantia* occurrere; ut *sole meridiano clarius* sit ea à diversis hominibus scripta fuisse? Cur ergo Eusebius homo oculatissimus & perspicacissimus, cur alii ante & post Nicephorum Scriptores illud non viderunt, quod *sole meridiano clarius erat?* Numquid omnes *sole meridiano* lucente cœcutiebant?

Sed esto Eusebius aliique omnes solis meridiani splendore perstricti, id quod *sole meridiano clarius* erat, non viderint. Cur saltem *hanc decentissimam clausulam, in quam desinebat epistola*, quam, teste Dallæo, *omnes vident*, illi non viderunt? Numquid Dallæus Eusebium aliosque viros oculatissimos, qui hanc epistolam integram Polycarpo tribuunt, adeo cæcos omnique lumine orbatos fuisse dicet; ut unum quod *sole meridiano clarius* erat; alterum quod *omnes vident*, ipsi videre non potuerint?

Jam vero ad rem ipsam veniamus. Contendit Dallæus verbis quæ particulam ultimam præcedunt; quia *decentissimam clausulam* habent, epistolam Polycarpi claudi. Numquid ergo quoties in epistolis occurrit decentissima clausula, toties ibi finiuntur epistolæ? Id sanè vel ipsæ solæ Pauli epistolæ falsissimum esse evincunt. Nam in capite decimo-quinto ejus epistolæ ad Romanos hæc decentissima clausula legitur: *Deus pacis sit cum omnibus vobis. Amen:* in capite vero tertio epistolæ ad Ephesios ista: *Ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen*; & tamen neutra ibi definit: sed in priori unum caput, in posteriori tria integra capita subsequuntur. Longum esset & inutile in-

numera epistolarum proferre exempla, quæ ad similes clausulas, quas Dallæus *decentissimas* vocat, non desinunt. Norunt enim omnes ex Scriptoris ingenio pendere, quas velit, & ubi velit, in epistola sua clausulas adponere: maximè vero ubi plura, sicuti Polycarpus, tractat argumenta, vel cùm scribentis animo aliquid novi scribendo succurrit.

Præterea falsum est quod ait Dallæus ultimam hujus epistolæ particulam, mendacio, iis quæ superius dicta erant, contrario & repugnante, esse inspersam. At inquit ille hæc verba: *Et de ipso Ignatio, & de his qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis, significate*: hæc, inquit, verba Ignatium qui prius defunctus declaratur, in vivis esse significant. Verum si adtente perpendantur, nihil de Ignatii morte vel vita innuunt, aut testificantur. Postulat tantummodo Polycarpus, ut Philippenses qui de Ignatio facilius aliqua accipere poterant, de illo, quocumque tandem in statu fuerit, certi aliquid renuntient. Unde si illum jam martyrio coronatum suspicabatur, rogat ut narrent quando, ubi, & quam vario tormentorum cruciatuumque genere mortem obierit, quosque habuerit martyrii sui socios. Nulla ergo repugnantia, nec ulla cum iis quæ de nece ejus prius scripta erant, discrepantia.

Urget tamen Dallæus atque ipsius Hamondi, qui his ultimis epistolæ Polycarpi verbis vitam Ignatii designari dixit, profert testimonium. At certè si Hamondus humani aliquid ibi passus est, si ad Polycarpi verba non satis adtendit, quid inde contra sententiæ nostræ veritatem conficiet Dallæus? Nulli autem dubitamus quin Hamondus ab ea diffi-

cultate, quæ contra ipsum tantummodo militat, sese recte explicuisset. Verum non de Hamondi mente disputamus, sed de Polycarpi epistola, in qua cùm nullum mendacium nullaque sit contradictio & repugnantia, integram illam omnesque & singulas illius partes à Polycarpo scriptas esse certo certius evincitur.

§. III.

Reliqua Dallai exceptiones refelluntur.

Instat Dallæus novoque utitur & miro argumentandi genere. Ille siquidem nihil de veritate ac integritate Polycarpi epistolæ disputans amplius, concedit Polycarpum testari aliquas ab Ignatio scriptas fuisse epistolas. Verùm cùm Polycarpus illas easdem esse, quas defendimus, non dixerit, alias omnino ab eo indicatas esse audacter adfirmat. Atqui à Dallæo poscimus quid Polycarpo, ut epistolas illas Ignatii esse testaretur, præstandum erat. Numquid ab eo transcribendæ integræ, vel manu propria subscribendæ? Numquid publica notariorum & testium fide, aliisve publicis instrumentis muniendæ? Si res ita se habeat, nullas nunc habemus virorum Apostolicorum aliorumque antiquissimorum Patrum epistolas, ac eæ quæ manibus omnium teruntur, aliæ omnino sunt ab iis, quas Scriptores ab illis datas esse commemorant. Dicendum ergo ex severioris critices regulis, ut alicujus Auctoris epistolæ, quarum Scriptor ipsi coævus generatim tantùm meminit, speciatim designentur, nihil aliud requiri, nisi ut illæ ab integræ certæque fidei Scriptoribus, iisque non ita ab illius ætate remotis nominatim indicentur. Atqui quas Polycarpus Ignatii epi-

stolas generatim designat, eæ speciatim & nominatim, ut fatentur adversarii, ab Eusebio aliisque integræ certæque fidei Scriptoribus designantur. Denique jam à nobis, uti putamus, clare demonstratum est Ignatium non alias ab iis, de quibus nunc controvertitur, exarasse epistolas. Illæ igitur eædem sunt, quas Polycarpus designat. Sup. cap. 5.

Urget iterum Dallæus in his epistolis nostris reperiri & σιγὴν Valentinianorum, aliaque quam bene multa minus orthodoxa, quæ ab Ignatio nusquam scribi potuerunt. Sed Eusebium aliosque Patres doctissimos, qui teste Dallæo ipso, epistolas nostras Ignatio adjudicant, nihil in eis vel minus orthodoxum, vel minus Ignatio dignum legisse certissimum est. Atqui illos quænam Ignatiana doctrina esse debuerit, ignorasse, nullus, ne Dallæus quidem dicere audeat. Deinde nihil contra Ignatii doctrinam in his epistolis occurrere, infra suo loco, ne omnia cum Dallæo confundamus, clarissime ostensuri sumus.

Instat denique Dallæus, sicque arguit. *Hoc certe Polycarpi testimonio Latini pro sex illis Ignatianis epistolis, quas præter Usserianam collectionem adserunt, non minus speciose utuntur, quam pro suis sex primis Reverendissimus Usserius, & doctissimus Hamondus.* Ex quibus sic ille concludit: *Seponenda ergo pariter est in universa de Ignatianis causa hujus testimonii auctoritas.* Scilicet cùm Dallæus Polycarpi auctoritatem, qua premitur, elevare non posset, eam saltem vult esse seponendam! Verum integra & invicta semper manebit, numquam seponenda tanti viri testificatio sempiterna. Cæterum si quis illam ad adulterinas Ignatii epistolas adserendas adhibeat, illos proculdubio

& ea ipsa abuti & longe errare infra demonstrabimus. Quem tamen errorem iis, quibus Usserii & Vossii nec manuscriptos codices nec editiones videre licuit, ostendemus aliqua ex parte esse condonandum.

CAPUT V.

Argumentum tertium ex Irenæi auctoritate, qua ab adversariorum exceptionibus vindicatur, desumtum.

§. I.

Testimonium Irenæi proponitur.

ULTIMA Dallæi contra Polycarpi testimonium objectio, quam validissimam ipse appellat, est Irenæi qui ejusdem Polycarpi discipulus fuit, summa auctoritas. Sic autem illam Dallæus ipse proponit : Nullus epistolas *quas nunc habemus, apud Polycarpum fuisse, & ab eo in unum collectas, ad Philippenses missas fuisse, & multis aliis, & hoc potissimum validissime probavimus, quod Irenæo Polycarpi discipulo, & admiratori singulari, plane penitusque ignota fuerint.* Ad examinandum ergo Irenæi testimonium, quandoquidem ad illud nos provocat Dallæus, lubentissime accedimus. Et primum quidem miramur qua Dallæus confidentia ausus sit adfirmare epistolas Ignatii quas nunc habemus, Irenæo plane penitusque ignotas fuisse Nonne enim hæc ipsissima sunt Irenæi verba : *Quemadmodum quidam de nostris dixit, propter martyrium in Deum adjudicatus ad bestias : Quoniam frumentum sum Christi, & per dentes bestiarum*

Cap. 32. pag. 431.

Lib. 5 adverf. Hæref. cap. 28. seu circa fin.

tiarum molar; ut mundus panis inveniar. Certum est autem, fatente Dallæo, Ignatium nostrum hîc ab Irenæo laudari : *Ego vero hunc, cujus verba recitat, Ignatium esse confiteor, hæc verba vere Ignatii esse concedo.* Unde ergo Irenæus hæc Ignatii verba desumsit? Audiamus Eusebium : *Hujus porro Ignatii*, inquit ille, *& martyrium & epistolas commemorat Irenæus his verbis: Quemadmodum quidam*, &c. Quanam autem ex epistola illa transcripsit, nisi ex Ignatii nostri epistola ad Romanos, ubi isthæc totidem verbis reperiuntur?

Dall. cap. 23. pag. 414.

Lib. 3. Histor. cap. 36.

§. II.

Prima & secunda Dallæi exceptio refellitur.

Quid ad hæc Dallæus? Eusebium falsum esse adfirmat. *Quod falso*, inquit, *putavit Eusebius.* Qua vero putas ratione Eusebium, diligentissimum scriptorem, erroris insimulat? Quia Irenæus, ait ille, non usus est voce, *scripsit*, sed, *dixit*. Qua quidem voce addit Dallæus consulto usus est; ut illa Ignatii verba, non ex ejus scriptis, sed ex dicentis ipsius ore excepta fuisse indicaret. Mirum sane quanta esse debuerit Eusebii oscitantia, qui verbum *dixit* idem ac *scripsit* significare falsò putaverit. Sed veremur ne Dallæus, qui hæc post Parkerum contra Eusebium urget, ipse potius inscitiæ vel malitiæ accusandus sit. Quod quidem etsi innumeris Scriptorum testimoniis facilè confirmari queat; una tamen quæ Dallæo instar omnium esse debet, nempe Irenæi ipsius auctoritas ad id probandum sola sufficiet. Ille enim quæ à Justino non pronuntiata, sed scripta erant, his verbis laudasse legitur : *Et bene Justinus in eo libro qui est ad Marcio-*

Cap. 23. pag. 63.

Lib. 4. adv. Hæres. cap. 34. *nem ait: Quoniam ipsi quoque Domino non credidisset*, &c. Et alio in loco: *Bene Justinus* dixit, *quoniam ante Domini adventum*, &c. Verum auctoritate Irenæi ipsius, si quid in sua causa validius desideretur, ipsummet Dallæum contra seipsum testem producemus. Nec certe vel diu, vel procul ille quærendus est & accersendus, qui eo ipso loco ubi hac de re disputat, sic ea quæ ab Hamondo non dicta sed scripta erant, refert: *Quid contra hanc claram ac invictam demonstrationem adfert doctissimus Hamondus: Irenæus*, INQUIT, *Ignatii dictis ex epistola ad Romanos*, &c. Et adhuc propius ubi ipsiusmet Irenæi locum citavit, sic loquitur: *Quid enim quæso habet eo loco Irenæus: Quidam* INQUIT *nostrorum dixit: Frumentum Dei*, &c. Quid ergo? Nonne verbum, inquit, idem sonat ac dixit? Dallæus tamen ipse ubi id quod ab Hamondo & Irenæo scriptis traditum erat protulit, non verbo, *scripsit*, sed *inquit*, quod idem est ac *dixit*, usus est.

Defensor Dallæi, ad ei qui suo se ipse gladio jugulaverat, ferendam opem adcurrit, sed tardius. Sic autem ille: *Demus verbum dixit, quo utitur Irenæus, & quæ voce, & quæ scripto edita sunt indifferenter denotare; non magis illius*, Pearsoni, *causam juvabit Irenæi narratio, quàm nostram; ac proinde omittendum erit testimonium pro epistolis Ignatianis, ex hac narratione desumtum.* Quam infirma sit hæc Dallæi defensio inde patet, quod Dallæum, qui magnam in verbo *dixit* vim argumenti sui positam esse existimabat, vel imprudentiæ vel malitiæ condemnat. Deinde vocem *dixit* apud Irenæum ad verba Ignatii non prolata sed scripta significanda usurpari probant, cum Eusebii supra memorati auctoritas, tum etiam quia hæc eadem Ignatii verba

Pag. 77.

inveniuntur in epistola ad Romanos, neque usquam alibi ille ea protulisse narratur.

At inquiunt, Irenæus illam Ignatii sententiam ex ejus Martyrii Actis, quæ suo circumferebantur tempore, transcribere potuit. Fatemur quidem hanc sententiam Ignatii in Actis ejus Martyrii occurrere, sed in Actis corruptis & interpolatis, non autem in veris & sinceris, quæ Latine Usserius, Græce vero noster Theodoricus Ruinartus publici juris fecerunt. Atqui si Irenæi tempore quædam Ignatiani Martyrii Acta exstiterint, hæc tantum posteriora exstitisse nemo sanæ mentis homo dubitaverit.

Huc ad Dallæi subsidium rursus advolat ejus Defensor, & ab Hieronymo eamdem Ignatii sententiam citatam observat. At, inquit, *satius est dicere Hieronymum in antiquissimis Martyrii Actis legisse, quæ de Ignatio, etsi forte aliquam jam sua ætate mutationem experta essent illa Acta, nullam tamen sensisse istius, qua de agitur, circumstantiæ respectu par est credere; nam ex istis Actis, vel alio quodam scripto æque vetusto, quæ de Ignatio narrat, depromsisse Hieronymum est plusquam verisimile.* Verum contra Dallæus nihil Hieronymum ex his Actis, neque ex alio scripto, sed ex Eusebio tantum sua desumsisse adserebat. Nam *Eusebii*, inquit, *omnes judicium, Hieronymus etiam verba sequutus est; ut hoc non tam illorum, quam unius Eusebii testimonium censeri debeat.* Siccine ergo defenditur Dallæus, cùm ei aperte contradicitur? Quid vero quod certum videtur, ut diximus, nulla alia Martyrii Ignatiani Acta, quam quæ ab Usserio, & novissime à nostro Ruinarto edita sunt, tempore Hieronymi exstitisse. At certe non in iis, sed in corruptis tantum Actis, Ignatii sententia ab Hieronymo & Irenæo

Pag. 11.

Cap. 16. pag. 451.

Lib

citata occurrit. Denique quod addit Hieronymum eam si non ex Actis, ex alio scripto æque vetusto desumsisse, hoc & Dallæo, ut paulo ante diximus, opponitur, & gratis ab ejus Defensore fictum est. Neque enim aliquod ab illo aut ab ullo umquam adsignari poterit scriptum, in quo legatur hæc Ignatii sententia: nos autem epistolam ad Romanos, ejus nomine inscriptam, producimus, ubi illa de verbo ad verbum reperitur.

§. IV.

Reliqua Dallæi exceptiones refelluntur.

Eadem ratione refellitur quod dicit Dallæus: *Omnes vident facile fieri potuisse, ut si quod ejusmodi scriptum edidisset Ignatius*; in quo suam sententiam exaraverit; *id & in Irenæi manus veniret, & diu ante nostra tempora intercideret.* Nullum quippe quod interciderit Ignatii scriptum adsignare potest, in quo sententia illa fuerit scripta: sed nos epistolam ad Romanos, ubi semper exstitit, adsignamus. Porro autem, hoc argumento innumeræ antiquorum Patrum lucubrationes excidant, necesse est. Quandoquidem si illas ab Scriptoribus celeberrimis citari dixeris, illico reponetur non eas, quæ in manus nostras pervenerint, sed alias, quæ diu ante nostra tempora interciderint, ab illis citatas, vel saltem citari potuisse. Quis autem non videat quam hæc falsa sint, & ab omni penitus veritatis specie aliena?

Cap. 31. pag. 434.

Instat Dallæus: Ex epistola ad Romanos hæc verba Ignatius non Romæ, *sed Smyrnæ diu ante agonem absurde & inepte scripsit.* Verum ille dubio procul meminisse, aut dissimulare non debebat episto-

Cap. 31. pag. 436.

lam ad Romanos Smyrnæ ſcriptam ab Ignatio, non *diu ante agonem*; ſed cùm damnatus eſſet ad beſtias, & Romam ab illis jam jam devorandus contenderet. Non ergo *abſurde* nec *inepte*, ſed recte & omnino apposite Irenæus hanc Ignatii epiſtolam citando ajebat: *Quidam de noſtris dixit, propter Martyrium in Deum adjudicatus ad beſtias, &c.* *Loc. ſup. cit.*

Urget Dallæus Irenæum hanc Ignatii ſententiam ex epiſtola ad Romanos non ſolùm *non ſumſiſſe*, ſed *neque ſumere potuiſſe*. Neque id quolibet argumento, ſed clara & invicta demonſtratione ſe evincere arbitratur. Hæc autem invicta demonſtratio ne quid virium ſuarum amittat, ejuſdem verbis proponenda eſt. Ait itaque omnes quas diximus eſſe Ignatii epiſtolas: *Irenæo plane ignotas fuiſſe. Quarum ſcilicet teſtimoniis adverſus hæreticos, quos refellit, luculentiſſimis ac diſertiſſimis nuſquam uſus reperitur in toto adverſus hæreſes Opere; tametſi plurima paſſim loca illic occurrant, in quibus utiliſſime ac pene neceſſario ab Auctore adhibenda erant, ſi ea cognita habuiſſet.* *Cap. 33. pag. 418.* Atque hoc illud eſt argumentum, quod *claram & invictam demonſtrationem* appellat. Sed miramur Dallæum Logicæ & Dialecticæ callentiſſimum hîc non meminiſſe in clara & invicta demonſtratione omnia eſſe debere certa, invicta & omnino neceſſaria. Ad ſuam ergo *claram & invictam demonſtrationem* conficiendam, ipſi demonſtrandum erat, Ignatii teſtimonia non tantum *utiliſſime ac pœne neceſſario*, ſed plane penituſque neceſſario fuiſſe adhibenda. *Cap. 33. pag. 414.* Verum quidquid ſit de certæ & invictæ demonſtrationis nomine; ad vim argumenti attendamus. Illud autem non minus contra ipſum, quam contra nos militat. Dallæus namque Ignatium aliquas epiſtolas ſcripſiſſe

Cap. 38. pag. 450. concedit: *Quis enim*, inquit, *tam fatuus est, ut eum scripsisse aliquas neget?* Concedit etiam easdem fuisse *ad rem Christianam valde utiles*, proindeque plurima in eis erant loca contra varios sui temporis hæreticos, quos Irenæus postea refellit. Porro ex ea, quam *claram & invictam demonstrationem* vocat Dallæus, id falsum esse sic evincitur. Eas enim epistolas Ignatius non scripsit, quarum testimonia Irenæus in suo adversus Hæreses Opere non adhibuit. Atqui Irenæus nulla testimonia ex iis quas Dallæus Ignatium scripsisse adfirmat, in suo adversus Hæreses Opere adhibuit. Ergo ei plane incognitæ fuerunt. Ergo Ignatius illas quidquid Dallæus dixerit, vere non scripsit. Qua autem responsione hoc argumentum solvet Dallæus, eadem & nos *claram & invictam demonstrationem* illius solvemus.

Attamen Dallæani argumenti solutionem ab ipso non exspectamus Respondemus enim falsum esse quod in Ignatii epistolis plurima occurrant loca, quæ ab Irenæo in suo libro adversus hæreses adhibenda fuerint. Siquidem ea non debuit potius adhibere, quam testimonia quæ passim occurunt in epistola Barnabæ, in Apologiis Quadrati & Aristidis, in scriptis Apollinarii Hierapolitarum Episcopi, Agrippæ, Melitonis, Athenagoræ, aliorumque quam plurium qui hæreticos, quos Irenæus refellit, disertissimè redarguunt & oppugnant. Cur autem Irenæus nec illa omnia tot tantorumque virorum nec Ignatii testimonia adhibuerit, si quæras, ratio in promtu est. Is quippe cùm ex innumeris Patrum locis paucissima, nec ea omnia contra hæreses, quas refutat, citaverit; inde colligitur ejus consilium fuisse hæreses non ex continua Patrum traditione, sed aliunde expugnare. Eam ob cau-

ſam pauca tantum retulit Patrum loca, vel quia ipſi ad manum erant, vel quia eorumdem Patrum ſcripta hæreticis magno erant in pretio, ſicut Polycarpi Epiſtola Florino: vel denique aliis de cauſis ex tempore, quo ſcribebat, aut ex ſuo vel adverſariorum ingenio petitis.

CAPUT VI.

Argumentum quartum, ex Origenis teſtimonio deſumtum, ab adverſariorum exceptionibus vindicatur.

§. I.

Proponitur teſtimonium Origenis, & à prima exceptione vindicatur.

INVICTUM Irenæi teſtimonium excipit auctoritas Origenis, qui epiſtolas quas defendimus, Ignatio abſque ulla vel minima dubitatione tribuit. Is enim verba Ignatii, ex epiſtola ad Epheſios excerpta, ſic laudat: *Eleganter in cujuſdam Martyris epiſtola ſcriptum reperi, Ignatium dico Epiſcopum Antiochiæ, poſt Petrum ſecundum, qui in perſecutione Romæ pugnavit ad beſtias: Principem ſæculi hujus latuit virginitas Mariæ, latuit propter Joſeph, &c.* Dallæus autem huic luculentiſſimo Origenis teſtimonio duo opponit, nempe fruſtraneum illud eſſe, nec ab Origene profectum. Cur autem viri omnium longè eruditiſſimi teſtimonium, in his quæ certò ipſe cognoſcere poterat, fruſtraneum eſt? Reſpondet Dallæus: *Fruſtra Origenis homilias annis circiter centum & quadraginta poſt ultimum martyris Ignatii certamen ſcriptas recitant... ſera ſunt & inania Ignatianorum præſidia, quæ jam*

Homil. 6. in Luc.

Cap. 34. pag. 431.

ab initio stetisse necesse est, si & nunc stare debent. Quæ enim ab initio non valuerunt, ea homines sapientissimi tractu temporis convalescere posse negant. Hoc ergo testimonium Origenis, quia illud annis circiter centum & quadraginta post Ignatii necem scriptis tradebat, frustraneum erit? Quid igitur fiet de tot antiquissimorum Patrum testimoniis & lucubrationibus, quorum vix duobus post eorum mortem sæculis alicubi facta est mentio? Deinde epistolæ Ignatii, ut diximus, in Ecclesiarum scriniis adservabantur, ubi eas Origenes & legere, & exscribere, & cujus essent certo certius edoceri potuit. Quid ergo si hæc annis 140. post Ignatii mortem se præstitisse adfirmat, serum erit & inane ejus testimonium? Quam vero falsa sit hæc Dallæanæ critices regula, inde evincas, quod filius senior à patre suo seniore testamentum proavi sui potuit accipere, quod pater suus ab illius similiter avo seniore acceperat. Numquid ergo si filius ille adferat à se repræsentari testamentum proavi sui, quod pater ejus ab avo se accepisse certissime adfirmabat, serum erit & frustraneum illius testimonium? Plures tamen in hoc temporis intervallo, quam anni circiter centum & quadraginta elabi potuerunt. Quis autem abnuat epistolas Ignatii quæ sacrum tanti Martyris testamentum erant, uni & alteri probatæ fidei viro de manu in manum traditas, potuisse ab illo posteriore alicui deinceps ita transmitti; ut hic eas ab Ignatio verè scriptas fuisse omni asseveratione adfirmare potuerit? Nec serum igitur nec frustraneum erit illius testimonium.

Verùm pressiùs urgeamus Dallæum, atque eum sibi ipsi non solùm contradicere, sed ipsomet e-

tiam teſte, veras Ignatii epiſtolas ab Origene citari oſtendamus. Concedit ille Origenem laudare quidem Ignatii epiſtolam, ſed tardius. Vel ergo veram & genuinam Ignatii epiſtolam, vel adulterinam citavit. Atqui ex ipſomet Dallæo eæ quas vocat adulterinas Ignatii epiſtolas, longè poſt Origenis mortem editæ fuerunt. Origenes ergo non illas, ſed veram & germanam Ignatii epiſtolam citavit. Ergo non *ſera ſunt ejus præſidia, quæ jam ab initio ſtetiſſe neceſſe eſt.*

§. II.

Refutatur ſecunda exceptio, ubi homilias Origenis in Lucam ab eo ſcriptas eſſe demonſtratur, & adverſariorum objectionibus reſpondetur.

Hinc liquido intelligitur quam vana falſaque ſit prima Dallæi ad Origenis auctoritatem reſponſio: videamus an ſecunda majoris ſit ponderis & ſoliditatis. Negat ille hanc quam laudamus, aliaſque cæteras ejuſdem auctoris in Lucam homilias ab Origene profectas eſſe. At illæ ab omnibus catholicis, atque etiam heterodoxis cum Proteſtantibus, tum Calviniſtis, uno excepto ejuſdem Dallæi Defenſore, Origeni adſcribuntur. Hæc tamen Dallæum ejuſque Defenſorem nihil morantur, atque contra omnes, eaſdem homilias Origenis fœtum eſſe pernegant. Quibus ergo rationibus id inficientur, audiamus. *Sanè*, inquit Dallæus, *totum illud homiliarum in Lucam opus Latinorum natalium indiciis ſcatet.* Longum, putas, horum indiciorum, ſicut in aliis ipſe amat, catalogum texuit? Nullomodo: ſex tantum illorum exempla exhibet, quæ ſanè quia nec multa ſunt nec longa, iis examinandis pauliſper immoremur. Primum Cap. 14. pag. 411.

desumitur ex Homilia 5. *Ego autem alogos sum. Quod licet Latinus aliter expresserit, tamen proprie transferri potest absque sermone, sine ratione.* Secundum ex Homilia sexta, *Ave gratia plena: quod græcè dicitur κεχαριτωμένη, ubi in Scripturis alibi legerim, non recordor.* Tertium ex Homilia 16. *Cadaver quippe à casu nomen accepit.* Quartum ex Homil. 22. ubi Origenes hæc verba: *vertantur in lapides;* edisserit: *Rogatur,* inquit, *Deus, ut paulisper convertantur in lapides; hoc enim græcus sermo significantius sonat.* Quintum ex Homil. 35. *Non cum articulo principem posuit, ne certum videretur ostendere: sed sine articulo, ut è pluribus unum esse monstraret: quod apud Græcos magis intelligitur.* Sextum ex eadem Homil. *Quadrantem vel novissimum minutum; quod Græce tenue dici potest.* Verum de hoc numero tertium exemplum tolli debet; Latinus enim interpres verba græca πτῶμα γὰρ ἀπὸ πτώσεως λέγεται, his Latinis optime reddidit: *Cadaver quippe à casu nomen accepit.* In quarto etiam exemplo nihil occurrit, quod ad Origenis interpretationem non pertineat. Quid enim prohibet, quominus ab Origene quædam in verbum græcum Exodi, quo Hebræum reddebatur, sint observata, quæ pro officio suo interpres Latina fecit? Cæterum concedamus Dallæo verba illa quæ parenthesi ibi clauduntur, esse ab interprete adjecta. Quin immo concedimus illi in quatuor aliis exemplis alia esse verba similia. Sed cùm interpres illa; ut versionis suæ rationem redderet, vel ut Auctoris sui mentem clarius aperiret, vel ut iis qui græce nesciebant, omnia planiora faceret & evidentiora, textui Origenis adjicienda esse putaverit, nihil contra Græcos hujus Operis

natales quidquam efficere possunt. Et re quidem verâ omnia in iisdem locis Origeniana sunt, & Latinum interpretem sapiunt. Illud autem ex eo confirmari potest tum quod additiones paucissimæ sint; tum quod Homilia quinta & sexta, unde duo nobis objiciuntur exempla, germanum Origenis opus esse hinc colligatur, quod Ambrosius, ut alibi diximus, plura ex eis in suam Lucæ expositionem transfuderit. *Admonit in Exposition. Matthæi in Luc.*

Urget Dallæanus Defensor quod si hæc additamenta Latinos natales non arguant, nulla jam in Græcorum Operibus, quorum versiones Latinas tantum habemus, vera ac genuina scripta à spuriis poterunt amplius secerni. Sed levis omnino & infirma est hæc Dallæi defensio. Quid enim viris etiam tardioribus facilius, quam hujusmodi additamenta ab ipso græci Auctoris textu discriminare? Plurimæ sane ejusdem generis additiones in Operum Irenæi Latina versione, quam solam habemus, occurrunt: nullus tamen in ea à græco Irenæi textu discernenda hæsitavit umquam, aut falsus est.

Neque dixeris, quod si fatentibus nobis, aliqua ab interprete facta sint additamenta, ab illo etiam ea quæ pro Ignatii epistolis citavimus textui Origenis adjici potuisse. Nam certum est harum Homiliarum interpretem non esse Rufinum, ut Blondellus ariolabatur, sed Hieronymum sicuti ipsemet Hieronymus, & idem Rufinus ejusdem Hieronymi hostis infensissimus testantur. At constat Hieronymum pauca in suis Origenianorum Operum versionibus addidisse; quæ à Rufino adnotata sunt. Quapropter cùm inter illa testimonium quod protulimus, minime recenseatur; illud vere ab *Præfat. in has Homil. In Invectiv.*

Origene profectum esse certo evincitur.

Secundum Dallæi momentum, quo has in Lucam Homilias Origenis esse negat, his verbis concipitur: *Sed & ab ipso Origenis genio, more ac sensu quædam sunt in eodem Opere aliena.* Quod quidem triplici ratione ostendere conatur. Harum prima est, Spiritum sanctum dici tertiam personam à Patre & Filio: *Qui*, inquit, *sic distinctus personæ in divinis usus, ab Origene, si benè memini, alienus est.* Sed bene non meminit, aut bene non legerat hæc Origenis verba: *Nos autem qui tres personas Patrem & Filium atque Spiritum sanctum esse credimus.* Neque etiam bene meminit, quod idem Origenes Christum alibi appellet δεύτερον Θεὸν, *Secundum Deum.* Neque tandem bene meminit Hieronymum scripsisse ad Avitum, in hoc Origenem errasse quod: *Tertium dignitate & honore post Patrem & Filium adserit Spiritum sanctum .... Filium quoque minorem Patre, eo quod secundus ab illo sit, & Spiritum sanctum inferiorem Filio*, &c. Qui enim adserit Spiritum sanctum esse tertium dignitate & honore, Filium vero secundum & inferiorem Patre, ab illo sane distinctus personæ in divinis usus alienus non est.

Cap. 34. pag. 410.

Homil. 15.

Tom. 6. in Johan.

Lib. 5. adv. Cels.

Epist. 69. ad Avit.

Secunda Dallæi ratio majoris non est ponderis: *Neque hic ejus, ut opinor*, inquit, *mos est personas, quod iste non semel facit, inducere longos vel inter se vel apud Deum sermones ferentes.* Verum sicuti prius non bene meminit, ita nec hîc bene opinatur. Enimvero quamvis audacter dixerit *non semel*, duo tantummodo horum profert exempla sermonum; qui quoniam non longi, ut ipse confidentius adseverat, sed breves omnino sunt, illos ipsis Origenis verbis, quod forsan Dallæus non

ausus est, integros repræsentabimus. Primus hæc habet: *Respondeo tibi*, inquit Origenes, *ô versipellis & nequam, qui me tentare non metuis. Alius est panis sermo Dei, qui vivificat hominem.* Secundus vero: *Et unusquisque nostrum secum habet adversarium cohærentem, cujus opus est ducere nos ad principem & dicere: O princeps verbi gratia regni Persarum, iste qui subter erat tibi, eum, ut opus erat, custodivi.* Quid his sermonibus vel minus longum, vel magis Origenianum desiderari potest? Homil. 29. Homil. 35.

Tertia denique Dallæi ratio sic proponitur. Auctor homiliarum Sadducæos arguit, quod quædam Isaiæ & Psalmorum verba corporaliter explicarent, quæ spirituali sensu interpretanda esse arbitratur: *Quæ omnia*, inquit, *corporaliter intelligentibus Sadducæis, qui erant portio Judæorum, dicit Salvator: Nescitis Scripturas*, Atqui, ait Dallæus, hoc pugnat cum Origene, qui in genuinis Operibus alios veteris Testamenti, præter Moysis libros in canonem Scripturarum, à Sadducæis recipi inficiatur. Sed aliud est librum aliquem in canonem Scripturarum adscribi, aliud vero ejus verba corporaliter intelligi. Unum in Sadducæis perstringit Auctor noster, non vero alterum; proindeque Origenis sententiæ nullo modo adversatur. Homil. 39.

Hîc magnis animis insurgit Dallæi Defensor, contenditque Sadducæos quod psalmorum & Isaiæ verba *corporaliter* intelligerent, non alio sensu ab eodem Origene notari; nisi quia hos libros ab eis in Scripturarum canonem receptos falso sibi persuaserat. Quasi vero nullus cum ullo Auctore de scriptis *corporaliter* intellectis, nisi de solis Scripturæ sacræ libris expostulare queat? Quoties enim

Scriptori vitio vertitur, quod illustrium virorum scripta, quæ in pretio omnibus esse debent, corporaliter, & ad litteram scrupulosius interpretur? Potuit ergo Origenes Sadducæos castigare, quod Isaiæ & Psalmistæ libros, quos post suum Scripturæ canonem pluris facere debebant, *corporaliter* intelligerent.

Nulla est igitur Auctoris nostri cum Origene pugna, nulla dissensio. Verum etsi concedamus aliquam inter eos hac de re fuisse repugnantiam, num continuò hæ Homiliæ Origeni abjudicandæ sunt? Numquid Scriptores etiam eruditissimi ita sibi semper constant, omniaque in variis eorum Operibus, diversis de argumentis & diversis temporibus composita, ita sibi cohærent; ut nulla secum pugnantia & sibi invicem contraria scripserint? Numquid aliquando seniores facti ac doctiores, ea non emendarunt, quæ juniores atque imperitiores certum esse credidere? Nihil ergo mirum, si Origenes, qui junior has Homilias in publicum emiserat, in iis aliquid de Sadducæis dixerit, quod postea senior & peritior factus, correctum esse voluerit & emendatum.

Et re quidem vera Origenes, teste Hieronymo, has homilias junior composuit. *Fateor*, inquit ille, *alia sunt virilia ejus, & senectutis seria .... tunc videre poterit, immo per vos Romana lingua cognoscet, quantum boni & ante nescierit, & scire nunc cœperit.* Dallæi Defensor audacter respondet errasse Hieronymum, adfirmatque *Sexagenario majorem esse Origenem, dum suas homilias scribi passus est.* Id autem se solertiâ suâ agnovisse gloriatur his verbis: *Quod à viris doctis animadversum quidem, non autem accurate perpensum, nec*

Prolog. in has Homil.

Pag. 116.

exactè ponderatum mirari satis nequeo; cùm tamen id diserte testetur Eusebius. Audiamus ergo diserta illa Eusebii verba: *Origenes*, inquit Eusebius, *jam Sexagenario major, ut pote qui ex diuturna exercitatione maximum dicendi usum sibi comparasset, conciones quas habebat ad populum, à notariis excipi permisit, cùm id antea fieri nunquam concessisset.* Sed vir ille perspicacissimus qui viros doctos incuriæ condemnat, debuit accuratius ponderare hæc, quæ ipse citat, Eusebii verba: *Conciones ... à notariis excipi permisit.* Dicit quippe Eusebius Origenem non permisisse conciones suas à notariis excipi; sed non negat Origenem ipsum illas ante sexagesimum ætatis suæ annum manu propria scripsisse. Neque etiam negat illas, ipso invito Origene, ab aliis transcriptas. Præterea certum est Origenem, cùm juvenis esset, conciones habuisse ad populum; id enim non diffitentur adversarii nostri, quod ex allatis Eusebii verbis evidenter colligitur. Atqui has inter conciones Homiliæ nostræ debent procul dubio numerari; cùm illas ab Origene juvene pronuntiatas non solus Hieronymus, sed & illi infensissimus Rufinus constanter adseverent, nec eorum sententiæ ullo modo refragetur Eusebius.

Euseb. lib. 6. Hist. cap. 36.

Constat igitur has Homilias genuinum Origenis opus esse; proindeque invictum stat ejus pro Ignatii epistolis testimonium. Ultimum tamen Dallæus telum, quod alibi in Eusebium, hîc in Origenis auctoritatem contorquet: *Unum addam notatu, ut mihi quidem videtur, dignissimum, Eusebium videlicet non omissurum fuisse Origenis pro Ignatianis testimonium, si eorum alicubi mentionem fecisset.* Sed nihil illo, quod putat notatu dignissi-

Pag. 101.

mum, argumento levius atque infirmius. Numquid enim Eusebius omnia Origenis & Apostolicorum virorum, aliorumque Patrum testimonia in Historiam suam congessit? Nullus profecto ibit inficias plura ab eo prætermissa; nec idcirco tamen eadem Patrum Opera iis, à quibus scripta sunt, censebit esse abjudicanda. Denique Eusebius pro Ignatii epistolis auctoritatem Polycarpi & Irenæi citasse contentus, non plura posteriorum Patrum testimonia adcumulanda esse æquum putavit.

§. IV.

Aliud Origenis testimonium expenditur.

Nonnulli aliud adferre solent pro iisdem Ignatii epistolis Origenis testimonium, quod his verbis legitur: *Nec puto quod culpari possit, si quis Deum, sicut Johannes caritatem, ita ipse amorem nominet. Denique memini aliquem sanctorum dixisse, Ignatium nomine, de Christo: Meus amor crucifixus est.* Sed num vere Origenis sit hoc Opus, adhuc sub judice lis est. Enim vero quidam cum Erasmo illud à tanto Doctore profectum esse inficiantur, tum *quod in prologo citat Græcos, velut alienos:* tum *ex interpretatione amoris, caritatis, dilectionis & cupidinis.* Alii vero genuinum illius fœtum esse probant, ex stylo, ex allegoriis, & tropologicis expositionibus, in quas ab historicis expositionibus excurrit: ex sententiis his plane consimilibus & germanis, quæ ex duabus Homiliis ab Hieronymo conversis occurrunt: ex melioris notæ manuscriptis, ubi nomen Origenis præfigitur: ex iis quibus Origenes frequens utitur Hebraicorum nominum interpretationibus, & aliorum

Homil. in Cantic.

rum

rum Operum suorum citationibus: denique quia eas Rufinus Latine reddidit, atque eædem tomorum decem, quos in Canticum scripsit Origenes, partem constituant. Ad Erasmi autem argumenta respondent, Auctorem citare quidem Græcos, sed ut suos, non ut alienos nisi religione; ac nominum Latinorum interpretationes à Rufino textu Origenis fuisse additas. Quamvis autem hæc opinio non spernendis rationum momentis firmata videatur; observavimus tamen alibi totum hoc Opus nihil aliud Cassiodoro videri, quàm duarum Origenis in Cantica Homiliarum, ab Hieronymo Latine redditarum amplificationem. Quapropter æquo cujuslibet sinceri & integri hominis judicio permittimus, in eam quam veriorem crediderit ire sententiam; nec testimonium ex his Homiliis desumtum, ultra quam par est, urgendum esse censemus.

Admonit. in lib. Ambros. de Isaac & Anim. Tom. I.

CAPUT VII.

Argumentum sextum ex aliis innumeris Scriptoribus, quos adversarii epistolas Ignatio adjudicasse fatentur, desumtum.

§. I.

Argumentum ex Eusebii auctoritate desumtum.

DISPUTAVIMUS hactenus de testimoniis antiquissimorum Patrum, quibus epistolas Ignatii incognitas fuisse Dallæus ejusque Defensor mira singularique obstinatione contendunt. Nunc de iis Scriptoribus agendum, à quibus easdem & agnitas & Ignatio attributas ipsi sua spon-

rat: *Ille quod quæ Ignatium* DIXISSE *refert Irenæus, eadem in epistolis quoque scripta legerat, falsa & inani specie delusus epistolas quoque Irenæum vidisse, & etiam quod crassius est, & inexcusabilius, memorasse imaginatus est.* De Polycarpo autem: *Similis ejus est, tametsi veniâ dignior in Polycarpo oscitantia, non adtendentis duo illa quæ recitavit loca, aperte inter se pugnare.* At sane tanta, ut putamus, evidentia demonstravimus apud Irenæum verbum *dixit* idem sonare ac *scripsit*, nullamque in verbis Ignatii esse pugnam; ut Dallæum ejusque, Defensorem duplicis Eusebium accusasse erroris pigere debeat & pudere. Addamus, si lubet, duo illa loca, quæ Dallæus inter se pugnare adfirmat, ab Eusebio citata non fuisse. Sed quamvis unum vel utrumque ab eo transcriptum fuerit; probabile tamen non est virum perspicacissimum, qui tantâ diligentiâ epistolas Ignatii examinaverat, hanc si quæ esset in ejusdem Ignatii verbis, à se, uti dicitur, transcriptis, apertam non animadvertisse repugnantiam. Immo omnibus certum videri debet illa Ignatii verba secum optime cohærere, quæ Eusebius inter se pugnare non perspexit.

Constat præterea Eusebium ex aliquo quem penes se habuerat manu exarato codice prolixa, quæ ex epistolis Ignatianis exscripsit loca, in suam quam anno 326. aut juxta Dallæum 330. edidit historiam transtulisse. Atqui ex eodem Dallæo epistolæ nostræ circa finem sæculi tertii, vel initium quarti, id est, circa annum 300. exierunt in lucem. Codex igitur quo usus est Eusebius vix ante triginta annos fuisset exaratus. Quomodo ergo vir ille sagacissimus, qui tot manuscriptos codices evolverat, tot bibliothecas lustraverat, fidem

manuscripti tam recentis suspectam non habuit? Cur alios vetustiores curâ solitâ non quæsivit? Cur denique ea omnia dogmata recentiora, quæ Dallæus in his epistolis deprehendit, hæreses nimirum Ignatio posteriores, aliaque plura post eum nata, nullam ipsi ne vel minimam quidem de earumdem epistolarum suppositione injecerunt suspicionem? Nullus certe sincerus veritatis amator, hæc omnia credibilia esse sibi umquam persuadebit: sed nullum ab Eusebio perceptum de Irenæo & Polycarpo errorem agnoscet, atque epistolas nostras verum ac genuinum Ignatii opus esse ultro fatebitur.

§. II.

Secundum argumentum ex Athanasii Alexandrini testimonio deductum.

Cùm Dallæani tanta pertinacia contendant Eusebium esse fontem *omnis de Ignatianis erroris, qui pene omnes christiani nominis eruditos pervasit*; nihil mirum si concedant omnes fere post Eusebium Scriptores, ex hoc, quem corruptum dicunt, fonte suam de Ignatii epistolis hausisse sententiam. Hos igitur opinionis nostræ adsertores præstantissimos, atque omnis ætatis & eruditionis viros deserere coacti, vix duorum aut trium errata minuere, vel auctoritatem elevare conantur. Primus inter eos doctrina & merito eminet Athanasius, Alexandriæ Episcopus, qui epistolam Ignatii ad Ephesios laudat his verbis: *Ignatius post Apostolos Antiochiæ præsul, & martyr Christi, in epistolis suis de Domino ita loquutus est: Unus est medicus carnalis & spiritalis, genitus & ingenitus in homine Deus, in morte vita vera, ex Maria &c.*

De Synod. Arim. & Seleuc. pag. 922. edit. Paris.

Deo. Dallæus hoc testimonium expendens, fatetur Athanasium in eo non peccasse, quod egregium locum causæ suæ utilissimum, quem in Ignatii epistolis nactus fuerat, ejus nomine laudaverit. Magnas certè Athanasius Dallæo, quod eum à peccato, quod nullum esse poterat, urbanitate tam singulari excuset, haberet gratias, si ipsum continuo non accusaret, quod gravissima disputatione occùpatus, ostentata sibi ab Eusebio falsa Ignatii auctoritate delusus sit. Verum quo ille argumento demonstrabit Athanasium ab Eusebio fuisse delusum? Enimvero postquam historia Eusebii vulgata est, statim Athanasius relictâ Alexandriâ longe ab Eusebio fere semper abfuit, atque historiam ejusdem Eusebii in manus ejus numquam venisse vero est simillimum. Attamen esto, venerit. Nihil sane inde conficiet Dallæus. Nam testimonium Ignatii ab Athanasio transcriptum in illa Eusebii historia non reperitur. Athanasius igitur illud ex alio Scriptore, vel ex aliquo epistolarum Ignatii manuscripto codice mutuatus est. At ex quovis illud Ignatii testimonium acceperit, ipse utrumlibet tantæ antiquitatis & auctoritatis existimavit; ut inde catholicam fidem adversus Arianorum argutias & subtilitates tutò muniri & defendi posse persuasum habuerit. Hinc liquido conficitur Athanasium non ex Eusebii historia, sed ex aliquo venerandæ antiquitatis monimento epistolarum illarum, quas Ignatio tribuit, citasse testimonium. Denique ostendimus Eusebium in citandis Ignatii epistolis nullo modo errasse. Frustra igitur Athanasius ab illo delusus fuisse dicitur.

§. III.

Tertium argumentum ex Johannis Chrysostomi auctoritate elicitum.

Homil. 42. Tom. 1. edit. Paris. pag. 506.

Athanasium proxime sequutus est Chrysostomus, qui in Oratione, quam Antiochiæ de Ignatii martyrio habuit, sic loquitur: *Unde hoc fit perspicuum? Ex verbis quæ moriturus loquebatur. Cùm enim id genus supplicii sibi subeundum esse intellexisset: Ego inquit feras illas adjuvarem:* Græce vero: ἐγὼ τῶν ὀκείνων ὀναίμην ἔλεγε. Quæ quidem verba græca ex Ignatii epistola ad Romanos desumta esse nemo non videt. Attamen Dallæus contendit Chrysostomum: *Nihil Ignatii proprium præter passionem dicere, in qua illa ejus verba refert atque amplificat*: id est, juxta Dallæi opinionem, Chrysostomum hæc verba non ex epistolis Ignatii, sed ex martyrii ipsius Actis accepta referre. Verum id omnino falsum esse inde jam demonstravimus, quod verba illa non in veris & sinceris martyrii Ignatiani Actis, sed tantummodo in interpolatis & corruptis, & Chrysostomo penitus incognitis, reperiantur.

Cap. 35. pag. 446.

Ibidem.

Instat tamen Dallæus: *Cur non aliquas ex iis, epistolis, maxime laudabiles sententias, æque ac illam martyris ore prolatam recitat, suavissimis ac pulcherrimis divina sua eloquentia floribus ornatas.* Sed hæc tam frigide objicienda non erant à Dallæo, tantæ eruditionis viro, qui nescire non poterat apud antiquos Patres, qui panegyricas de martyribus aliisque viris sanctissimis orationes habuerunt, in more non fuisse ex eorum epistolis vel scriptis recitare *laudabiles sententias suavissimis ac pulcherrimis divina sua eloquentia floribus*

ornatas. Legatur panegyrica Augustini in Cyprianum oratio, legantur aliæ ab aliis Patribus peroratæ, ac in eis laudabiles eorum sententias, quas in Chrysostomo de Ignatio nostro Dallæus desiderat, recitatas nullus reperiet. Deinde Chrysostomus hanc solam ex Ignatii epistolis pulcherrimam sententiam deflorandam esse censuit, tum quia summum ejus pro Christo patiendi ardorem apertissime ostendebat, tum quia eam ad celebrandas tanti martyris laudes magis conducere arbitratus est. Denique vel sola, quam supra exhibuimus, epistolarum Ignatii analysi non obscure colligitur Chrysostomum ex iisdem ea desumsisse, quæ ibidem dicit, urbes ad quas Ignatius suo in itinere diversatus est, illum: *Cum magno commeatu dimittebant, precibus & legationibus ipsum adjuvantes.*

His subjungere possumus eumdem Chrysostomum alia in Oratione verba Ignatii quæ ex ejus ad Polycarpum epistola mutuatus fuerat, hausisse hunc in modum: *Propterea nobilis vir quidam ex veteribus, cui nomen Ignatius, quique Sacerdotio simul & martyrio decoratus fuit, ad sacerdotem quemdam scribens, dicebat: Nihil sine tua voluntate geratur, neque item quidquam absque Dei facias voluntate.* Non diffitemur negasse nonnullos hanc Orationem fuisse à Chrysostomo profectam. Verum illi tribuitur à Photio, Adriano primo summo Pontifice, Epiphanio Diacono, & secundo concilio Nicæno; ac præterea Chrysostomi stylus in ea micat; & agnoscitur. Denique id certius adseri potest, ex quo hæc Oratio absque lacunis & hiatibus in Savilii editione integra prodiit in lucem.

Homil. de uno Legislatore.

§. IV.

Quartum argumentum ex Hieronymi testimonio petitum.

De Hieronymi circa easdem Ignatii nostri epistolas sententia cur litem moveat Dallæus, satis mirari non possumus. Quid enim de iis vir ille eruditissimus senserit, tam aperte declarat; ut nihil clarius desiderari posse Dallæus ipse fateatur: Cap. 38. pag. 446. *Hieronymus*, inquit, *qui errantem Eusebium non semel sequutus est, eadem quoque de Ignatio & epistolis ejus dixit*. Et paulo post: *Eusebii omnes judicium, Hieronymus etiam verba sequutus est*. Loca autem scriptorum Hieronymi, ubi Eusebii judicium & verba, teste Dallæo, sequutus est, hîc describere non est necesse, tum quia prolixiora sunt, tum quia de his fatentem Dallæum habemus. Sufficiet itaque adnotasse ea reperiri primum in libro ejus adversus Helvidium, quem anno 383. aut 384. composuit. Deinde in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, quem edidit anno 392. Denique in Comment. in Matth. quos non ante annum 398. in lucem emisit. Ex quibus aperte & perspicue intelligimus quam constanter Hieronymus in sua de tribuendis Ignatio nostro epistolis sententia perseveraverit. At Dallæus qui hæc vera esse concedit, idem tamen eodem in libro adfirmare non dubitat: *Ipsi Hieronymo aut ignota aut spreta fuisse videri hæc, quæ hodie exstant Ignatiana*. Sed certissimum est Ignatii epistolas ab Hieronymo, si vere eas Ignatii esse cognovit, spretas non fuisse. Neque enim sanctus ille Doctor scripta quæ ab Ignatio, tanto martyre, quem honore maximo prosequebatur, profecta esse sciebat, ea spernenda esse umquam arbitratus est. Restat igitur ut

Cap. 7. & 8.

Cap. 1. & 3.

epistolæ Ignatii, si aliquando eas spreverit, ipsi fuerint incognitæ. At quomodo illæ epistolæ, quas tamdiu ab Ignatio scriptas fuisse pro certo habuit, potuerunt ipsi postea fieri incognitæ?

Audiamus tamen Dallæum hæc paradoxa propugnantem. Ignatius, inquit ille, his in epistolis Episcoporum cum Presbyteris damnat æqualitatem, quam Hieronymus *mordicus passim defendit*. Ex qua utriusque discrepantia ille statim infert Hieronymum has epistolas non habuisse, *pro vero viri Apostolici fœtu, vel nondum in iis ista tam multa fuisse, quæ hodie de Episcopatus necessitate, & præ Presbyteratu excellentia legimus*. Verum ambæ hujus argumentationis partes falsæ sunt, & ad probanda Dallæi paradoxa omnino ineptæ. Ac primum quidem consequentiæ falsitas eo demonstratur, quod eodem argumento probari posset eidem Hieronymo ea omnia antiquorum Patrum ignota aut spreta fuisse, in quibus aliqua opinio, quam ille *mordicus passim defendit*, damnata legitur. Quod sane falsissimum esse nemo, ne ipse quidem Dallæus diffitebitur. Quot enim verbi gratia Origenes in Operibus suis damnat opiniones, quas Hieronymus *mordicus passim defendit?* Numquid Dallæus recte inde concludet, ea Origenis Opera Hieronymo *ignota aut spreta fuisse, vel nondum in iis ista tam multa fuisse quæ hodie legimus?*

At, inquies, eas saltem opiniones de Episcopatus necessitate & præ presbyteratu excellentia in Ignatii epistolis sprevit, vel nondum ibi legebantur. Esto, spreverit. Non inde tamen conficiet Dallæus, quod alia omnia quæ Hieronymus in Ignatii epistolis, sicut & in Origenis Operibus

numquam arguit, ibidem semper non exstiterint; vel ea aliquando pro vere Ignatianis & Origenianis Hieronymus non habuerit.

Deinde falsum est illam opinionem de Episcopatus necessitate & præ Presbyteratu excellentia, quæ prima est Dallæanæ argumentationis pars, aliter ab Hieronymo tractari, quam ab Ignatio nostro. Id sane Scriptores doctissimi cum Catholici tum Protestantes variis dissertationibus, adversus Blondellum Calvinistam editis, invictissime demonstrarunt. Quibus vero per otium non licebit lucubrationes illas evolvere, adeant ipsum Hieronymum epist. 1. ad Heliodorum, epist. 3. ad Nepotianum, epist. 27. ad Eustochium, epist. 62. ad Theophilum, Commentar. in cap. 7. Micheæ, & cap. 60. Isaiæ, Dialog. adversus Lucifer. & lib. 1. adversus Jovinian. atque iis in locis sanctissimum Doctorem *de Episcopatus necessitate, & præ Presbyteratu excellentia* eadem plane ac Ignatium nostrum scripsisse clarissime perspicient.

Quapropter non amplius audiendus est Dallæus, qui rursus hasce Ignatii epistolas Hieronymo incognitas fuisse inde probare conatur, quod Ignatius dicat Christum à mortuis resurrexisse *diluculo*, Hieronymus vero: *Dominus resurrexit hora qua ipse voluit, & qua nulli mortalium cognita est.* At, inquit Dallæus, Hieronymus doctrinæ Ignatii repugnantia non scripsisset. Sed hoc argumentum eodem ac præcedens ruinoso, ac falsissimo nititur fundamento. Deinde illa verba quæ objicit Dallæus non in veris ac genuinis Ignatii epistolis, sed in earum interpolationibns reperiuntur.

Epist. ad Trall. Epist. ad Hebid.

Hac eadem responsione exploditur aliud Dal-

læi momentum, quo rursus Hieronymum de his Ignatii epistolis judicio falsum esse urget. Opponit namque illa sancti Doctoris verba: *Numquid non possumus tibi totam veterum Scriptorum seriem commemorare, Ignatium, Polycarpum, Irenaum, Justitum martyrem, multosque alios Apostolicos & eloquentes viros, qui adversus Hebionem, & Theodotum Bizantium & Valentinum hac eadem sentientes, plena sapientia volumina conscripserunt.* Atqui *Theodoti* nomen, inquit Dallæus, non in aliis Scriptorum omnium quos commemorat Operibus, nisi in solis Ignatii epistolis, occurrit. Hieronymus ergo loquitur de Ignatio; qui cùm ante Theodotum obierit, inde Dallæus eumdem Hieronymum erravisse concludit. Verum *Theodoti* nomen in litterarum Ignatii interpolationibus additum est. Hieronymus ergo ibi non ad Ignatium collineat, sed ad alium quempiam, puta Irenæum, vel aliquem ex iis, quos Apostolicos viros dicit, quosque ad Theodoti tempora pervenisse nullus ignorat. *Adv. Helvid.*

Instat tamen Dallæi Defensor, donec is quem Hieronymus notavit, designetur, eodem jure Dallæus eum Ignatium fuisse adfirmare poterit, quo alii alium indicatum esse volunt. Egregiam sane Dallæi defensionem! quæ eumdem Dallæum eo argumento ad opinionis suæ confirmationem usum esse contendit, quæ non magis ad suam, quàm ad adversariorum sententiam stabiliendam aptum esse fatetur. Præterea cùm Theodoti nomen, in genuinis, uti diximus, Ignatii epistolis, non inveniatur, necesse est omnino alium ab Hieronymo fuisse designatum.

Neque dixeris: Saltem Auctor noster errorem

Theodoti, Ignatio recentioris, arguit, & impugnat. Nam quot hæreticorum errores, antequam iidem hæretici in lucem editi fuissent, in sanctorum Patrum libris, tacito eorum nomine, refelluntur? Inde mos invaluit contra hæreses posterioribus sæculis ortas, traditione à primis Ecclesiæ Patribus deductâ, pugnare, easque funditus evertere. Hoc itaque sensu Hieronymus scribere potuit Ignatium, & Polycarpum, aut alios adversus Theodotum plena sapientiæ volumina conscripsisse.

§. V.

Ultimum argumentum ex aliis Scriptoribus elicitum.

Dallæus ejusque Defensor cæteros omnes post Hieronymum ad nostra usque tempora Scriptores, uno tantum & altero nequidquam exceptis, nostræ de Ignatii epistolis sententiæ subscripsisse fatentur: *Athanasium*, inquit Dallæus, *Hieronymum, & Theodoretum, multo verò etiam minus alios istis recentiores Eusebii falsæ de Ignatianis suspicioni ex quadam animi simplicitate, absque dolo malo, sed absque certa ratione adhærentes*, &c. Non est igitur necesse hîc singulorum testimonia referre: sed operæ pretium est brevem eorum catalogum texere; ut omnes audito uniuscujusque nomine, qui quantæque auctoritatis fuerint, & quam invictum ex perpetua eorum traditione ad asserendas Ignatii nostri epistolas, argumentum ducatur, possint certo dignoscere.

Cap. 36. pag. 448.

Quinto igitur Ecclesiæ sæculo proferuntur Theodoretus epist. ad Monach. Constantin. Dialog. Inconfus. Dialog. Impat. Dialog. Immutab. ubi plura ex his epistolis testimonia adversus sui tem-

poris hæreticos transcripsit. Item Gelasius in fine lib. De duabus naturis in Christo.

Sexto sæculo B. Ephrem Patriarcha Antiochenus libro De sacris Antiochiæ legibus, ubi Severianis Ignatii nostri auctoritatem opponit. Gildas epist. de excidio Britanniæ. Jobius Monachus de Incarnat. Leontius Bizantinus lib. De sect. Act. 3. ubi hæreticos auctoritatem Ignatii non secus ac Irenæi, Justini, aliorumque Patrum recepisse testatur.

Apud Phot. in Bibl. num. 228.

Ibidem. num. 222.

Septimo sæculo Anastasius Monachus lib. ὁδηγῶν, ubi eumdem hæreticorum consensum memorat. Antiochus Monach. Palæstin. Homil. 124. Item Maximus Abbas & Theodorus Presbyter, ubi de Dionysii Areopagitæ Operibus disputant, testimonium Ignatii nostri, etsi eorum sententiæ repugnans, pro certo ac minime dubio admittunt.

Ibidem.

Octavo sæculo Johannes Damascenus in lib. Parallel. & Antonius ejusdem Damasceni, ut creditur, discipulus, in Melissa.

Nono sæculo Andreas Hierosolimytanus Cretensium Archiepiscopus Homil. 2. in Nativit. B. Mariæ. Freculphus Lexoviensis in Histor. Michael Syngelus in Encomio Dionys. Areop.

Decimo sæculo Metaphrastes in Actis Martyrii Ignatii nostri.

Undecimo sæculo Auctor Locorum communium in Bibliotheca Oxoniensi.

Duodecimo sæculo Honorius Augustodunensis.

Decimo tertio sæculo Nicetas Choniates in Thesauro, Georgius Pachymeres, & Robertus Lincolniensis Episcopus, uterque suis in Dionys. Areopag. Commentariis.

Decimo quarto sæculo Nicephorus Calixtus in

Histor. lib. 3. cap. 19. atque alii quam plurimi cùm hoc sæculo tùm posterioribus, qui quoniam cuilibet sunt obvii, iis singillatim appellandis supersedemus.

Jam vero ex eruditissima tot testium omnis ætatis & conditionis multitudine quis non videt pauca esse antiquorum Patrum Opera, quæ suo quæque auctori, pluribus quam istæ Ignatii epistolæ, testibus adserantur. Deinde nemo umquam, nisi Dallæani sensus homo, vero credet esse simile omnes omnino hos Scriptores eo cæcitatis vel negligentiæ devenisse; *ut Eusebii falsæ de Ignatianis suspicioni ex quadam animi simplicitate absque dolo malo, sed absque certa ratione* adhæserint. Præterea cur hæretici, quibus testimonia Ignatii ex his epistolis desumta, ad refellendas eorum opiniones objiciebantur, nihil de earum falsitate aliquando suspicati sunt, nihilque umquam ad eorum auctoritatem elevandam, minuendam, aut in dubium revocandam adinvenire vel excogitare potuerunt? Cur denique hi omnes Scriptores & catholici & hæretici, atque ii quorum plurimi intererat, has epistolas repudiare, ad eas Ignatio vindicandas tanto consensu conspirarunt; nisi quia illas verum & genuinum Ignatii opus esse certissimis rationibus persuasum omnino habuere?

Dall. cap. 36. pag. 441.

CAPUT VIII.

Respondetur objectioni ex Nicephori & Anastasii testimonio petita.

§. I.

Nicephorum non esse auctorem Stichometriæ.

PORRO ex iis ipsis Scriptoribus, quos adversarii nobis objiciunt, novum argumento nostro pondus & robur accedit. Quos enim, quæso, eruditissimæ, quam produximus, tot virorum multitudini opponunt? Duos vel potius unum tantummodo auctorem, quemdam scilicet anonymum, quem Dallæus falsò putat fuisse Nicephorum Patriarcham Constantinopolitanum, & Anastasium, qui Græcum Nicephori vel potius anonymi Opus latine reddidit, vel si velis, ut loquitur Dallæi Defensor, qui illud *adoptavit*. Examinanda est igitur hujus Scriptoris auctoritas & testimonium. Primò Dallæus Nicephorum liberalissimis ornat laudibus, quem Defensor ejus *ictum* *Pag. 14.* nobis *lethalem* inferre adseverat. Sed ubi, amabo, vir ille summis laudibus ornandus, ictum lethalem nobis intulit? In Stichometria, quæ fragmentum est ad calcem Chronographiæ Nicephori à Librario aliquo adjectum. Dallæus autem Nicephorum illius auctorem esse, miro quodam argumento propugnat: *Hujus ipsius Nicephori est, non* *Cap. 4.* *alterius cujusdam recentioris, quod suggerere vide-* *pag. 242.* *bantur quædam à summo viro Gerardo Vossio in suo de Græcis Scriptoribus Opere adlata; idque solide & fuse demonstrat eruditissimus Goar, quem adeat si*

quis adhuc dubitet. Adivimus nos erudissimum Goar, atque hæc ipsissima ejus verba, quæ contrarium plane significant, legimus : *Canonicus sacrorum librorum laterculus ad Chronographiam nihil spectans, librarii πάρεργον judicatur.* Non solide igitur & fuse demonstrat; sed plane penitusque negat hanc Stichometriam Nicephori opus esse, atque hanc claram certamque sententiæ suæ rationem profert; quod nimirum illa ad Nicephori Chronographiam nihil spectet. Id sane cùm probe intelligeret Dallæi Defensor nova ratione, & quidem mirum in modum singulari, eamdem Stichometriam Nicephoro vetustiorem esse suspicatur. *Vehementi sollicitor suspicione ut credam istam, qua de agimus, Stichometriam Nicephoro ipso vetustiorem esse. Nemini enim eorum qui hæc studia vel summis labris degustarunt, latere puto horum indiculorum usum diu ante Nicephorum obtinuisse. A vero igitur non abhorret Nicephorum Stichometriam istam à Scriptore se admodum vetustiore habuisse, vel potius eam in calce antiquissimi sacrorum librorum codicis nactam sibi adoptasse, suæque Chronographiæ subtexuisse.* Verum ut vehemens Defensonis suspicio aliquid soliditatis haberet, ipsi primò probandum erat nullam Stichometriam Nicephoro recentiorem esse, sed omnes non solum illo vetustiores esse, sed *admodum vetustiores.* Deinde ipsi adhuc demonstrandum erat eumdem indiculum non à librario, sed à Nicephoro ipso Chronographiæ suæ superadditum. Ille autem neutrum ulla umquam ratione probabit. Contra qui manuscriptos codices vel minimo studio pervolutare solent, ii certo certius noverunt Librariorum morem esse hos indiculos aliaque ejusmodi scripta sive

In Annotat. pag. 11.

Pag. 14.

sive recentiora sive vetustiora in librorum, quos describunt, sine sæpe sæpius adjicere. Porro autem demus Dallæo, quod falsum est, hanc Stichometriam à Nicephoro Patriarcha fuisse editam: demus etiam ejus Defensori, quod ipse numquam probabit, illam opus esse Auctoris Nicephoro ipso admodum vetustioris; numquid judicium unius Nicephori vel cujusdam Scriptoris anonymi & incogniti claræ & evidenti omnium omnis ætatis doctissimorum & notissimorum virorum sententiæ præferendum est?

§. II.

Hant Stichometriam nihil officere epistolis Ignatii.

Sed age, auctoritatem & testimonium hujus Scriptoris, quicumque tandem ille fuerit, examinemus. Is varios librorum sacræ scripturæ catalogos texit, quibus recensentur, 1°, veteris Testamenti libri, 2. *Hi autem*, ut ipse ait, *sunt novi Testamenti*, 3. *quæ non admittuntur veteris Testamenti scriptura*, 4. *quæ veteris Testamenti apocrypha censemus*, 5. *quæ novi Testamenti sunt apocrypha.* Atque in hoc posteriori ordine Ignatii epistolas, aut potius, ut ipse loquitur, doctrinam collocavit. Verum hæc Auctoris Stichometriæ verba & inscriptiones nihil innuunt aliud, quam Ignatii epistolas inter apocrypha novi Testamenti esse rejiciendas, hoc est, eas inter sacros novi Testamenti libros non esse numerandas. Eam proculdubio ob causam mentionem facit eorum tantummodo librorum, qui Apostolorum aut quinque eorumdem discipulorum nomen præferebant, quosque eo nomine imprudens quorumdam pietas sacræ novi Testamenti scripturæ adscribi voluerat.

At inquiunt Dallæani, Auctor ille epistolas Ignatii eodem numero habendas esse censet, *ac Itineraria Petri, Johannis & Thomæ, quæ ex deterrimo genere apocryphorum* esse sæpius decantant. Unde audacter concludunt: *Eadem sententiâ damnata notataque fuisse Ignatiana, ad labem atque ignominiam sempiternam.* Sed eos objectionis toties repetitæ pudere aliquando debuisset. Siquidem epistolæ Ignatii sinceræ ac sine interpolationibus, quas solas defendimus, nihil nisi sanum, orthodoxum, & christianis totique Ecclesiæ utilissimum, & maxime fructuosum complectuntur. Non potuerunt ergo cum iis scriptis quæ sunt *ex deterrimo genere apocryphorum*, somniis, mendaciisque referta, & certis venenis inspersa, eadem sententia damnari *ad labem atque ignominiam sempiternam.* Itaque Auctor Stichometriæ si quid sanæ mentis habuerit, omnia scripta quæ ultimam ejus classem constituunt, inter apocrypha novi Testamenti amandando, ea à sacro divinarum scripturarum catalogo tantummodo exclusit: sed de eorum utilitate, aut de quo genere apocryphorum singula censenda sint, liberam omnibus judicandi fecit potestatem.

§. III.

Neque Anastasium iisdem repugnare.

De Anastasio autem si Stichometriam illam latine reddidit, idem omnino ac de illius Auctore sentiendum: vel potius dicendum est, eumdem Anastasium cùm interpretis non critici officio functus sit, ea quæ in manuscripto suo codice Græce scripta invenerat, latina fecisse; sed de hac Stichometria, quæ Auctoris alterius Operibus adjecta erat, nullum tulisse judicium.

CAPUT IX.

Refellitur argumentum negativum ex quarumdam Ecclesiarum consuetudinibus petitum.

§. I.

Hoc argumentum contra adversarios militat.

CUM adversarii nostri Scriptorem nullum pro sua opinione loquentem, quem invictissime tot tantorumque virorum, pro nostra sententia pugnantium catervæ opponant, possint producere; ad aliorum silentium, tamquam ad sacram anchoram confugiunt; ut saltem muta ac silenti quorumdam auctoritate vanis suis velitationibus locum aliquem dedisse videantur. Dallæus itaque magnâ verborum pompâ proponit argumentum suum negativum, quod hanc in formam torum reducitur: *Constat*, inquit ille, *has quas hodie legimus epistolas, si vere Ignatii sunt, non potuisse non esse omnibus illius & proximæ deinceps memoriæ christianis, præsertim verò litteratis & eruditis, si qui essent, notissimas.* Cap. 5. pag. 216. *At his plane penitusque ignotas fuisse has omnes quas nunc habemus, Ignatii nomine inscriptas epistolas, ipsorum quæ supersunt Opera satis, ut mihi quidem videtur, arguunt ac demonstrant. Ergo necessario illud quoque quod nos contendimus, confitendum est, epistolas illas numquam fuisse ab Ignatio scriptas.* Ibid. pag. 217. Verum quam infirma nugatoriaque sit hæc argumentatio, ex eo invicte conficitur, quod si roboris aliquid habeat, ab ea Dallæus ejusque fautores tantummodo feriantur & obruantur. In illos siquidem ipsos, qui Ignatium aliquas, ut diximus,

epistolas scripsisse firmissima adseveratione adfirmant, hoc idem argumentum tota sua vi omnique impetu sic recidit. Constat epistolas ab Ignatio scriptas non potuisse non esse omnibus & proximæ deinceps memoriæ christianis, præsertim vero litteratis & eruditis notissimas. Atqui epistolas quas Dallæani ab Ignatio scriptas esse contendunt, non his solum sed omnibus ante & post Eusebium, plane penitusque ignotas fuisse certum est. Nullum enim qui eas citaverit aut agnoverit auctorem umquam poterunt indicare. Ergo necessario illud quoque confitendum est has, quas dicunt Dallæani, numquam ab Ignatio scriptas fuisse epistolas. Hoc autem quod ipsi nobis ministrant argumentum, eo validius est, quod lethalem ictum, quem suis ipsi manibus sibi intulerunt, numquam certe declinare possint.

Præterea fatentur adversarii quod nemo etiam negare queat, argumentum adfirmativum negativo semper esse præferendum. Neque enim Scriptorum quorumlibet silentium, immo nec ignoratio efficere potest, ut ea Opera quæ ab aliis visa & lecta sunt, vere non exstiterint, & vere non sint ab auctoribus suis profecta. Atqui argumento adfirmativo has quas habemus sine interpolationibus epistolas, vere ab Ignatio nostro exaratas fuisse evidentissime demonstravimus, nimirum Polycarpi, Irenæi, Origenis aliorumque auctoritate & testimoniis, quæ ab omnibus Dallæi defensorumque ejus exceptionibus, argutiis, & cavillationibus invictissime vindicavimus.

Hæc sane satis superque esse deberent ad vanam eorum argumentationem, quæ nullam umquam, nisi contra eos, vim roburque habitura est,

penitus explodendam. Ne tamen aliquid probationum suarum à nobis prætermissum esse conquerantur, atque ut omnibus quam infirmum sit præcipuum eorum argumentum pateat, juvat omnia negativæ illius defensionis momenta adtentissime ponderare.

§. II.

Epistolas Ignatii non fuisse incognitas Ecclesiæ Alexandrinæ.

Contendit igitur Dallæus epistolas Ignatii incognitas fuisse Ecclesiis Alexandriæ aliarumque regionum, nec non etiam Tertulliano, Caio, Julio Africano, Clementi Alexandrino aliisque; quandoquidem nullam earum fecerunt umquam mentionem. Sic autem ille de Ecclesia Alexandrina disputat. Doctrina, inquit quæ in his epistolis sæpius inculcatur, ea est: *Non aliter quam ab uno Episcopo, Presbyteris præsidente, regi posse ac debere singulas Christi Ecclesias.* Atqui alius omnino, teste Hieronymo & Eutychio Patriarcha Alexandrino, erat Ecclesiæ Alexandrinæ usus. Hieronymus quippe hæc de illo tradidit: *Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Eutychius vero: *Constituit Marcus Evangelista duodecim Presbyteros cum Hanania, qui nempe manerent cum Patriarcha, adeo ut cùm vacaret Patriarchatus, eligerent unum è Presbyteris, cujus capiti undecim manus imponerent, eumque benedicerent, & Patriarcham eum crearent, & dein virum aliquem insignem eligerent*

Cap. 7. pag. 272.

Epist. 85. ad Evagr.

In Annalibus Romæ editis ann. 1659.

eumque secum constituerent loco ejus, qui sic factus est Patriarcha; ut ita semper exstarent undecim. Neque desiit Alexandriæ institutum hoc de Presbyteris, ut scilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim, usque ad tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini, qui fuit ex numero 318. id est, Patrum Nicenæ Synodi. Alexandrina ergo Ecclesia nescivit contrarium usum esse vere Apostolicum. Ignatii itaque viri Apostolici epistolas notas non habuit.

Quam infirma sit hæc ratiocinatio, ut evidentius appareat, ea in syllogismi formam ita reducenda est. Ecclesiæ in quibus viguit usus, doctrinæ ab Ignatio in epistolis suis sæpius traditæ, omnino contrarius, eæ epistolas illas nullo prorsus modo notas habuerunt. Atqui in Ecclesia Alexandrina, à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium, vel Alexandrum, uti Hieronymus Eutychiusque testantur, viguit usus doctrinæ, ab Ignatio in epistolis suis sæpius traditæ, omnino contrarius. Ipsi igitur plane penitusque incognitæ fuerunt Ignatii epistolæ. Hujus autem syllogismi utraque præmissa, cum major tum minor propositio, omnino falsa est. Et quidem propositionis majoris falsitas ex ipsis adversariorum principiis invicte demonstratur. Nam secundum illorum & aliorum omnium sententiam, Hieronymus has de quibus agimus epistolas optime cognovit, immo easdem Ignatio constanter adsignavit. Atqui juxta adversariorum communem, etsi erroneam opinionem, Hieronymus Episcoporum cum Presbyteris æqualitatem, quæ in his Ignatii epistolis ubique damnatur, mordicus defendit. Potuit ergo Ecclesia Alexandrina non solum aliquid usui habere, quod in epistolis Ignatii damnatur, verum etiam illud

cùm Hieronymo passim & mordicus defendere: atque easdem nihilominus agnoscere immo & Ignatio vindicare epistolas.

Verum non ex sola eorum secum ita pugnantium discordia elicitur propositionis illius falsitas: sed inde etiam aperte evincitur, quod varii sint variarum Ecclesiarum usus, & ea quæ ad disciplinam spectant in diversis Ecclesiis diverso modo se habeant, & mutationibus sint obnoxia. Quod quidem cùm innumeris facile probari posset exemplis ex ipso qui objicitur Alexandrinæ Ecclesiæ usu demonstrasse sufficiat. Enimvero hic eligendi & creandi Episcopi usus Alexandrinis peculiaris erat. Nam si in aliis Ecclesiis viguisset, neque Hieronymus, neque Eutychius illius tamquam rei alicujus singularis fecissent mentionem. At nullus sani capitis homo epistolas & Opera illorum, qui juxta Ecclesiæ suæ morem scribentes, aliquid usui Alexandrinæ Ecclesiæ contrarium tradiderunt, plane penitusque eidem Ecclesiæ fuisse incognita adfirmaverit.

Jam vero ut ad minorem propositionem veniamus, illius falsitas non minus quam majoris perspicua est & aperta. Hieronymus nempe & Eutychius de electione, constitutione & creatione unius Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopi loquuntur: in epistolis autem Ignatii agitur tantum de Ecclesia ab illo, qui jam ei præest, Episcopo gubernanda. At nulla profecto est repugnantia, ut Episcopus à Presbyteris electus & creatus, eisdem postea & cæteris omnibus Ministris, totique Ecclesiæ præficiatur. Quis enim nesciat Cardinales Ecclesiæ Romanæ unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum & summum Pontificem nominare, eligere & creare: ille tamen post ejusmodi

institutionem Ecclesiæ universali, ipsisque à quibus Papa creatus est, superior præponitur. Atque ut Hieronymi exemplo utamur; etsi exercitus Imperatorem fecerit, ipse tamen Imperator factus, omni præest exercitui. Hinc profecto Hieronymus Episcopum electum in excelsiori gradu collocari dixit; ut cum Presbyteris & Ecclesiæ, sicut Imperatorem exercitui præfectum & superiorem esse significaret.

Pag. 187. Urget Dallæi Defensor: *Si Presbyteris Alexandrinis licitum fuit Episcopos constituere, quidni etiam alias absque Episcopo functiones obire?* Sed eodem pariter modo dicemus: Si Cardinalibus, si exercitui licitum fuit Papam vel Imperatorem constituere, quidni etiam alias absque Papa vel Imperatore functiones obire? Quæ quidem quam falsa sint & à vero aliena, nemo, opinor, non videt.

§. III.

Num Epistolæ Ignatii vel Ecclesiis Ægypti Æthiopiæ neque Germaniæ Bajoariorum, aut Scotiæ, aut alüs fuerint incognitæ?

Instat tamen Dallæus; nec soli Alexandrinæ sed omnibus Ægypti, nec non Æthiopiæ Ecclesiis epistolas Ignatii incognitas fuisse ex eodem Eutychio, eodemque, quod satis superque confutatum est, argumento conficere se posse arbitratur. Pag. 174. *Hic*, ait Dallæus de Eutychio loquens, *etiam aliud quiddam non minus mirabile nos docet: Ab Hanania, inquit, quem constituit Marcus Evangelista Patriarcham Alexandriæ usque in tempora Demetrii Patriarchæ, nullus erat in provinciis Ægypti Episcopus: nec Patriarchæ ante eum crearunt Episcopos. Et primus hic fuit Patriarcha Alexandrinus, qui Episco-*

pos fecit. Ex Ægypto autem in Æthiopiam tranſvolans: ***In omni***, inquit, ***Æthiopiæ Eccleſia unus eſt jam ab antiquis temporibus Epiſcopus Abuna, ut vocant, id eſt, Patriarcha, qui etiam hodie ab Alexandrino Patriarcha conſecratur & mittitur. Unus hic in tota Æthiopia Ordines confert, neque alios confert, quam Diaconatum & Presbyteratum.*** Teſtes autem hujuſce rei citat Nicolaum Godinium è Societate Jeſu, & Alphonſum Mindeſium ex eadem Societate, ac poſtea Æthiopicæ gentis Patriarcham, & Joannem à Sanctis, Dominicanum à Godinio laudatum, ac tandem Franciſcum Alvarez, omnes hujuſce vel præteriti ſæculi Scriptores. Atqui huic Eccleſiarum Alexandriæ & Æthiopiæ uſui, inquit Dallæus, doctrina in Ignatii epiſtolis tradita, qua nihil ſine Epiſcopo faciendum eſſe definitur, plane penituſque contraria eſt. Hanc ergo Apoſtolicam doctrinam eſſe, atque adeo epiſtolas Ignatii plane utraque Eccleſia neſcivit.

Verum ſi Eutychius quiddam de Alexandrina Eccleſia mirabile nos docuit, mirabilior profecto falſa Dallæi ex Eutychio repetita argumentatio. Eſto enim unus in tota Ægypto fuerit Epiſcopus, unus in Æthiopia, unus etiam in Scythia aliiſque à Dallæi Defenſore non ſine faſtu objectis regionibus. Nihil ſane ibi Ignatii epiſtolis repugnans deprehenditur. Etenim quamvis unus in iis, ut aiunt, regionibus fuiſſet Epiſcopus; id tamen non prohibuit, quominus ibi, ſicuti nunc in omnibus ampliſſimæ diæceſis civitatibus, oppidis & vicis, quæ ſub unius Epiſcopi ditione ſunt, omnia ex ejuſdem imperio, nihilque ſine ejus ſententia fieret. Et ſane illud Patribus Concilii Laodiceni adeo erat perſuaſum; ut in villulis & agris nihil præter

conscientiam Episcopi civitatis agendum esse sanciverint: *Non oportet*, inquiunt, *in villulis vel agris Episcopos constitui, sed visitatores. Verumtamen jam pridem constituti nihil faciant præter conscientiam Episcopi civitatis.*

Concil. Laoc. Can. 57.

Præterea leve omnino & sublestæ fidei est testimonium Eutychii, quem & sæculo tantum decimo scripsisse, ac plura hîc peccasse nemo inficiabitur. Sed ex pluribus illius erratis illud solum observabimus, quod nullum in provinciis Ægypti fuisse Episcopum narrat, vero non videri simile, & falsitatis prorsus suspectum. Siquidem in Synodo ab Alexandro Episcopo Alexandriæ adversus Arium coacta, fere centum Episcopi interfuere: *Nos cum aliis*, inquit, *fere centum Ægypti & Lybiæ Episcopis in unum convenientes*, &c. At vero à Demetrii morte usque ad annum 318. quo Concilium illud celebratum est, tot Episcopatus recèns erectos fuisse, quis crediderit? Quid quod Eusebius testatur Nepotem Episcopum Ægypti, qui errores Chiliastarum docuerat, & jam pridem mortem obierat, à Dionysio Alexandrino fuisse confutatum. Unde non absurde colligitur eumdem Nepotem ante Demetrii tempora aliquam in Ægypto tenuisse sedem episcopalem. Denique Metaphrastes, qui non minoris est, quam Eutychius auctoritatis & ponderis, tradit Marcum *aliis quoque Ecclesiis longe lateque Episcopos, Presbyteros, & Diaconos dedisse.*

Histor. Lib. 7. cap. 24.

Quantum ad Æthiopiæ Ecclesiam, quis non miretur inauditum Dallæi ejusque Defensoris argumentandi genus? Uterque enim ex recentissimo quatuor hujus & superioris sæculi Auctorum, de rebus sui temporis scribentium, testimonio conclu-

dunt unum dumtaxat Episcopum ab initio Christianæ Religionis ibi constitutum. Quasi vero per tam longa tot sæculorum spatia, mutatio nulla ibi fieri potuerit? Plures sane in Æthiopia olim fuisse Episcopos ex ipsis adversariorum principiis liquido demonstratur. Dallæus namque Æthiopicam Ecclesiam appellat antiquissimam & nobilissimam Ecclesiæ Ægyptiacæ traducem. Atqui ex eodem Dallæo Ecclesia Alexandrina saltem post Demetrii ætatem plures habuit Episcopos. Recte ergo inde colligas hunc plures creandi Episcopos usum ab Alexandrina Ecclesia ad Æthiopicam, quæ illi suberat, jam ab his temporibus transmissum fuisse. Porro autem adversarii ante Demetrii tempora Æthiopiæ Ecclesiam ab Alexandrina originem suam hausisse incertum esse concedunt, quam alii ad Eunuchum Reginæ Æthiopum, vel ad Apostolos Thomam, vel Matthæum referendam esse arbitrantur.

Sed hæc ex abundanti dicta sunto. Nam sive unus sive plures in Ægypto & Æthiopia, atque etiam in Scythia fuerint Episcopi, nihil inde contra Ignatii nostri doctrinam; multo autem minus contra epistolarum ejus veritatem confici potest. Enimvero diutissime postquam epistolæ Ignatii toti christiano orbi notissimæ fuerunt, in Scythia aliisque provinciis unus tantum erat Episcopus, proindeque hunc morem cum doctrina in tanti martyris epistolis tradita pugnare persuasum non habebant.

Hinc ruit quod similiter de Germanica Baioariorum gente & de Scotis subjunxit Dallæus, nimirum apud Baioarios, ut Gregorius tertius, summus Pontifex memorat, nullum ante Vivilonem fuisse Episcopum: apud Scotos vero, Beda teste,

insulæ Jonæ Abbatem Presbyterum omni provinciæ, & ipsis etiam Episcopis ordine inusitato fuisse præfectum. Nam præterquam quod huic argumento jam responsum est, certe Gregorius tertius illud contra *Ecclesiasticum ordinem*, Beda autem hoc *more inusitato* peractum esse adfirmant. Quid ergo? Dicetne Dallæus ejusque Defensor omnia quæ in aliorum Auctorum scriptis secundùm ordinem Ecclesiasticum, & more usitato peragenda esse docebantur, ea Baioariis & Scotis incognita, proindeque eadem scripta falsa esse & supposititia? Si id sibi persuadere possint, nemini certe æquo rerum æstimatori persuadebunt. Cæterum etsi Ignatii epistolæ ad Baiorariorum Scotorumque gentem non pervenissent; non illæ tamen sicuti nec alia omnia Patrum scripta, quæ ad eosdem non transmissa sunt, falsitatis & suppositionis essent arguenda.

CAPUT X.

Refellitur aliud argumentum negativum ex Auctorum silentio deductum.

§. I.

Ac primum ex Epiphanii silentio.

AB Ecclesiarum de epistolis Ignatianis silentio ad quorumdam Scriptorum taciturnitatem Dallæus transivit. Sed frustra ille eodem semper argumentorum genere pugnans, caliginem tenebrasque illas offundere conatur, quas luce sua fugat Ignatius. Primo enim Epiphanium has litteras ignorasse: *Aut*, ut ipse loquitur, *quod vero propius videtur, contemsisse velut fictas*, ex eo pro-

bare se posse arbitratur, quod ubi Epiphanius adversum Aërii de Presbyterorum cum Episcopis æqualitate errores disputat, nullibi umquam laudaverit has Ignatii litteras: *Quibus*, inquit Dallæus, *nihil est in tota antiquitate adversus illam Aerii opinionem disertius*. Sed contra, certum est Epiphanium hæc scripsisse post vulgatam, quam ille procul dubio legerat Eusebii historiam, in qua tam honorifica harum Ignatii epistolarum mentio habetur. Non potuerunt ergo illi esse incognitæ. Porro si eas novit atque ab Ignatio scriptas credidit, nullus certe dubitandi locus est, eum non solum tanti martyris opus non sprevisse; sed illud etiam ea, quæ sanctissimo viro debebatur, veneratione suscepisse. Hæres. 75. Cap. 7. pag. 276.

At inquies, cur adversus Aërium earum auctoritate non utitur? Cur etiam, inquimus & nos, adversus alias hæreses tot Patrum scriptis, quibus eæ funditus evertebantur, prætermissis, tam paucis ille usus est? Numquid ea quæ omiserat, ignota habuit, aut contemsit veluti ficta? Minime gentium. Ideo igitur neque Ignatii epistolas, neque aliorum plurimorum scripta laudavit; quoniam ex Patrum testimoniis contra hæreticos pugnare mens illi non erat. Et re quidem ipsâ, nulla contra Aërium profert, sed duobus tantum Pauli sententiis ab eodem Aërio objectis respondisse legitur.

Instat Dallæus: *Quædam illic ponit* Epiphanius, *cum Ignatianis apertissime pugnantia, quale illud est quod decernit: A Presbyteris & Diaconis Ecclesiastica negotia impleri sive administrari posse. Item fuisse quasdam ab Apostolis constitutas Ecclesias, quæ à solis Presbyteris & Diaconis absque Episcopo regerentur. Quæ totidem monstra sunt & Ignatii quidem nostri epistolici hierarchicis legibus exserte defi-* Cap. 7. pag. 278.

nientis: sine Episcopis, Presbyteris ac Diaconis non vocari Ecclesiam; & necessarium esse nihil sine Episcopo operari. Verum si res ita se habeat, certè Epiphanius omnium hominum imprudentissimus, contra Episcoporum præ aliis Ecclesiæ ministris excellentiam disserens, Aërio jugulum ipse præbuit. Quod sane cùm dici nequeat; neque etiam dici potest eum scripsisse aliquid, quod cum Ignatii nostri epistolis omnino non concordet & congruat. Et verò in eo qui nobis objicitur loco, Epiphanius objectis ab Aërio Pauli verbis, respondet ibi Apostolum de iis sermonem instituere, quæ initio nascentis Ecclesiæ agebantur: quo quidem tempore cùm nondum ubique creati essent Episcopi, tum à Presbyteris vel Diaconis Ecclesiastica negotia implenda erant & administranda. At Ignatius ab Episcopis, quorum numerus sua ætate mirum in modum creverat, eadem negotia voluit administrari. Quod quidem nullibi umquam negavit Epiphanius. Nulla igitur inter eos discordia, neque pugna, sed summa utriusque consensio.

§. II.

Num epistolæ Ignatii Tertulliano fuerint incognitæ?

Plura de Tertulliano argutatur Dallæus, atque ei ignotas fuisse Ignatii epistolas quatuor adductis rationibus probare nititur. 1. Si Tertullianus eas ab Ignatio scriptas esse resciviſſet; contra sancti martyris doctrinam: *sine Episcopis & Diaconis Ecclesiam non vocari,* illud utique non scripsisset: *Ubi tres, Ecclesia est, licet laici.* 2. Ubi eos à quibus refutatus est Valentinus, enumerat, nempe Justinum Philosophum & Martyrem, Miltiadem, Irenæum & Proculum, nullam de Ignatio, his omni-

Cap. 1. pag. 77. & seq.
De exhortat. Castit. cap. 7.
Lib. cont. Valent. cap. 5.

bus antiquiore, mentionem facit. 3. Quibus in locis vehementius disputat contra Marcionem, eique ex Johanne Apostolo ostendit *præcoquos & abortivos quodammodo Marcionitas fuisse, qui Christum phantasma cum illo vindicarent*: ibi altissimum de Ignatio silentium; etsi *nemo in primo illo christianismo neque sæpius, neque acrius phantasticos illos exagitavit.* 4. Tertullianus Montanista factus contra Ignatii sententiam docet, *omnes post baptismum lapsos*, ad pœnitentiam agendam non admittendos. Orthodoxi quoque qui ipsi scripturæ sacræ, & libri Hermæ auctoritatem ibidem opponunt, ne unum quidem de Ignatio verbum habent. Ex quo infert Dallæus & Tertulliano hæretico & catholicis omnibus latuisse Ignatii epistolas.

Libr. 3. contra Marcion. cap. 6.

Lib. de pudicit.

Sed hæc futilium inaniumque rationum series est & concatenatio. Enimvero Salmasius, Blondellus, atque Albertinus, ejusdem cum Dallæo Calvinianæ hæreseos sectatores, has litteras ante Tertulliani ætatem scriptas esse adfirmant. Prius ergo Dallæus hanc sodalium suorum debuit confutare opinionem; quippe qua stante, has Ignatii epistolas, quæ cum omnibus communicabantur, in manus Tertulliani pervenire potuisse facile evincitur.

Ad Dallæi autem rationes ut veniamus, dicimus primam nullam esse & ridiculam: quandoquidem Tertullianus Montanistarum hæresim amplexatus erat, cùm scripsit; *sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici.* Quid igitur mirum si homo hæreticus, qui oppositos sacræ Scripturæ errores docet, contra orthodoxam Ignatii doctrinam scribat & loquatur. Nonne potiori jure quis ita argumentaretur: Tertullianus catholicus eadem ac

Ignatius de Ecclesia scripsit. Ergo Ignatii epistolæ Tertulliano non fuerunt incognitæ.

Ad secundam Dallæi rationem respondemus Tertulliano visum esse, ut horum quos citavit Patrum, non plurium auctoritate contra Valentinianos, decertaret. Nec sane Dallæo vel ulli jus est cum Auctore aliquo expostulare, cur non pluribus armis, vel plurium testium auctoritate cum adversariis congrediatur, cui ii, quibus utitur, ad expugnandos hostes suos sufficiunt. Tertullianus autem eos, quos citavit Patres, ad debellandos Valentini sectatores sibi satis superque esse, nec alios se citare voluisse non obscure significat, cùm

Loc. cit. de illis sic fatur: *Qui ipsorum hæresiarcharum contemporales instructissimis voluminibus & prodiderunt & retuderunt.* Illos enim & hæreticis contemporales & instructissimis voluminibus retudisse cùm dicat, duas proculdubio suggerit rationes, quibus testimonia eorum sibi sufficere, nec plura desiderari debere aperte pronuntiat.

Tertia Dallæi ratio vel sola Tertulliani verborum expositione exsufflatur. Ait enim: *Desinat*

Loc. cit. *nunc hæreticus ... à Judæo mutuari phantasma vindicans Christum; nisi quod & ista sententia alios habebit auctores præcoquos & abortivos quodammodo Marcionitas, quos Apostolus Johannes Antichristos pronuntiavit.* Hinc liquido intelligitur non aliud Tertulliani consilium fuisse, quam ut à Johannis tempore hæreticos Marcionitarum præcursores exstitisse, atque ab eodem Apostolo damnatos fuisse ostenderet. Numquid igitur ad ea probanda Johannis auctoritas Tertulliano satis non erat, nisi & Ignatius ei adjungeretur?

At verò, inquit Dallæus: Nec in reliquo illo Opere

Opere Tertullianus ullam Ignatii facit mentionem. Quid inde? Nullum etiam alium nominat. Neque tamen idcirco Tertullianum Opera aliorum, qui hunc errorem antiquissimum confutarunt, ignorasse, atque adeo nulla umquam fuisse credendum est.

Ultima Dallæi ratio non majoris est ponderis. Tertullianus enim cùm ea quæ objiciuntur, scriberet, hæreticus erat, ac proinde uti jam monuimus, catholicam Ignatii doctrinam sibi omnino adversam in medium producendam esse non putavit. Quod autem ad orthodoxos adtinet; potuerunt quidem contra Tertulliani errores auctoritate Ignatii pugnare: sed cùm eorum scripta non exstent, nihil hac de re à quoquam definiri potest. Neque enim ullus Tertullianum omnia sibi ab orthodoxis objecta fideliter retulisse, iisque respondisse, certo adfirmaverit. Et re quidem ipsa pauca quædam fuisse ab eo selecta vero prorsus videtur simile.

Urget Dallæus cur Hermæ non vero Ignatii citavit librum? Instamus & nos, cur non etiam aliorum? Porro respondemus ideo illum citasse, vel quia in sacrum scripturarum canonem à quibusdam adscribebatur, vel ob eam potissimum, quam eodem in libro reddidit rationem; quia scriptura est: *Quæ sola mœchos amat.* Ab eo quippe de mœchis utrum ad pœnitentiam admittendi essent, quæstio movebatur. Hæc ergo scriptura quæ à Tertulliano sola mœchos amare dicitur, *sola* ab eo laudari debuit. *Lib. de pudic. cap. 10.*

O

§. III.

Num Caio etiam & Clementi Alexandrino incognitæ fuerint?

Caio quoque ignotas fuisse Ignatii nostri epistolas ut probaret Dallæus, protulit ejusdem Caii fragmentum ab Eusebio relatum, ubi ex antiquis Patribus contra hæresim Artemonis, Christum purum hominem esse delirantis, sic disputat: *Ac fortasse id quod dicunt, credibile videretur, nisi eis refragarentur primum quidem divinæ scripturæ; fratrum quorumdam scripta, Victoris ætate antiquiora, quæ illi adversus gentes, & contra sui temporis hæreticos pro veritatis defensione scripserunt, Justinum intelligo, & Miltiadem, & Tatianum, ac Clementem, aliosque quam plurimos, in quorum libris Christi divinitas adseritur. Nam Irenæi quidem, & Melitonis, & reliquorum scripta, quis est qui ignoret, in quibus Christum Deum simul ac hominem prædicarunt?* Atqui, inquit Dallæus, si Caius epistolas quas defendimus, ubi Artemonis hæresis splendide confutatur, ab Ignatio profectas esse rescivisset, eis procul dubio primum in hoc fragmento dedisset locum. Verum ut omittamus Caium tertio sæculo floruisse, postquam epistolæ Ignatii, juxta Salmasii, Blondelli & Albertini, ut diximus, opinionem in vulgus prodierant, respondemus hoc argumento nihil posse confici, nisi prius Caium ad Ignatii nostri citandas epistolas necessitate aliqua adactum fuisse demonstretur. At cùm ille paucis Scriptoribus commemoratis, *alios quam plurimos* se prætermisisse testetur, nulla omnino ad eas laudandas necessitate se compulsum fuisse apertissime significat.

Cap. 9. pag. 280.

Euseb. lib. 5. cap. 28.

Instat Dallæanus Defensor : Ignatius omnium qui à Caio memorantur *antiquior & celebrior* erat : ergo ab eo debuit citari. Sed falsa est ex vero antecedente deducta consequentia. Neque enim Caius dixit se Scriptores omnium antiquiores & celebriores appellasse ; sed *fratrum quorumdam scripta Victoris ætate antiquiora.* At certe datâ operâ addidit *quorumdam;* ut hoc verbo inter eos quos omisit, plures fuisse iis quos laudavit antiquiores & celebriores, nemo inficiaretur. Caius igitur non magis epistolas Ignatii, quam aliorum scripta, quæ non citavit, ignorasse dicendus est.

Idem judicandum de Clemente Alexandrino, prosequitur Dallæus. Si idem judicandum de Clemente, jam ipsemet Dallæus causâ suâ cecidit. Ipsum tamen audiamus. Ait itaque Clementem vetustissimum esse & doctissimum secundi sæculi præcipitis scriptorem. Id & nos verissimum esse dicimus. Ait rursus eum pro immensa sua eruditione plurimos Auctores cum gentiles, tum Christianos passim laudasse. De gentilibus quidem non refragabimur, sed longe plures Christianos ab eo omissos, quam citatos contendimus. Quomodo tamen cumque res se habeat ; quid inde contra Ignatii nostri epistolas ? *Certe,* inquit Dallæus, *ubi tradit hæreticorum sectas Hadriani Augusti temporibus coalescere cœpisse, opportunus erat locus Ignatiana commemorandi;* quorum ibi ne meminit quidem. Quid ergo ? Quoties Scriptori opportunus fuit locus Ignatiana commemorandi, toties eorum si non meminit, nec illi cognita, nec ab Ignatio scripta esse pronuntiabitur ? Mira sane argumentandi ratio. Sed mirabilius profecto quem Dallæus opportunum Ignatiana commemorandi *Cap. 9. pag. 281.*

locum adsignaverit. *Ignatianas epistolas*, verba ejus sunt, *suæ traditioni repugnantes si scivisset, vel eas refutasset, vel suam ipse traditionem ad earum normam correxisset*. Novum plane & inauditum argumenti negativi genus? Numquid ut sanctissimi alicujus Scriptoris sententia refellatur, ille nomine suo appellandus est? Immo ut prudentius securiusque Ignatius confutaretur, celeberrimo illius nomini parcendum erat.

Saltem Clemens ad Ignatii normam, urget Dallæus, traditionem suam correxisset. Neque hoc magis necessarium. Potuit enim Clemens alicubi, vel errore, vel incogitantia, vel memoriæ lapsu ab Ignatii opinione recedere. Porro autem Clemens Alexandrinus, quem Dallæus virum summæ eruditionis merito nominat, nescire non poterat plures ab initio nascentis Ecclesiæ ortas hæreses. Quapropter in illo opportuno, sicuti loquitur Dallæus, loco non aliud animo intendebat Clemens; quam ut eos de quibus differit, hæreticos, non tantæ, quantum ii jactitabant antiquitatis fuisse ostenderet. Ad id autem probandum necessaria non erat Ignatii nostri auctoritas.

Atque hic terminatur negativum adversariorum argumentum, è Scriptorum de Ignatii epistolis silentio petitum; quod magno quidem verborum apparatu, miraque argutiarum inutilium pompa venditant; sed nullo rationum pondere, nulla probatione valida & firma tuentur ac defendunt. Nos è contrario argumentis adfirmativis, ab Scriptorum nobilissimorum auctoritate desumtis, hanc primam epistolarum classem Ignatio nostro, uti putamus, invictissime vindicavimus.

Caput XI.

Probatur ex ipsis epistolis Ignatium Antiochenum earum vere esse auctorem.

§. I.

Primum argumentum.

Has autem epistolas non sola præstantissimorum Auctorum testimonia Ignatio vindicant: sed ipsæmet etiam epistolæ se ab eodem sanctissimo Martyre scriptas esse palam aperteque testificantur. Etenim in iis verus genuinusque viri Apostolici divino igne inflammati, atque ad martyrium incredibili ardore properantis stylus ubique micat, & ab omnibus facile agnoscitur. Modus ipse quo litteræ exaratæ sunt, errores, hæresesque in iis impugnatæ, doctrina sive morum, sive fidei Christianæ ibi tradita, cætera denique omnia non alium, quam virum inter Apostolorum discipulos sanctissimum, inter sanctissimos Martyres celeberrimum, inter celeberrimos primosque Ecclesiæ Præsules, præstantissimum designant produntque auctorem. Id quidem longa inductione probare non suscipimus, quod sola quam dedimus, harum epistolarum analysi planum fit omnibus omninoque perspicuum. Verumtamen Dallæus in illis è contrario auctorem Ignatio longe posteriorem se se deprehendisse putat, idque non minus quam sexaginta rationibus probare conatur. Sed cùm plurimæ ad Ignatianarum epistolarum interpolationes, vel ad epistolas Ignatio perperam adscriptas pertineant, his prætermissis, ad eas

tantum quæ nostram genuinarum litterarum classem spectant, respondendum esse credidimus.

§. II.

Secundum argumentum.

Verum ante omnia operæ pretium est observare omnes Dallæi defensorumque ejus objectiones, ex iis quæ supra retulimus, Patrum testimoniis jam esse funditus eversas. Polycarpus namque, Irenæus & Origenes nihil in his litteris animadverterunt, quod Ignatii ingenio, moribus, & ætati omnino non congrueret. Si vero pressius cum adversariis agamus, illud idem ex iis quæ ipsi verissima esse concedunt, invictissime demonstrabimus. Fatentur enim has epistolas Eusebio, Athanasio, Hieronymo, Theodoreto aliisque innumeris Scriptoribus fuisse notissimas, atque Ignatio adtributas. At si in iis tam paucis atque adeo brevibus epistolis tanta, ut adversarii contendunt, esset rationum cum Ignatii ingenio, moribus & sæculo pugnantium multitudo, fieri non potuit ut eæ omnes tot viros eruditissimos, acutissimos, diligentissimosque fugerint, atque in illorum animos de earumdem epistolarum suppositione ne minimum quidem scrupulum ullamve injecerint suspicionem. Et quamvis omnes cæcitate perculsi fuissent, fieri saltem non potuit, ut Eusebius ab Ignatii tempore non adeo remotus, historiam suam ex antiquis Patrum monumentis concinnando, ea non viderit, quæ moribus, rebusque omnibus Ignatii tempore usitatis, tantopere adversabantur. Dicendum igitur quod cùm Eusebius aliique omnes in his epistolis nihil non Ignatia-

num deprehenderint, nihil revera in iis esse, quod ab Ignatio scriptum non fuerit.

Caput XII.

Objectiones Dallæi ex hæreticis & hæresibus petitæ solvuntur.

§. I.

Objectio ex Saturnili hæresi petita solvitur.

Sequamur tamen Dallæum ejusque Defensorem, atque eos ubique aberrantes in veritatis viam, si fas est, reducere satagamus. Itaque prima Dallæi ratio desumitur ex iis quæ in Ignatii epistolis notantur, sive hæresibus sive hæreticis, quos post illius mortem exortos fuisse cùm putet, inde has epistolas ab eo scribi minime potuisse inducit. Has autem inter hæreses Dallæus errorem Saturnili, qui Christum *putative tantum visum fuisse* garriebat, impugnari acriter contendit. Verum tam infirma est hæc Dallæi conjectura; ut Defensor illius aperte & ingenue dicat: *Quæ in illo,* scilicet Dallæo, *observantur vel Vindiciarum auctorem,* nempe Pearsonium, *non tangunt, vel tanti non sunt momenti, ut nos detinere debeant.* Et re quidem ipsa Ignatiano telo non Saturnilus, aut aliquis Ignatio posterior hæreticus, sed Menandriani, vel Ebionitæ, vel Cerinthiani configuntur.

Cap. 11. pag. 191.

Pag. 157.

§. II.

Objectio ex Valentinianorum Sige petita diluitur.

Maximum & palmarium Dallæi ea de re argu-

Epist. ad Magnes. mentum ducitur ex hac Ignatii nostri sententia: *Unus est Deus, qui manifestavit se ipsum per Jesum Christum filium ipsius, qui est ipsius verbum æternum, non à silentio progrediens.* Omnis vero difficultas in his verbis posita est: *non à silentio progrediens:* οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών. Hæc enim, aiunt, verba feriunt Valentinum, Ignatio posteriorem, qui *ex Sige ortum Logon docebat.* *Dallæ. cap. 12. pag. 293.* Quod quidem cùm nullus ante eum somniasse memoretur, illud ab Ignatio argui nullo umquam modo potuit. Quod si respondeas Valentinum errores suos à Gnosticis hausisse, concedunt quidem Dallæani: *Pag. 303.* *Ipsam rerum sylvam atque materiam, ex qua Valentinus sua composuit, jam apud vetustiores partim Gnosticos hæreticos, partim etiam Poëtas aut Philosophos ethnicos fuisse.* Sed contendunt novam aliquam inter Gnosticos sectam à Valentino fabricatam, cujus hæc peculiaris, qua à cæteris discriminabatur, opinio erat: *Logon à Sige ortum vel immediate, ut à matre filium; vel mediate, ut ab avia nepotem.* Hinc inquiunt, Irenæus tradidit: *Lib. 1. advers. Valent. cap. 5.* *Valentinum veteres doctrinas in proprium characterem transtulisse.* Denique audacter adfirmant hæc à Gnosticorum aliquo si scripta sint, illum in Valentini schola fuisse edoctum.

§. III.

Incertum esse utrum Valentinus post Ignatii tempora errores suos disseminare cœperit.

Atque hoc præcipuum est adversariorum argumentum, quod mira ostentatione invictissimum esse jactant. Verum Moynius ejusdem cum Dal- *Var. sac.* læo Calvinianæ sectæ Minister, illud adeo leve ac

imbecillum esse judicavit; ut nullam inde difficultatem creari posse ultro fateatur. Et certe hæc probatio perperam ab eis venditata, variis refellitur rationibus, quarum unaquæque ad eam penitus destruendam sola sufficit. Enimvero primò incertum est num Valentinus Ignatii tempore non vixerit, tuncque cœperit errores disseminare suos. Nam Irenæus, qui Valentinum probè noverat, quique jam ab Eleutherii Papæ ætate, id est, intra annos 177. & 192. ejusdem Valentini hæresim confutarat, de eo hæc memoriæ prodidit: *Valentinus venit Romam sub Hygino, increvit verò sub Pio, & prorogavit tempus usque ad Anicetum.* Hyginus autem sedem Petri Romæ tenuit juxta vulgarem opinionem ab anno 152. ad annum 156. vel juxta emendatiorem Henschenii & Papebrochii catalogum Romanorum Pontificum ab anno 138. ad annum 150. Eusebius vero qui in historia sua Irenæum sequutus est, in Chronico hæc habet ad annum 142. *Sub Hygino Romanæ urbis Episcopo Valentinus Hæresiarches, & Cerdo magister Marcionis Romam venerunt.* Et ad annum 146. *Valentinus hæreticus agnoscitur, & permanet usque ad Anicetum.* Porro autem Valentinum antequam Romam adventaret, errores suos spargere cœpisse vero videtur simillimum. Nam idem Valentinus ab iis qui Irenæum præcesserant, jam fuerat confutatus, ut ipsemet Irenæus ibidem testificatur: *Quapropter hi qui ante nos fuerunt, & multo nobis meliores, non tamen satis potuerunt contradicere his qui sunt à Valentino; quia ignorabant regulam ipsorum, quam nos cum omni diligentia in primo libro tibi tradidimus.* Et de Polycarpo scribens; *Is enim est*, infit, *qui sub Aniceto cùm ad-*

Iren. Prolog. in lib. 4. advers. Valent.
Lib. 3. advers. Valent. cap. 3.

Histor. lib. 4. cap. 11.

Prolog. in lib. 4. adversus Valentin.

Lib. 3. advers. Valent. cap. 3. *venisset in urbem, multos ex his, quos prædiximus, hæreticos*, Valentinum nempe & Marcionem, *convertit in Ecclesiam Dei*. Num autem diu ante tempora Hygini Valentinus hæresim suam publicare cœperit, nihil à quoquam indubitatum statui umquam potuit.

Urgent tamen ex citato, Eusebii Chronico, Valentinum anno tantum 146. agnitum. Ergo inferunt, antea nec agnitus erat, nec proinde errores sparserat. Sed quamvis ex eo urgere non deberent Chronico, in quo menda esse prædicant; dicimus tamen in hujuscemodi scriptis verbum, *agnoscitur*, non ita accipiendum esse, ac si numquam antea hæreticus ille à quoquam agnitus fuisset: sed nihil aliud significare, quam illum qui privatim & sensim sine sensu errorum suorum venena prius propinaverat, jam apertissime ea spargentem ab omnibus agnitum.

At inquiunt, Valentinus, teste Tertulliano, sub pontificatu supremo Eleutherii, id est, ut diximus, circa annum 180. Romæ adhuc commorabatur. Unde concludunt illum Ignatii tempore aut inter vivos, aut saltem inter pravos hæreseum doctores potuisse adnumerari. Sed in Tertulliani libris describendis erratum fuit, vel ipse errasse censendus est. Irenæus siquidem diligentissimus errorum Valentini investigator, in suo libro, quem sub eodem Eleutherio summo Pontifice composuit, adseverat Valentinum tantummodo usque ad Anicetum tempus Romæ prorogasse, id est, non vixisse, aut ibi non comparuisse amplius. Huic Irenæi sententiæ subscripsit Eusebius scriptor oculatissimus. Ex quibus recte concluditur obscurum esse omninoque incertum num Valentinus Ignatii nostri tempore

errores aliquos non sparserit in vulgus.

§. IV.

Valentinianos hunc de Sige errorem à Gnosticis hausisse.

Fac tamen Valentinum Ignatio fuisse posteriorem: quid inde contra sanctissimi Martyris epistolas, si Valentinus hanc de Logo à Sige orto hæresim ab hæreticis vetustioribus hausit, quam in eis damnat Ignatius? Concedit autem Dallæus, ut supra monuimus, *ipsam rerum sylvam atque materiam, ex qua Valentinus sua composuit, jam apud vetustiores, partim Gnosticos hæreticos, partim etiam Poëtas aut philosophos ethnicos fuisse.* Quid ergo novi protulit Valentinus? Respondet Dallæus illum huic sylvæ ac materiæ novam dedisse formam, dispositionem, & ordinem; quibus, inquit, secta ejus à cæteris omnibus recte distincta est, atque ille ab Irenæo jure traditur, *antiquas in suum characterem transtulisse.* Sed quænam, amabo, est illa Valentiniana forma? Non ea quidem sita est in verbis, Nus, Logos, vel Sige; quandoquidem *Patrem innatum*, inquit Dallæus, *& Nun & Logon apud Basilidem, & Sigen apud Antiphanem Poëtam invenio.* Quænam est ergo illa forma? *Logon è Sige ortum*, prosequitur Dallæus, *apud neutrum invenio. Ea rerum dispositio apud unum Valentinum ejusque discipulos exstat.*

Pag. 303.

Lib. 1. advers. Valent. cap. 5.

Pag. 303.

Ibidem.

Sed Dallæus ea profecto quæ paulo post ipsemet retulit, Irenæi verba non satis adtente legerat. Irenæus quippe ibi de Antiphane Poëta sic disserit: *Unde & ipsi*, Valentiniani, *sibi adsumentes fabulam.... solummodo demutantes eorum nomina, idipsum autem universorum generationis initium, & emissionem ostendentes, pro nocte & silen-*

Lib. 2. advers. Valent. cap. 19.

tio Bithon & Sigen nominantes ... ac pro primis & maximis diis æonas formaverunt, & pro secundis diis eam quæ extra pleromatis ipsorum enarrant dispositionem. Neque has primorum deorum ac æonum generationes, emissiones & ortus à paganis tantum, sed etiam ab hæreticis decerpsisse idem Irenæus paulo supra dixerat : *Hæc autem quæ dicta sunt de sensu emissionis, similiter & adversus eos, qui à Basilide sunt, adversus reliquos Gnosticos, à quibus hi initia emissionum accipientes*, &c. Atqui has inter deorum ac æonum emissiones, sive primas, sive secundas, debuit proculdubio esse ortus Logos è Sige. Valentiniani ergo ortum illum non secus ac reliquas deorum suorum emissiones ab Ethnicis atque hæreticis mutuati sunt.

Ibid. cap. 20.

Neque vero ibi sistit Irenæus, sed ipse eodem in loco addidit : *De ea autem quæ est ex his secunda emissione hominis & Ecclesiæ ipsi patres eorum falso cognominati Gnostici impugnant adversus invicem, sua propria vindicantes, & malos fures se esse convincentes.* Hinc liquido intelligitur Valentinianorum patres fuisse Gnosticos, à quibus non primam solum, sed etiam secundam æonum emissionem acceperant. Eam enim ob causam puri merique Gnostici Valentinum ejusque sectatores, eo quod in patrum suorum doctrina & placitis plurima immutassent, *malos fures esse* convincebant. Contra vero Valentiniani illos sui temporis Gnosticos earumdem incusabant immutationum. Quo certe ex dissidio atque conflictu apertè colligitur utrosque & Valentinianos & posteriores Gnosticos ab antiquioribus non sylvam dumtaxat & materiam, sed deorum æonumque ortus hausisse & emissiones.

Respondet Dallæanus Defensor non Gnosticos, sed Valentini discipulos has doctrinarum suarum sibi invicem exprobrasse & objecisse mutationes. Sed ipsum eorum, quæ cum Dallæo paulo ante dixerat, oportebat esse memorem. Nam ipse non secus ac Dallæus Valentinum Romæ Eleutherii Papæ tempore, quo Irenæus hunc quem citamus librum edidit, commoratum fuisse pertinacissime adseverat. Atqui si Irenæus eo in libro memoriæ prodidit discipulorum Valentini patres fuisse alios ejusdem Valentini discipulos; ita ut Valentinus nepotes haberet, de variis doctrinæ suæ, quæ ab eis factæ fuerant, immutationibus acerrime disputantes, hinc planum perspicuumque fiet Valentinum, ut supra dicebamus, ipso Eleutherii pontificatu esse longe antiquiorem. Quod cùm à Dallæanis præfracte negetur, illud ab Irenæo scriptum non fuisse invicte conficitur.

At inquies quænam igitur erat Valentinianæ sectæ forma peculiaris & propria? Respondemus eam esse quæ Irenæi verbis, à nobis jam relatis, designatur. *Demutantes nomina & pro primis & maximis diis æonas formaverunt, & pro secundis diis eam quæ extra pleromatis ipsorum enarrant dispositionem.* Atque iis nominibus novos forsitan addiderunt, vel immutaverunt emissionum & ortuum ordines. Cæterum ad novam inter hæreticos maxime vero Valentinianos condendam sectam non magna doctrinæ immutatio requirebatur, ut ex iis quæ de Ptolomæo narrat Augustinus, quivis facile intelligat: *Ptolomæus*, inquit, *discipulus Valentini hæresim novam condere cupiens, quatuor æonas, & alios quatuor adserere maluit.* Si hæc sola mutatio novam inter Valentinianos sectam creavit; *Lib. de Hæresib.*

frustra in inquirenda nova Valentinianæ sectæ forma desudat Dallæus, quæ in superioribus Irenæi verbis facile agnoscitur.

Cap. 12. pag. 298. Tertull. de præscript. cap. 34. Neque erat quod ultra ille objiceret scriptum à Tertulliano ante Marcionem & Apellem, & antequam Valentinus æonas suos spargeret, neminem docuisse alium esse Deum creatorem. Ex quo inferebat idem Dallæus Valentinum nihil ab antiquis esse mutuatum. Nam ante Valentini tempora hanc impietatem à Basilide, Saturnilo atque Gnosticis antiquioribus disseminatam fuisse ita certum est; ut Dallæi Defensor illum hac in re penitus deserere, erroremque illius, quem celare amplius non poterat, aliquando tandem confiteri coactus sit. *Pag. 214.*

§. V.

Ignatium ad Valentinianos nullo modo respexisse, sed ad Ebionitas.

Porro quæ quumque illa fuerit sectæ Valentinianorum forma, errorque peculiaris & proprius, ad eos Ignatius nullomodo collineavit, multoque minus eos, ut ait Dallæus, *apertissime cædit*. Illud quippe clare demonstratur ex eo quod quamvis Dallæus nulli pepercerit labori, ut omnia quæ his Ignatii dictis: *Verbum à silentio progrediens*; præponuntur, ea cum Valentinianorum erroribus, fabulis, & deliriis omnino cohærere ostenderet; ille tamen de præcipuo, quod ibidem ab Ignatio tractatur, argumento, nimirum vitam nostram *secundùm Judaïsmum* non esse instituendam, ne ullum quidem verbum fecit. Unde ergo tam altum Dallæi defensorumque ejus hac de re silentium? Nulla certe alia illius causa fuit; nisi quia Valen-

tiniani hoc de argumento eadem ac Ignatius, cæterique omnes orthodoxi, sentirent. Jam vero cùm res procul dubio ita se habeat, ab adversariis postulamus, num alicui probabile fiet Ignatium ad refellendos Valentinianos ibi animum adpulisse, ubi errorem ab hæresi Valentiniana omnino alienum, & rationibus ad eam nullo modo spectantibus impugnabat. Præterea illud quod objiciunt ab Ignatio dictum: *Verbum à silentio progrediens*; ibi unius momenti & argumentationis, qua legem Mosaïcam non amplius servandam esse Ignatius probat, partem constituunt. Cùm ergo tota argumentatio illa ad Valentinianos non spectet; neque unam ejus partem ad eos respexisse certum videtur.

Sed age, rem ipsam accurate inspiciamus. Dicit Dallæus Valentinianos docuisse in ficta æonum suorum genealogia, *ex Sige eductum Logon vel immediate, ut à matre filium; vel mediate, ut ab avia nepotem.* Sed hac disjunctiva conjunctione, *immediate vel mediate*, non sine dolo utitur: ut ea fraude Valentinianos ab Auctore nostro impugnatos incautis & simplicioribus persuaderet. Nam Valentiniani numquam ex Sige Logon *immediate* eductum docuisse perhibentur. Hæc igitur disjunctionis Dallæanæ pars, *immediate*, è medio tollenda est. Enimvero Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, atque alii, qui de Valentiniana hæresi disseruere, tradunt inter fictos Valentinianorum deos, & utriusque sexus æonas, primos fuisse Bithon & Sigen, seu silentium, & ex eorum conjugio processisse Nun & veritatem; atque ex istis deinde processisse Verbum seu Logon, & Vitam. Ex quibus luce meridiana clarius est, eos ni-

hil aliud dixisse, quam Logon processisse tantum mediate ex Sige, tamquam filium ab avia. Quis autem in animum sibi inducat, Ignatium ubi alios quam Valentinianorum errores refellit, ad eos tamen eosque solos respexisse, cùm: *Verbum non à silentio progrediens*, nec plura ad eos spectantia ibidem scriberet? Cur à filio ad aviam nullo medio transivit? Cur nec de patre, nec de matre, nec de fictis aliorum æonum conjugiis, parentibus, filiis ne unum quidem fecit verbum? Ratio sane in promtu est, & cuivis æquo rerum æstimatori obvia, Ignatium nempe cùm epistolam suam scriberet, nihil de Valentinianis cogitasse.

At si perspicuum est Ignatium ad Valentinianos non collineasse, certe manifeste apparet, Ebionitas ab eo impugnari. Id Moynio ultimo, qui hac de re scripsit, licet Calvinianæ sectæ Ministro, adeo persuasum erat; ut banc Dallæo objectionem, sicuti supra memorabamus, nullius vel minimi momenti esse palam meritoque pronuntiaverit. Verum enimvero certum est Ignatium contra eos pugnare, qui legem Mosaïcam servandam esse adfirmabant. Illos enim his verbis adgreditur: *Non erretis extraneis opinionibus, neque fabulis veteribus, inutilibus existentibus. Si enim usque nunc secundùm Judaïsmum vivimus, confitemur gratiam non accepisse.* Atqui certissimum est hunc errorem de vita secundùm Judaismum agenda ab Ebionitis fuisse adsertum. Id quippe ex omnibus, qui de his hæreticis aliquid memoriæ tradiderunt, liquido colligimus, præsertim ex Irenæo, Augustino, ac Epiphanio, cujus solius verba hîc referre sufficiat: *Ebion*, inquit, *Judæorum ritus ac cerimonias amplexus, veluti sabbatum ac circumcisionem, alia-*

Lib. 1. advers. Hær. cap. 26. Lib. de hæres. cap. 6. Hæres. 30. §. 2.

que id genus perinde atque à Judæis ac Samaritanis observatum. Quo autem modo eos Ignatius refellat, verbaque à Dallæanis nobis objecta, ibidem adhibeat, audiamus: *Divinissimi enim Prophetæ,* sic ille prosequitur, *secundùm Christum Jesum vixerunt. Propter hoc & persecutionem passi sunt, inspirati à gratia ipsius ad certificare impersuasos, quoniam unus Deus est, qui manifestavit se ipsum per Jesum Christum, filium ejus, qui est* VERBUM ÆTERNUM NON A SILENTIO PROGREDIENS, *qui secundum omnia beneplacuit mittenti ipsum. Si igitur in veteribus conversati, in novitatem spei venerunt, &c.* Ex quibus hanc elicit conclusionem, non amplius secundùm Judaïsmum, sed secundùm Christianismum vitam esse instituendam. Porro hoc Ignatii telo duo Ebionitarum errores configuntur, quorum altero homines ad legis veteris observationem adhuc teneri volebant, altero autem Christum non Deum, sed merum hominem esse garriebant. Hunc vero postremum errorem Ignatius inde confutabat, quod Prophetæ divina adflati gratia, vixerant secundùm Christum, quem verbum æternum esse profitebantur. Quam quidem verbi æternitatem ut clarius breviusque exponeret, dixit illud esse *Verbum æternum non à silentio progrediens*, id est, quod cùm silentio posterius non fuerit, semper à Patre æterno est prolatum; ac proinde ejusdem cum eo æternitatis sit, omnino necesse est. Certè hunc Ignatii verborum verum esse sensum inde confirmari potest, quòd ad idem significandum simili ac pene eodem loquendi modo postea usi sunt, Auctor sermonis Augustino quondam adscripti: *Verbum*, inquit, *quod dicturus ante non silebat, quo dicto non siluit.* *Apud August. num. serm. 160.*

Quod est verbum sine tempore. Et Fulgentius: *Verbum nullo umquam potuit coërceri silentio; quia ipsa est Patris sempiterna locutio.*

olim serm. 1. de Nativit. Lib. 1. ad Trasimund. cap. 18.

Contra tamen Dallæus, si hæc verba: *non à silentio progrediens*, exponunt *verbum æternum*, *plane otiosa*, inquit, *esset Ignatii oratio, & vitiosa:* otiosa, quoniam *si verbum est æternum, eo ipso non cœpit à silentio:* vitiosa, quia *nemo non videt rectius clariusque dici verbum Patris æternum esse, quam id à silentio, aut post silentium cœpisse.* Sed hæ vanæ sunt hominis frustra litigantis argutiæ. Si enim *otiosa* esset, vel *vitiosa* hujuscemodi oratio, innumeræ Patrum orationes, quibus obscuras dictiones aliis clarioribus explicare conantur, iisdem notis essent inurendæ. Cæterum apte omnino atque apposite rei alicujus æternitas ex eo declaratur, quod eam nihil umquam præcesserit. Quod quidem si cui rei conveniat, illud certe verbo ac sermoni, natura sua fluido & transeunti, quodque post silentium semper incipere arbitramur, aptissime congruit. Quapropter Ignatius nec brevius nec convenientius poterat verbi æternitatem, seu verbum æternum, explicare, quam cùm illud omni silentio prius esse, nec à silentio progredi adseruit. Hinc Auctores à nobis supra citati eamdem verbi æternitatem eodem loquendi modo explicuere: *Verbum*, inquiunt, *quod dicturus ante non silebat. Verbum quod nullo umquam potuit coërceri silentio.*

His rursum opponit Dallæus Ignatium non dixisse μετὰ τὴν σιγὴν post silentium, sed ἀπὸ τῆς σιγῆς προελθὸν, *à silentio progrediens.* Quod, inquit ille, denotat *locum, causam, vel certe principium, ut scholæ loquuntur, constitutivum fuisse silentium,*

non simpliciter terminum à quo cœperit generatio. Atqui, prosequitur idem Dallæus, hoc non silentio potest adtribui, sed Valentinianorum Sige, uni ex fictis eorum diis seu æonibus, ex quo Logon *mediate vel immediate* productum fuisse delirabant. Verum puduit Dallæi Defensorem quod ille ad scholas, quas sæpius irridet & explodit, quæque tria rerum principia materiam, formam, & privationem, quidni & silentium, admittunt, tam inepte nos remiserit. Et certe si ad Grammaticorum, non autem Philosophorum scholas rediisset Dallæus, ibi profecto didicisset eumdem sæpius horum verborum μετὰ τὴν σιγὴν atque ἀπὸ τῆς σιγῆς esse sensum & significationem; proindeque Ignatium utroque loquendi modo indiscriminatim uti potuisse. Cæterum Ignatius in his epistolis clam cursimque à se conscriptis non verbis arte scholarumque methodo compositis atque aptatis, sed iis quæ zelus & incredibilis martyrii ardor suggerebat, usus est.

Instar Dallæi Defensor hæreticos quos Ignatius hacce in epistola confutat, eos esse *qui Christi mortem negabant, & Jesum à Christo separabant, & utrumque à Verbo dividebant, quod in Ebionæos cadere non potest.* Futilis profecto & vana est hæc Dællæi defensio. Neque enim Ignatius hos errores ea in epistola confutasse legitur. Deinde nullus negaverit plures in eadem epistola errores potuisse ab Ignatio refelli. Dallæano igitur Defensori probandum erat hæreticos in illo, quem Dallæus objecit, loco ab Ignatio nostro confutatos, eos esse qui, quos ipse recensuit, errores propugnabant. Quod certe nec ille nec alius quisquam demonstrare umquam poterit.

P ij

§. VI.

Alia explicatio verborum Ignatii proponitur.

His omnibus ad varias adversariorum nostrorum argumentationes & sophismata responsis illud insuper possumus adjicere, hanc Ignatii sententiam *verbum æternum non à silentio progrediens*, idcirco ab eo hac in epistola videri exaratam; quia ibi duo Christi mysteria fuisse docebat, alia quidem obscura, in tenebris ac silentio ab eo patrata; unde ipse: *Et latuit principem sæculi hujus*, inquiebat, *virginitas Mariæ, & partus ipsius, & mors Domini, tria mysteria clamoris, quæ in silentio operata*, seu *patrata sunt*. Alia vero luminosa, luce ac splendore suo fulgentia & micantia. Tale erat mysterium generationis ejus æternæ, ab antiquis Patribus & Prophetis agnitum atque annunciatum, de quo Psalmista cecinit: *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te*. Potuit itaque Ignatius, cùm suam epistolam exarabat, ad Psalmistæ verba adtendens scribere: *Verbum æternum non à silentio progrediens*, id est, verbum æternum è divino æterni Patris sinu non in silentio, vel ulla tenebrarum obscuritate, & caligine progrediens, sed in splendoribus sanctorum ex ejus utero genitum. Quo quidem loquendi modo, eo lubentius usus est, quod inde non solùm divinum ejus splendorem, sed etiam æternitatem illius, quam nihil omnino præcessisset, evidentius demonstrabat. Nihil ergo in hac locutione occurrit, quod non sit vere Ignatianum, & à tanto martyre in epistola, quam ipsemet dedit, recte apteque exaratum & traditum.

Psal. 109. 3.

CAPUT XIII.

Nulla esse in his epistolis præter temporum fidem perperam ficta.

§. I.

Quam inconsiderate Dallæus objectiones suas multiplicaverit: & prima respondetur.

HÆc Dallæus de hæresibus atque hæreticis, quos in Ignatii nostri epistolis notatos esse putat, cùm dixisset, ad alia progreditur, contenditque in iisdem litteris *multa esse alia præter temporum fidem perperam ficta.* Horum autem sic perperam fictorum non minus quam undecim in uno eodemque capite profert exempla. Sed ex his undecim exemplis quatuor tantum ad eas, de quibus agimus, pertinent epistolas, cætera supposititias spectant vel genuinarum interpolationes. Ex his autem quatuor exemplis quæ ad genuinas epistolas pertinent, Dallæus in tribus à suo Defensore penitus deseritur, qui uno tantum in articulo illum tueri conatus est. Dallæum tamen de his quatuor, ne quid intactum reliquisse accusemur, disputantem audiamus. *Cap. 13. pag. 309.*

Primum itaque Dallæi argumentum ex his verbis petitur: *Et supercælestia, & gloria Angelorum, & principes visibiles*, &c. unde sic arguit: *Quod hic de principibus visibilibus Scriptor ideo fortasse dixerat, quod ejus ævo aliqua jam erat de Constantii vel Constantini ejus filii vel Christianismo vel ad Christianismum propensione sparsa fama.* De hoc Dallæi argumento sic pronuntiat ejus Defensor: *Sed hunc locum obiter tangit Dallæus; illum proferre conten-* *Epist. ad Smyrn.* *Pag. 232.*

tus, nequaquam urget. At sane illum non solùm non urgere, sed nec proferre umquam debuisset. Non enim verbum ἄρχοντες quod magistratus quoslibet ac principes significat, ibi Constantium vel Constantinum potius, quam quosvis alios principes designare potuit.

§. II.

Secunda & tertia objectioni respondetur.

Secundum Dallæi argumentum ex his verbis desumitur: *Vinctus decem Leopardis;* quo Leopardorum nomine quemdam Romanorum militum ordinem, qui Auctoris nostri tempore in usu esse desierat, denotari arbitratus est. *Sed quando*, inquit ejus Defensor, *his solis verbis nititur Dallæi argumentum, nullisque veteris Scriptoris fultum est testimonio, non usquequaque solidum mihi videtur.* Bochartus autem inde argumentum Dallæano plane oppositum elicit: *Leopardi vox*, inquit, *serius usurpari cœpit Constantini ævo. Proinde Ignatii epistolam ad Romanos, quam circumferunt, eo demum seculo fuisse scriptam vel ex hoc argumento colligas.* Sed hæc Bocharti argumentatio Dallæanâ validior non est. Siquidem Eusebius ex hac eadem epistola, quam Ignatio indubitanter tribuit, illam Leopardi vocem retulit; proindeque eam ævo Constantini judicavit esse antiquiorem. Et re quidem ipsa vox illa legitur in Actis sanctarum Perpetuæ & Felicitatis, nec non apud Spartianum & Festum, ac tandem apud Athanasium in vitâ sancti Antonii.

Tertium Dallæi argumentum inde conficitur, quod Ignatius *publice pœnitentes absolvat & reconciliet Ecclesiæ.* Verum ait ejus Defensor, *falsus est sua opinione præstantissimus Dallæus, eamque pro-*

Epist. ad Rom.

Pag. 312.

Pag. 272.

Hierox. part. 1. lib. 3. cap. 8.

Pag. 273.

pterea emendaturus esset, si vixisset, ut amico rescripsit, eique loca pro receptione pœnitentium apud vetustissimos Ecclesiæ Scriptores indicaverat. Utinam Dallæus & ejus Defensor omnes alios errores suos emendassent? Hîc tamen obiter observa quantos in errores præpostera litigandi, & sua adversus genuinas Ignatii epistolas argumenta multiplicandi prurigo Dallæum præcipitem egerit.

§. IV.

Quarta objectioni respondetur.

Quartum denique illius argumentum inde petitur, quod in his epistolis mentio fiat Onesimi Ephesiorum Episcopi, quem anno 107. vel 108. quo hæ epistolæ datæ sunt, vitâ functum fuisse probat ex Nicephori Historia. Addit quod neque à Græcorum Menæis vel à Simeone Metaphraste agnoscatur hîc Onesimi Episcopatus Ephesinus; ab Auctore autem Constitutionum Apostolicarum non Ephesini sed Berrœæ Episcopus dicitur. Denique Dorotheus in Synopsi & Hippolytus in Libello de 70. discipulis inedito, non hunc sed Gaïum Timotheo in Ephesino Episcopatu successisse adfirmant. Sed his omnibus facile respondeas, si memineris plures fuisse Onesimos, de quibus diversa à diversis Scriptoribus memoriæ prodita sunt. Hinc Nicephorus scribit quidem Onesimum quemdam sub Domitiani imperio mortem obiisse; sed illum Episcopum Ephesinum fuisse nullibi memorat. Ex Menæorum vero seu Metaphrastis silentio nihil umquam confici poterit. Si enim de Onesimi episcopatu tacuerint, multi alii plura de eo tradiderunt. Porro si plures fuerint Onesimi, nihil obstat, quominus unus Ephesi, alter Ber- *Pag. 116.*

rææ, ut Auctor Constitut. Apost. narrat, fuerit Episcopus; alius vero, ut Dorotheus & Hippolytus adferunt, Gaïo successerit.

Instant Dallæus ejusque Defensor certum videri ex Pauli ad Philemonem epistola, anno Christi 56. exarata, Onesimum ejusdem Pauli fuisse discipulum, ex Beda vero atque Notkero illum eumdem esse, cujus Ignatius noster fecit mentionem. Ergo Onesimus ille cùm Ignatius anno 107. vel 108. suas daret epistolas, annum centesimum vel certe nonagesimum jam implevisse censendus est. Quam Martyris adeo provectam ætatem cùm nullus Scriptor observaverit, eum juniorem passum, epistolamque nostram suppositititiam esse Dallæus concludit. Respondemus epistolam Pauli ad Philemonem non anno 56. ut ille arbitratur, scriptam, sed post annum sexagesimum, quo Apostolus sub Festo Judææ præfecto cùm ad Cæsarem appellasset, Romam ubi hanc dedit epistolam, postea ductus est. Nihil autem prohibet quominus Onesimus, qui eo tempore quo ad Philemonem Paulus scripsit, junior erat, ad eum usque annum, quo Ignatius suas dedit epistolas, vitam atque Episcopatum produxerit.

Deinde quid de Ignatii Onesimo Beda tradiderit, non videmus; nec ullum in scriptis ejus neque etiam Notkeri locum, ubi hæc reperias, indicavit Dallæus. Ea quidem apud Usuardum legimus: at non illius verba sunt, sed Adonis, quem corrupta & depravata Martyrum Acta induxerunt in errorem. Cæterum quidquid Auctores illi de Onesimo scripserint, nemo sanæ mentis negaverit iis omnibus anteponendum esse certissimum Eusebii testimonium, qui diserte indubitanterque ad-

ferit Ignatium nostrum epistolam scripsisse *ad Ecclesiam Ephesiorum, in qua Onesimi ipsorum Pastoris mentionem facit.* Lib. 3. Hist. cap. 36.

Caput XIV.

Nihil in his epistolis occurrere ab Ignatii persona, moribus, aut pietate alienum.

§. I.

Prima & secunda objectio solvitur.

Dallæus quindecim argumenta depromit, quibus probare nititur esse in Ignatii epistolis: *Alia multa à persona, cui adfinguntur, vel moribus, vel dignitate, vel ingenio, vel pietate aliena.* Sed ex tanto argumentorum numero duo dumtaxat ad eas, quas defendimus, pertinent epistolas. Horum prius ductum est ex his verbis: *Sine Episcopo, Presbyteris & Diaconis Ecclesiam non vocari.* At hæc omnia omnino Ignatiana esse jam demonstravimus. Cap. 14. 15. & 16. Epist. ad Trallens.

Posteriori argumento Dallæi occasionem præbuere alia alterius epistolæ verba: *Filium Dei secundùm voluntatem & potentiam Dei genitum:* quod Dallæo non satis sanum, sed durum vixque ferendum videtur. Mirandum certe delicato & religioso Dallæi in rebus fidei palato illud durum nec satis sanum videri, quod Theodoretus, vir sane non minus quam ille christianæ fidei dogmatum peritus, ad confutandos hæreticorum errores proferre non dubitavit. Deinde Ignatius ibi non de æterna, sed de temporali Christi generatione loquitur: *Genitum*, inquit, *vere ex Virgine.* Quam- Epist. ad Smyrn.

vis autem de illius divinitate loqueretur, illud sanum esset & orthodoxum; quandoquidem plures invenias in antiquorum Patrum scriptis similes loquendi modos, quos duros & vix ferendos esse ne Dallæus quidem dicere audeat.

§. II.

Tertiæ objectioni respondetur.

Hinc Dallæi ipsius Defensor, hoc prætermisso argumento, ad aliud quod gravius validiusque esse arbitratur, totis viribus propugnandum adgreditur. Illud autem in eo situm est, quod Ignatius *ex*
Cap. 17. pag. 331. *apocryphis quædam furatur, eaque pro veris & in-*
Epist. ad Smyrn. *dubitatis ponit.* Ubi enim de Christo disserit: *Et quando*, inquit, *ad eos, qui circa Petrum venit, ait ipsis: Apprehendite, palpate me, & videte quoniam non sum dæmonium incorporeum.* Quæ quidem verba Auctorem non aliunde, quam ex apocrypho Nazaræorum Evangelio transcripsisse adfirmat. At, inquit, is Ignatius martyr esse non potest, qui veritatis fontes fastidiens, verba Christi ficta ex impuris apocryphorum lacunis, quam vera ex certis ac divinitus inspiratis libris promere maluerit. Neque dixeris apocrypha non semel ab
Pag. 331. antiquis Patribus citari; illico enim Dallæanus Defensor altius insurgit, urgetque Auctorem nostrum non ideo argui quod apocrypha laudaverit: sed quod historiam illam ex falsis non ex veris Evangeliis, ubi exstat gravius *atque luculentius exposita*, sit mutuatus.

Sed à Dallæano Defensore quærimus unde Ignatium verba illa quæ objicit, ab apocrypho Na-
Euseb. lib. 3. hist. zaræorum Evangelio hausisse didicerint? Non ex
cap. 36. Eusebio quidem, qui se id ignorasse palam pro-

fitetur. *Qua unde acceperit, ignoro.* Soli itaque Hieronymo, ut ipse fatetur, illud acceptum referri debet. Is quippe constanter adfirmat Ignatium hæc deflorasse ex Evangelio, *quod nuper à me*, inquit, *translatum est.* Sed si Dallæani illud ab Hieronymo didicerunt, cur tam severe Ignatium ob id condemnant, quod eximius ille doctor tanto martyre plane dignum judicavit. *De Script. Ecclef.*

Deinde incertum est num tempore Ignatii Evangelium Nazaræorum inter apocrypha amandatum fuisset. Cùm enim, teste Isaaco Casaubono, tempore opus fuerit ut libri hujuscemodi apocryphi auctoritate Ecclesiæ proscriberentur, per priora sæcula fuerunt dubii, & auctoritatis saltem ancipitis. Huc accedit quod plurimi, ut Hieronymus ipse tradit, Evangelium illud à Matthæo scriptum esse existimabant.

Denique idem Casaubonus non absurde addidit Ignatium non Evangelii alicujus verba, sed *traditionem allegasse non scriptam, quæ postea in litteras fuerit relata, & Hebraïco Evangelio, quod Matthæo tribuebant inserta.* Nec male quidem. Nam Ignatius qui litteras suas vinctus, & in itinere, ac secretò exaravit, verba illa quæ nobis objiciuntur, ex memoria ac prout menti ipsius occurrerunt, nec aliquid de scriptis Evangelicis cogitando, epistolæ inseruit suæ.

§. III.

Quarta objectio refutatur.

Ex omnibus porro Dallæi argumentis nullum sane illo mirabilibus est, quod ille ducit ex his sanctissimi Martyris nostri verbis : *Utinam fruar bestiis, quas & blandiciis demulcebo, ut citius me de-* *Epist. ad Rom.*

vorent; sed & si ipsa volentem nolint, ego vi adigam. Hæc enim verba quæ piorum omnium laudes admirationemque meruere, Dallæo à Martyris pietate ac modestiâ videntur aliena. Unde in hanc ille prorupit exclamationem. *O diras & truculentas voces, non alia anima dignas, quam ea, quæ vita sua pertæsa lucemque, quod Poëta canit, perosa, in mortem præceps ruit!* Sed dignior est ethnico Poëta, quam Scriptore christiano hæc exclamatio. Longe aliter sentiebant Eusebius & Hieronymus, qui præfata Ignatii verba, pietate & zelo Ignatii tam digna putaverunt; ut ex cæteris omnibus sanctissimi Martyris dictis, ea potissimum suis in libris transcribenda omniumque christianorum religioni & admirationi proponenda selegerint. Quid quod non solum Patres; sed & Vedelius ipse Calvinianæ, sicuti Dallæus, sectæ addictus, eadem Ignatii verba ad sopitos tepidiorum christianorum ignes suscitandos ultro proponit: *Quem mortis & suppliciorum terrore consternatum sanctus Martyr non restituat, qui ad bestias tendens, dentes earum dilacerationesque subiturus ... Gratulor mihi de bestiis, quæ adversum me*, &c.

Dalleus cap. 11. pag. 342. — *Pag. 346.* — *Epist. Dedicat. in Ignat. epist.*

Urget tamen Dallæus, *Christi martyres mortem exspectant, non accersunt; ad metam composito, non præcipiti gradu feruntur.* Quid ergo? Tot martyres, qui occasiones pro Christo patiendi tanto ardore quæsierunt, qui ad mortem sponte sua cucurrerunt, qui in ignes & flammas, qui in aquas & flumina præcipites se dederunt, ii impietatis ac immodestiæ accusandi sunt? Cur ergo Patres tot laudibus eos celebraverunt? cur Ecclesia tantis honoribus eos prosequitur? Præterea Ignatius martyrii sui tempora non antevertit; sed damnatus ad

Pag. 346. — *V. Ambros. lib. 3. de Virgin cap. 7. novæ edit. & August. lib. 1. de Civit. cap. 22.*

bestias, iis jam jam objiciendus, citius frui optat, Romanos ne id impediant obsecrat, & bestias si sibi pepercerint, ut ab iis celeriter devoretur, aperta vi se adacturum fore testatur. Sed his ex ardentissimo pro Christo moriendi amore profectis vocibus, illas modestiæ suæ testes continenter subjungit: *Ignoscite mihi. Quid mihi utile sit, ego novi.* Quod sane & sanctissimi Martyris pietate & modestia & piorum omnium laudibus & admiratione dignissimum esse nemo sincerus christianæ religionis cultor umquam diffitebitur.

Caput XV.

Nihil falso & temere dictum in his epistolis.

§. I.

Non falsum esse quod de epistola Pauli ad Ephesios scribitur; & quod Ignatius fertur dixisse se vidisse Christum.

OBjicit postea Dallæus illud falsum esse, quod Auctor noster scripsit ad Ephesios: *Paulus . . . qui in omni epistola memoriam facit vestri in Jesu Christo.* Sed hæc non urget ejus Defensor, & recte quidem. Quis enim nesciat Paulum unam ad Ephesios epistolam dedisse, ac in omni ea epistola Ephesiorum fecisse memoriam. Hæc autem ideo observat Ignatius, quoniam in ea Paulus gloriosam illorum ubique facit mentionem, atque eos ad pietatem informando, ipsorum virtutes semper extollit, & prædicat, nullibi vero, sicuti in aliis quibusdam epistolis ad alios exaratis, illos arguit aut vituperat. *Cap. 19. pag. 151.*

Hæc cùm leviùs adtigisset Dallæus, multo acriùs

de eo disputat, quod Ignatius Christum se vidisse adserat: *Ego enim & post resurrectionem ipsum vidi, & credo existentem.* At inquit Dallæus, Chrysostomus Oratione panegyrica in Ignatium, nusquam illum *Christi adspectu & consuetudine*, quod in eo sermone non erat prætermissurus, *gavisum esse memorat.* Ergo infert idem Dallæus: *Manifesti mendacii convincitur epistolarum Scriptor.* Respondemus in græco epistolarum nostrarum sincero & integro codice, necnon in Eusebii & Theodoreti scriptis non legi Εἶδον, *vidi*, sed ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, καὶ πιστεύω ὄντα. Porro verbum οἶδα, fatente Dallæo, significat, scio, novi, cognosco. Unde etiam Rufinus in sua Eusebianæ Historiæ versione, illud priore verbo, scio, Latinè reddidit.

Orat. in Ignat.

Pag. 361.

Instat Dallæus manuscriptis Græcis, qui tot interpolationibus fœde corrupti sunt, nullam haberi posse fidem: item Rufinum aliosque Eusebianæ Historiæ librarios amanuenses pro verbo Εἶδον, quod de Ignatio nequaquam dici posse noverant, scripsisse οἶδα: denique Hieronymo & antiquo harum epistolarum interpreti, qui verbum Εἶδον repræsentant, omnino esse credendum. Verùm Dallæo facile reponitur nos non de manuscriptis epistolarum Ignatii interpolatis codicibus, sed de sincero & integro codice, quem Vossius, nemine, uti diximus, refragante, fide optimâ edidit, sermonem facere. Quod ad Eusebii Historiam, nullus magna sine temeritate eam ibi corruptam esse dixerit. Illa quippe centum fere annis ante Latinam Rufini versionem publicata in omnium venerat manus, & in quamplurimis Bibliothecis erat adservata. Nihil ergo postea vel in græco ejus textu scriptores antiquarii, vel in versione sua Rufi-

nus immutare potuerunt; quin ex innumeris ejus Historiæ codicibus hic ab adversariis suis, illi ab Eusebii fautoribus adulterationis & corruptionis statim convincerentur. Deinde quis sibi persuadeat Rufinum & scriptores amanuenses ad corrumpendos omnes Historiæ illius codices simul ita conspirasse; ut eos, nullo homine reclamante, depravaverint, atque adulterarint? Denique quomodo Rufinus & librarii Eusebio oculatiores & doctiores ita fuerunt; ut quod ille nescierit, illi certissime agnoverint vocem Εἶδον de Ignatio penitus scribi non potuisse. Huc adde eruditissimum Theodoretum in græca Eusebii Historia constanter legisse οἶδα, & pervolutatis Ignatii nostri epistolis, nullam in Eusebii textu vel minimam corruptionem subodoratum.

Ad Hieronymum veteremque Ignatii interpretem quod spectat, apud eos occurrit quidem verbum *vidi*. Sed vetus ille interpres, ut ex ejus versione facile intelligitur, non ita græce doctus erat; ut verbum οἶδα per Latinum *vidi*, cùm *scio* vel *novi* dicere debuisset, recte reddidisse dicatur. Hieronymus vero qui versiones suas citissimè edere solebat, humani etiam aliquid forsan passus est; nisi ab aliquo imperito interprete Latino fuerit deceptus. Verum quoquomodo res se habeat, certe græcis cum epistolarum nostrarum, tum Eusebii Historiæ mss. codicibus major debet esse auctoritas, cæterisque omnibus anteponenda est. Et id quidem ex eo confirmari potest, quod ipse Ignatiani sermonis sensus, ejusque argumenta, verbum οἶδα ibidem omnino postulent. Siquidem Ignatius duabus contra hæreticos petitis ex Evangelio rationibus Christum non fictum aut simula-

tum, sed verum hominem fuisse evincit. At si Christum suismet oculis in carne ipse vidisset, nihil efficacius adferre poterat, quam se suis oculis, his & his in locis, cum his & illis sociis, & testibus omni exceptione majoribus, Apostolis nimirum aut Christi discipulis, Dominum ipsum vidisse, ac cum illo fuisse conversatum.

§. II.

Nihil temere dictum de stella quæ Christo nascente adparuit, vel de eo quod Christus post mortem bibisse perhibetur.

Dallæus ut Auctorem nostrum omnium criminum reum faciat, illum temeritatis in eo deinde accusat, quod de stella, quæ Christo nascente, adparuit, scripserit: *Stella in cælo fulsit, splendore exsuperans omnes stellas & lux illius ineffabilis erat*, &c. *Omnia*, inquit Dallæus, *ex uno istius cerebro prodiere, à Scriptura aliena, ab ipso hujus stellæ usu abhorrentia, ad domum scilicet Bethlehemi indicandam*. Quod quidem hac probat ratione: *Absurditas inde patet, quod ea Christianorum interpretum nemo, quod equidem sciam, sequutus, qui tam multi de illa stella aliquid commentati sunt*. Quis non mirerur Dallæum omnigenæ lectionis, ut sibi quidem videtur, hominem, nescisse apud Clementem Alexandrinum seu Auctorem Excerpr. Leonem Magnum serm. 1° de Nativ. Maximum serm. 3. nec non Chrysostomum Homil. 6. in Matth. eadem vel plura similia de hujus stellæ adparitione, ac apud Ignatium nostrum reperiri. Quod certè ex sola locorum, quæ indicamus, facta inrer se compositione, cuilibet quantumvis pervicaci planum fiet.

Epist. ad Ephes.

Cap. 21. *Pag. 365.*

Piget

Piget pudetque ea refutare vel etiam referre, quæ subdit Dallæus: *Levius est, fateor, sed Ignatio non satis dignum, quod ipse nullo certo auctore adseverat Christum post resurrectionem bibisse.* Illud autem hoc subtilissimo probat argumento: *Lucas quidem*, ait ille, *scribit Apostolos, postquam resurrexisset à mortuis, manducavisse & bibisse; ipsum cum eis Christum (quod iste Auctor ait) manducavisse & bibisse nusquam dicit*, sed tantum comedisse. O miras Dallæi, viri acutissimi, subtilitates & argutias! Apostoli, inquit, dicuntur cum Christo manducasse & bibisse, Christus vero dicitur tantum comedisse. Ergo indignum est Ignatio quod Christum & manducasse & bibisse dixerit. Quasi vero cum Christus hoc modo manducasse scribitur, & ipsum quoque bibisse non possit merito jure subintelligi. Si Dallæus cum amicis suis, qui cum eo manducaverunt & biberunt, manducasse dicatur, nonne inde & eum non solùm manducasse sed etiam bibisse recte concludetur? Pag. 365. Act. 10 41.

§. III.

Nihil falsum dici de hæreticis, qui ab Eucharistia recedebant.

Objicit postea Dallæus hæreticos nonnullos ab Auctore nostro exagitari: *Qui ab Eucharistia & oratione recedunt, propter non confiteri Eucharistiam carnem esse Salvatoris.* At inquit Dallæus qui accuratiores hæreticorum catalogos texuere, nullibi ullos hujuscemodi Ignatii tempore exstitisse perhibent. Hinc Dallæi Defensor novum ei subsidium laturus: *Siccine*, ait, *officii sui tam negligentes fuere veteres illi Scriptores; ut rem adeò memorabilem, & quam scire interérat, silentio præ-* Cap. 22. pag. 366. Epist. ad Smyrn. Luc. 24. 43.

terierint .... profecto vix est credibile. Sed unde Dallæus ejusque Defensor acceperunt veteres illos Scriptores hæreticorum hæreseumque omnium suis in catalogis fecisse mentionem? Rem aliter se habere ex ipsomet Dallæo evidenter demonstratur. Enimvero Theodoretus qui, fatente Dallæo, has epistolas ab Ignatio nostro scriptas fuisse putavit, quique ea quæ idem Dallæus objicit verba, ut vere Ignatiana transcripsit, in suis hæreticorum catalogis, licet summa cura editis, nullibi, ut contendit Dallæus, eorum quos Ignatius Eucharistia abstinuisse adseverat, meminisse legitur. Idem de Eusebio aliisque, qui de hæresibus scripsere, hasque Ignatio nostro adjudicarunt epistolas, confici potest invictum contra Dallæanos argumentum. Neque porro id ulli mirum esse debet, cùm ii de hæreticorum, quos Ignatius arguit, errore præcipuo, quo Christum veram carnem sumsisse negabant, scriptis aliquid tradere contenti fuerint; nec de alio qui inde circa Eucharistiam consequutione necessaria oriebatur, plura scribere putaverint esse necessarium. Eos enim non omnes singillatim quorumlibet hæreticorum errores enumerandi curam suscepisse nulli dubium esse potest.

§. IV.

Neque falsum dici posse quod scribitur in potestate Romanorum fuisse Ignatium à morte liberare.

Cap. 11. pag. 169. Quod Ignatius Romanos, ne morti obsistant suæ, obtestatus: *Vobis*, ait, *facile est quod vultis facere ... Volens pro Deo moriar, si non prohibeatis*; hinc Dallæus: *Vel nihil intelligo, vel iste profecto intelligit in eorum fidelium, ad quos scribit, manu ac potestate fuisse ipsum supplicio liberare.* Si

bene ille Auctoris sensum intellexit, ex eo certe non bene argumentatus est, cùm addidit: *Quod si ita est, fatendum est illos Romanos gravissime peccasse, & parricidii cujusdam reos fuisse .... qui eum mori non prohibuerunt. Atqui non peccasse eos constat ... falsum est ergo quod ille toties affirmat.* Inepta plane & insulsa argumentatio. Enimvero Ignatius Romanos hac in re apud Deum, vel Cæsarem, aut Judices, vel Senatum potentiores, quam re vera erant, credere potuit. Deinde etsi illud in Romanorum potestate fuisset positum, non inde tamen gravissimi peccati & parricidii incusandi sunt, quod eam mortem non prohibuerint, quam totius Ecclesiæ utilitati profuturam, quam non sine certo plurium Christianorum periculo avertendam, quam denique divina voluntate ab Ignatio subeundam esse persuasum habebant.

CAPUT XVI.

In his epistolis non læsam esse Ignatii sapientiam & modestiam.

§. I.

Non læsam esse Ignatii sapientiam, neque modestiam in iis quæ de se ipso scripsit.

NON majoris est momenti illud quod postmodum Dallæus objicit: *Ab Ignatii judicio & sapientia nonnihil abhorrere videri:* quod ille morti certissimæ jam jam dedendus, secundum Ephesiis libellum sese scripturum polliceatur: *Si me dignificet Jesus Christus in oratione vestra, & voluntas sit, in secundo libello quem scripturus sum*

Cap. 23. pag. 371. Epist. ad Ephes.

vobis, &c. Sed hæc objectio à Dallæi judicio & sapientia abhorret quam plurimum. His quippe verbis: ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλιδίῳ, non libellum, sed secundam promittit epistolam sub his tamen æquissimis conditionibus: *Si me dignificet Jesus Christus in oratione vestra: si voluntas sit: maxime si Dominus revelet mihi.* Quod sane Ignatii judicio & sapientiæ convenientissimum esse quis abnuat?

Cap. 4. pag. 972. Læsam porro Ignatii modestiam in eo expostulat Dallæus, quod Auctor noster ad Trallenses de se ipso sic scripserit: *Multa sapio in Deo, sed me ipsum mensuro, ut non in gloriatione perdar... Nam possum vobis super cælestia scribere. Sed timeo ne periculis existentibus, vobis damnum adponam.... potens scire cælestia, & loci positiones Angelorum*, &c. Quid ibi contra Ignatii modestiam? *Sibi*, respondet Dallæus, *ea tribuit, quæ nemini mortali concessa sunt*. Quid ergo? Nonne & Paulus eadem,

2. Cor. 12. 1. & seq. immo & majora sibi concessa fuisse narrat, qui tot visionibus & revelationibus, se donatum, qui arcana verba quæ non licet homini loqui, se audivisse testatur? Certè Dallæus ipse id fateri, ac secum paulo post pugnare cogitur, ubi hæc totidem

Cap. 19. pag. 414. verbis tradidit: *Jam cùm Paulus ad Corinthios scribens dixisset se arcana quædam audivisse verba, quæ nemini loqui liceret, hoc quoque putavit Scriptor ille noster suo Ignatio imitandum esse. Itaque eum quoque facit ad Trallenses scribentem quorumdam arcanorum notitiam sibi adsumere: Nonne possum vobis super cælestia scribere*, &c. Si Auctor noster Paulum, ut ait Dallæus, imitatus est, falsum est, quod idem Dallæus adserit, quod *sibi ea tribuat, quæ nemini mortali concessa sunt*.

Pag. 373. Instat Dallæus Auctorem nostrum ea sibi tribuisse

eo loco ac tempore, quo etiamsi vere habuisset, nihil necesse erat explicari & ostentari. Sed ea tum sibi tribuit Ignatius, cùm auctoritatem apud Trallenses majorem sibi conciliare voluit, qua eis Polybium ipsorum Episcopum, quem non ea omnino, qua par erat, veneratione complecti videbantur, magis commendaret, atque eos adversus hæreticos redderet cautiores ac fortiores. Hinc de concessis sibi à Deo cognitionibus sermones miscet, sed illos continuo vere Ignatiana, id est, summa humilitate temperat: *sed non novi*, inquit, *si dignus sum.... Præter hoc jam & discipulus sum.*

§. II.

Neque in eo quod Trallenses pueros appellat, aut in iis quæ scripsit ad Polycarpum læsam esse Ignatii modestiam.

Rursum Dallæus opponit parum consentaneum videri Trallenses νηπίυς pueros, & infantes ab Auctore nostro appellari, quos nuper *Deo dignos, & mentem inculpatam & insuperabilem in patientia habere dixit.* Addit tamen se id non urgere. Sed nec commemorare ullo umquam modo debebat. Quis enim nesciat Paulum similiter vocasse Corinthios νηπίυς parvulos & infantes; quamvis eos divites in Christo & in omni scientia dixerit? Ignatius itaque Trallenses *Deo dignos & inculpatam mentem habere potuit adserere*, etsi eos circa sublimiores Deitatis cognitiones νηπίυς parvulos & infantes esse sciret.

Violatam denuo Ignatii modestiam in epistola ad Polycarpum duplici ex capite causatur Dallæus; tum quod Auctor titulum martyris sibi adroget, tum quod *Polycarpo suo condiscipulo, & admirabili Smyrnensis Ecclesiæ Episcopo de pietate, de sui* Cap. 24 pag 275. 276.

muneris officiis ita omnia pracipit, ut tyronibus magistri solent. Ad primum respondemus titulum martyris in manuscripto codice græco sincero, nec interpolato Bibliothecæ Florentinæ & in antiqua illius Latina versione minime reperiri. Id cuivis legenti ita obvium est; ut mirum sit qua ratione Dallæi Defensor dicere audeat: *Ita tamen se appellat in epistola ad Polycarpum inscriptione graca, qua interpolata non est.* Ad secundum vero dicimus Ignatium in ea epistola plurima morum pietatisque præcepta tradidisse, quæ nimirum Polycarpus haud dubie ab eo magnis precibus efflagitaverat. At Ignatius ea in epistola, non ut tyronibus magistri, sed ut amicus amico, ut senior martyrio mortique proximus alteri longe juniori loqui solet & scribere. Quantum autem Ignatius Polycarpo ætate provectior fuerit, inde computent Dallæani, quod ille anno 108. vel 109. hic anno tantum 166. aut 169. martyres occubuisse dicantur.

Pag. 191.

Caput XVII.

Harum epistolarum stylum esse omnino Ignatianum.

§. I.

Stylum epistolarum esse Ignatianum.

Cætera Dallæi contra has epistolas argumenta, ex earum oratione & verbis ducuntur. Arguit autem primò quod eas, *ipsa statim oratio ostendit non esse unius ejusdem Auctoris; multiplex ipsa, neque unius generis aut coloris.* Si

Cap. 25. pag. 277.

de iis quas genuinas vereque ab Ignatio datas esse propugnamus, Dallæus loquatur, id falsissimum esse palam aperteque pronuntiamus. Liquet enim eas eodem exaratas fuisse stylo, hominis scilicet apostolici, ad martyrium properantis, morteque quamprimum afficiendi, qui in itinere, vinculisque onustus, ea furtim ac secreto scriptis tradidit, quæ ardentissimus Christianæ religionis amor & zelus suggerebat inspirabatque.

§. II.

Vocem Theophori esse Ignatianam, voces vero ἱερέων & ἀρχιε-ρέων in epistolis veris non reperiri.

Contra, inquit Dallæus, Auctor epistolarum ubique sumsit Theophori cognomentum, quod Ignatius numquam vivus gessit, & apud vetustissimos omnes fuit inauditum, planeque fabulosum est & ex fabula ortum. Verum Pearsonius vocis Theophori antiquitatem & usum tam clare demonstravit, ut Dallæi Defensor illud tandem fateri coactus: *Multis*, inquit, *veterum testimoniis istius vocis usum ac familiaritatem demonstravit Pearsonius.* Pag. 191.
Sed ille in Dallæi sui defensionem adversus Pearsonium sic arguit: *Nullum tamen exemplum adferre potuit sancti alicujus, qui instar Ignatii Theophori cognomen sibi tribuerit.* Hæc profecto infirmi argumenti infirmior est defensio. Potest enim Scriptor aliquis nomine vel cognomine ita inusitato & extraordinario appellari; ut nullus deinceps eo nuncupari voluerit. Deinde quis sanctorum omnium nomina tam accurate calluisse, & recensuisse dici potest; ut nullum post Ignatium Theophori nomine insignitum fuisse adserere audeat? Denique non de aliis, sed de Ignatio solo

Q iiij

hîc quæstio movetur num Theophori cognomen
Cod. 116. sortitus sit. At ita se rem habere liquido probatur
Cod. 237. ex Photio & iis quos ipse laudat, Theodoro Pres-
Cod. 229. bytero Stephano Gobaro, atque Ephremo Theopolitano circa annum 526. Patriarcha, nec non ex veris & sinceris ejusdem Ignatii martyrii Actis cum Græcis tum Latinis. His denique possumus subnectere Eusebium, qui nihil novi aut fabulosi in hoc Ignatii cognomine umquam suspicatus est.

Nec erat quod Dallæus ex verbis ἱερέων & ἀρχιερέων
Cap. 25. pag. 383. deinceps instaret. Illa quippe non in vero sed interpolato epistolarum textu reperiuntur. Si autem in epistola ad Philiadelphienses simul aliquando occurrant, ibidem ad Mosaïcæ legis Presbyteros, vel Christum sacerdotum omnium principem significandum illa Ignatius adhibuit.

CAPUT XVIII.

Voces Episcopi & Presbyteri non alio quam Apostolorum & virorum Apostolicorum sensu ab Ignatio usurpatas.

§. I.

Ignatio jus fuisse ea nomina distinguendi, ideoque rectè ea distinxisse.

MAXIMUM quodque Dallæo invictum vide-
Cap. 26. pag. 386. tur, argumentum est, quod Scriptor noster Presbyteri & Episcopi nomina, quæ Apostoli virique Apostolici confuse, promiscue & indiscriminatim semper acceperunt, ea ille non semel & iterum, sed perpetuò & in omnibus ubique epistolis accurate & religiose distinguat, eoque sensu

usurpet, quo à tertii tantum & subsequentium sæculorum Christianis usurpata legimus. Quo sane argumento Scriptorem nostrum non ante sæculum tertium epistolas suas exarasse certò se demonstrare arbitratur. Porro nos ille serio monet, se non de re ipsa, sed de solis Episcopi & Presbyteri nominibus disputare: *Nunc de re ipsa*, inquit, *non disputo. Donemus doctissimo Hamondo quod ille tam vehementer cupit*, nimirum hos Ordines revera fuisse distinctos. Et paulo post .... *de Episcopi tantum & Presbyteri nominibus quæro .... de quibus nunc solis disputo.* Pag. 311.

Verum si Episcopi & Presbyteri Ordines inter se revera distincti fuerint, eosque distinctos fuisse concedat Dallæus, illud etiam ab eo proculdubio concedendum est, jus Ignatio fuisse eorumdem Ordinum nomina in epistolis scriptisque suis semper & ubique distinguendi. Nullus enim ullo umquam jure suspicari potest, multoque minus inferre debet, scripta Auctoris alicujus ideo proscribenda esse, ipsique abjudicanda, quod in iis ea nomina distinxerit, quorum rite distinguendorum jus potestatemque habebat.

At, inquit Dallæus, Apostoli virique Apostolici ea nomina non distinxere. Esto non distinxerint? Quid inde Dallæus conficere potest; nisi illos jure suo nec usos esse nec uti voluisse, quo Ignatius uti voluit, sibique utendum esse justis de causis arbitratus est? In epistolis enim suis, quas ad Ecclesias direxerat, vel in iis publicè legendas esse noverat, obedientiam ac reverentiam Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, singulis quibusque pro suo ordine debitam, quæ sine singulorum nominum distinctione declarari non potest, in primis commendat & præcipit.

Huic autem nostræ responsioni non solum ex iis quæ imprudens Dallæus concessit, sed ex ipsa etiam rigidiorum Presbyteranorum opinione plurimum roboris accedit & firmamenti. Etenim Blondellus, quo nemo inter Presbyteranos rigidior, docet Apostolicorum virorum tempore vetustiorem Presbyterum in defuncti Episcopi locum nulla quidem electione vel ordinatione, sed solo antiquitatis jure, ea lege subrogatum fuisse; ut eo ipso primæ cathedræ, præsidialisque potestatis jus, cæteris Presbyteris negatum, illi tribueretur. Qui autem in ea, licet falsa, sunt opinione, inficiari nequaquam possunt Ignatium, Presbyteris qui eo primæ cathedræ, præsidialisque potestatis jure privati erant, nomen Episcopi meritò denegasse; ac meritò proinde nomina Episcopi & Presbyteri non confudisse, nec promiscue indiscriminatimque habuisse. Ad distinguenda enim rerum nomina, veram ipsorum, realemque distinctionem satis superque esse, nullus opinor dubitaverit.

§. II.

Hæc nomina ab Apostolis virisque Apostolicis fuisse distincta.

Hæc sane ad destruendum penitusque evertendum maximum Dallæi argumentum etsi abunde sufficiant; ad rem tamen ipsam examinandam animo lubentissimo adgredimur. Quod igitur tanta fiducia adserit Dallæus Apostolos Apostolicosque viros duobus prioribus Ecclesiæ sæculis nomina Episcopi & Presbyteri semper confudisse ac indiscriminatim & promiscue usurpasse, falsum omnino est penitusque fictitium. Enimvero illud in eo primò falsum est, quod Dallæus plura quam par

est, ex ipso Presbyteranorum suorum testimonio tempora complexus sit. Nam Blondellus Presbyteranorum erroris, uti diximus, defensor acerrimus indubitanter adfirmat novam creandi Episcopi formam, qua Presbyteris superior constituitur, ab Christi anno 130. fuisse introductam. At certe negare non possunt Presbyterani, hunc Episcopi supra Presbyteros gradum, ipsorum quoque nominum secum invexisse distinctionem. Non enim aliam ob causam tertio sæculo factam fuisse dicit Dallæus; nisi quia nova creandi Episcopum forma tunc introducta est. Cùm ergo juxta Presbyteranos anno 130. facta sit, septuaginta anni à Dallæano calculo detrahendi sunt.

Jam vero si ad superiora tempora adscendamus, Dallæanæ adsertionis falsitas, planius dilucidiusque apparebit. Nemini quippe ignotum est quam pauca nobis supersint Apostolicorum virorum scripta; nec ulli dubium esse potest plurima eorum Opera fuisse deperdita, neque in nostras venisse manus. Unde ergo probabit Dallæus omnes primi & secundi sæculi Scriptores nullum umquam inter Episcopi & Presbyteri nomina discrimen constituisse. Numquid ipsi quid in deperditis Patrum Operibus scriptum fuerit, revelatum est?

Respondet Dallæus, se id probare ex Chrysostomo, Theodoreto, aliisque posterioribus, qui hæc nomina apostolicis temporibus distincta & discriminata fuisse aperte inficiantur. Bene est certe quod ille eos nobis producat testes, qui certum contra illius opinionem dicunt testimonium. Hi nempe quamvis optime nossent in his epistolis nomina Episcopi & Presbyteri semper distincta nec inter se ullo umquam modo confusa fuisse; illas tamen

Ignatio constanter adjudicarunt. Atqui si eadem nomina ab aliis omnibus primi & secundi sæculi Scriptoribus confusa, & ab Auctore nostro præter constantem Apostolicorum virorum usum & consuetudinem distincta fuisse pro certo habuissent, tam certam de his epistolis Ignatio tribuendis non tulissent sententiam.

Quid ergo contra testes suos proferent Dallæani? Dicentne illos in eo errasse, quod has epistolas Ignatio adscripserint? At si in hoc erravere, cur non etiam in eo falsi sunt, quod de confusione nominum Episcopi & Presbyteri scriptis prodiderunt? Deinde quamvis in priori capite decepti fuerint; ex eorum tamen errore, eadem semper elicitur conclusio, illos firmiter persuasum habuisse ea Episcopi & Presbyteri nomina non à solo Ignatio, præter constantem cæterorum omnium morem & usum, sed ab aliis etiam quibusdam apostolici ævi scriptoribus fuisse distincta.

Et certe rem ita se habere inde evincitur, quod certum sit Apostolos ipsos ita de Presbyteri & Diaconi ordinationibus differere; ut eas semper ab Episcopo, numquam à Presbytero fieri debere adseverent. Sic etiam Paulus cùm adversus Presbyteros accusationem recipi vetat: *Adversus Presbyterum cito accusationem noli recipere;* de Episcopo Presbyteris superiore loquitur. Ex his autem non obscure colligimus Apostolos tunc Episcopi & Presbyteri nomina, cùm de officiis unicuique propriis loquebantur, recte distinxisse; nec ea confudisse, nisi cùm de muniis, quæ utrisque communia erant, sermonem facerent.

1. Tim. 5. 19.

Quid quod & plures occurrunt secundi sæculi Scriptores, qui idem ac Ignatius, inter Episcopi &

Presbyteri nomina discrimen distinctionemque statuêre. Id quidem quod Dallæus negasse videbatur, tanta evidentia demonstravit Pearsonius; ut hoc ab anonymo Dallæi Defensore responsum acceperit: *Malâ fide Dallæi sententiam repræsentat, quasi negaret discrimen illud inter Episcopi & Presbyteri nomina à veteribus umquam observatum esse. Tamen alia mens fuit Dallæo, qui dumtaxat adserit Ignatium ingens semper discrimen statuere inter hæc duo nomina, præter usum & consuetudinem secundi sæculi Scriptorum, qui istis vocabulis indiscriminatim utuntur.* Optimam sane Pearsoni fidem probat Dallæanus liber. Sed quidquid de ea sit, ex his Dallæani Defensoris verbis, illud certum habemus, quod aliqui, nemine, ne ipso quidem, ut ille vult, Dallæo refragante, sæculi secundi Scriptores nomina Episcopi & Presbyteri eodem ac Ignatius modo distinxerint. Ex his porro quæ adversarii vel volentes vel inviti fatentur, contra eos sic argumentamur: Eæ epistolæ in quibus præter usum & consuetudinem illius sæculi, verum inter Episcopi & Presbyteri nomina discrimen statuitur, non minus Ignatii fœtus sunt, quam scripta aliorum ejusdem sæculi Auctorum, in quibus idem, quamvis rariùs, discrimen statuitur, eorum verè sunt, quorum nominibus inscribuntur. Quis enim abnuat Ignatium ea nomina semper distinguere potuisse, quæ jure suo ab aliis pluribus aliquando distincta fuisse conceditur? Atqui fatentibus adversariis, plures secundi sæculi Auctores in Operibus & scriptis, quæ vere ab iisdem sunt edita, non semel Episcopi & Presbyteri nomina distinxerunt. Potuit ergo Ignatius eadem nomina in epistolis suis semper distinguere, nec eam ob causam de- Pag. 300.

bent ipsi ab adversariis abjudicari.

Addamus si lubet, apud Eusebium Ecclesiam Lugdunensem lib. 5. Hist. cap. 1°. Dionysium Corinthium lib. 4. cap. 23. Polycratem lib. 5. cap. 24. in suis epistolis numquam Presbytero tribuisse Episcopi nomen. Ergo nomina Episcopi & Presbyteri non semper confundunt, sed illa æque ac Ignatius noster à se invicem aperte discriminant.

§. III.

Respondetur objectioni ex Polycarpi auctoritate petita.

Instant tamen adversarii, nihilque remittentes urgent Polycarpum amicitia & ordine Ignatio conjunctissimum in epistola ad Philippenses, tacito Episcopi nomine, illud cum Presbyteri vocabulo semper confudisse; hincque cum dixisse: *Quare oportet .... subjici Presbyteris & Diaconis, tamquam Christo & Deo.* Respondemus primò nihil ex hac Polycarpi auctoritate contra nos effici. Quamvis enim Polycarpus hæc inter se nomina confuderit; illud tamen Ignatio jus non abstulit ea distinguendi, quæ ab aliis ætatis suæ Scriptoribus distincta fuisse inficiari nemo potest. Respondemus secundò incertum omnino esse, num tunc temporis cùm suam Polycarpus scriberet epistolam, Philippensium Episcopus adhuc esset in vivis. Deinde hæc epistola ad nos integra omnino & incorrupta non pervenit. Rursus ergo incertum num in ea alicubi specialem Episcopi mentionem fecerit. Tertio denique incertum utrum aliam epistolam, quæ de Episcopo nominatim agebat, huic subjunxerit.

Urgent tandem Polycarpum in ejusdem epistolæ inscriptione se non Episcopum, sed Presbyterum vocasse his verbis: *Polycarpus & qui cum eo Pres-*

byteri. Sed hæc adversariorum ratio adeo levis est & infirma, ut Moynius Calvinistarum Minister, eorumque symmista contrarium omnino ex iisdem verbis conficiat argumentum: *Non scribit Polycarpus*, inquit, *Presbyteri Ecclesiæ Smyrnensis Philippensibus, sed Polycarpus & Presbyteri Ecclesiæ Smyrnensis Ecclesiæ Philippensium; ut discrimen aliquod inter se & Presbyteros observandum innueret, dignitatemque suam & primatum aliquo modo tueretur. Nam qui paris dignitatis & auctoritatis Polycarpum fuisse cum suis Presbyteris censent, næ illi mihi videntur thesi suæ nimis, quam par sit, fervidius & studiosius ἀδυλεύειν, & ea officia confundere, quæ tempore Polycarpi jam erant disparata.* Hæc sane ex Calvinistæ Presbyteranique hominis ore elicuit veritas, quæ ibi esset incorrupta, si ea officia & nomina non Polycarpi tantum, sed Apostolorum quoque tempore disparata dixisset. Ex his tamen quæ ibi vera esse agnoscit, ruit proculdubio Dallæanum argumentum, funditusque evertitur. *Not. in Polycarp. epist. pag. 10.*

CAPUT XIX.

Nulla in epistolis Auctoris nostri esse verba, quæ non sint Ignatiana.

§. I.

De verbis compositis.

MULTA alia Dallæus se his in epistolis vocabula deprehendisse sibi videtur, quæ Scriptorem nostrum diu post Ignatium vixisse manifestant. Illa autem primùm exagitat, quæ à Blondello prius objecta fuerant, nomina varie com- *Cap. 17. pag. 407.*

posita, ut σαρκοφόρος, νεκροφόρος & alia à verbo φέρω orta, item alia à voce ἄξιος, ut, ἀξιόπλοκος, ἀξιόθεος, & alia denique à verbo θεὸς, sicuti θεομακάριος, θεόδρομος, &c. Doctissimus quidem Hamondus huic Blondelli argumento jam responderat divinos sacræ scripturæ Auctores nominibus simili modo compositis, quorum plura retulit exempla, usos fuisse. Sed instat Dallæus ea quæ ex sacris Scriptoribus adduxit Hamondus, esse paucissima & semel tantum ab iis dicta, & multo illis epistolicis modestiora. Si de paucitate verborum ab Hamondo adlatorum conqueritur Dallæus, de majori Dallæanorum numero potiori nos jure conquerimur. Ille siquidem ut compositarum apud Ignatium vocum augeret multitudinem, eas quæ in falsis Ignatii epistolis, vel in genuinarum interpolationibus occurrunt, aliis immeritò adjunxit. Deinde ideo Hamondus decem tantum ex divinis scripturis compositarum vocum protulit exempla, quòd ea ad vanam Blondelli objectionem destruendam satis superque esse censuerit. At longe plura quæ passim in veteri novoque Testamento occurrunt, possunt facillimè in medium proferri. Sed illa omnibus ita sunt obvia, ut longum earumdem vocum catalogum texere superfluum sit & inutile. Neque vero in sacris tantum scripturis eas reperire est: sed in genuina etiam Clementis epistola, quæ Ignatianis non est prolixior, illæ eædem nec rariores sunt, nec modestiores.

Pag. 406.

§. I I.

De verbis nove uſurpatis ſcilicet φύσις, *&* ᾄδειν.

Verum, inquit Dallæus, quædam verba Scriptor noſter nove uſurpat, & præter aliorum morem. Duo tamen dumtaxat ex veris Ignatii epiſtolis deſumta nobis objicit. Primum eſt verbum φύσις: ſed illud apud diverſæ litteraturæ Scriptores vario ſenſu uſurpatum legitur, nihilque novæ ſignificationis habet apud Ignatium.

Secundum verbum eſt ᾄδειν, quod Dallæus poëticum eſſe dicit. Neque tamen & in ſoluta etiam oratione ab Auctoribus optimis ſæpe ſæpius adhibitum ille negabit umquam. Quidni ergo & ab Ignatio?

§. I I I.

De verbis inuſitatis & obſcuris.

Addit Dallæus in epiſtolis Ignatianis quaſdam inveniri voces inuſitatas & obſcuriores. Quamvis id veriſſimum eſſet, quid inde conficiet Dallæus? Numquid Ignatius, ſicuti quilibet alius Auctor, obſcuris & inuſitatis loquendi modis uti non potuit? Id ſane in principiis Chriſtianæ religionis, quæ nova & inuſitata ſecum invexit verba, parum eſſet mirabile: ſed multo minus in Ignatio viro Apoſtolico, qui epiſtolas ſuas curſim & occulte ac ſummo martyrii ardore incenſus exaraverat. Verumtamen non aliis vocibus vel loquendi modis uſus eſt, quam iis qui in ſacris ſcripturis aliiſque notæ melioris Scriptoribus ſolent occurrere.

Caput XX.

In his epistolis non esse pravas Pauli imitationes.

§. I.

Quantum adversarii sibi sint contrarii.

INTER tot tamque diversa Dallæi adversus Ignatii epistolas argumenta, illud profecto mirari subit, quod ille Scriptorem nostrum non Ignatium, sed impostorem fuisse inde probare velit, quod: *Quædam Pauli Apostoli studiose est* Cap. 8. pag. 410. *imitatus, sperans se his veluti apostolici discipuli lineamentis hominibus sui sæculi, præsertim posteris ab Ignatio remotioribus, adeoque rerum apostolicarum minus gnaris facile impositurum, atque effecturum ut pro Scriptore apostolico haberetur.* Eumdem enim Dallæum ex verbis Episcopi & Presbyteri, quæ alieno à Pauli Apostoli sensu ab Ignatio usurpata dicebat, sic disputantem audivimus: *Neque Apostolorum filium fuisse diversus sermo* Cap. 16. pag. 398. *manifeste arguit, quem omnes & Apostolorum observantissimum, & cum apostolicis corde & ore, anima & lingua conjunctissimum fuisse consentiunt.* Quis argutulos hujuscemodi sophistas contra Ignatii epistolas rationibus sibi invicem tam vehementer repugnantibus, disputantes non miretur? Enimvero si nomina Episcopi & Presbyteri eo sensu, quem Pauli esse non putant, Scriptor noster adhibeat, clamant illico: *Neque Apostolorum filium fuisse diversus sermo manifeste arguit.* E contrario si Pauli voces & phrases ille usurpet vel imitetur, continenter arguunt, illis eum ideo usum esse; ut imponeret, *rerum apostolicarum minus gnaris*, at-

que *efficeret ut pro Scriptore apostolico haberetur.* Sic sane immane his epistolis quocumque tandem modo contradicendi cacoethes doctos homines occæcavit & transversos egit. Et certe si ita argumentari liceat, nulla erunt apostolicorum virorum, ac primi & secundi sæculi Scriptorum Opera, quæ his argumentis falsa, ipsisque supposita esse non demonstrentur.

Ex hac itaque, quæ in Ignatii epistolis elucet, Paulinarum vocum imitatione contrarium omnino sic elicitur argumentum. Recta ratio docet ea scripta quæ Pauli, aliorumque Apostolorum voces, phrases, stylum, cæterosque loquendi modos imitantur, atque ad eos propiùs accedunt, à viro verè apostolico fuisse profecta. Atqui hæc omnia, fatentibus, immò objicientibus adversariis, in Ignatii nostri epistolis reperiuntur. Ab eo ergo verè scriptæ sunt.

§. II.

Ignatium non putide Paulum imitari.

Verum, inquit Dallæus, verba quæ apud Paulum rara sunt, ea apud Auctorem nostrum, non secus ac Salustiana, ut olim aiebat Seneca, apud Aruntium creberrimá sunt, ac pene perpetua. Ergo hæc putida imitatio epistolas Ignatio male suppositas prodit. Sed falsa est hæc consequentia. Nihil enim ex antecedente aliud concludi potest, nisi Ignatium epistolarum Pauli, sicuti Aruntium Salustianorum Operum non fuisse auctorem. Nam sicut imitatio Salustii Opera Aruntii ab ipso Aruntio scripta non fuisse nequaquam demonstrat; sic imitatio Pauli epistolas Ignatii, ab ipso Ignatio minimè exaratas fuisse non arguit.

Deinde falsum est antecedens, in Ignatii nimirum epistolis esse tam *crebras ac pene assiduas Apostoli voces*; ut omnibus fiant putidæ. Ex iis siquidem quas Dallæus objicit, primò verbum ὀναίμην non sexcenties, ut ille adserit, sed sexties tantum in genuinis Ignatii epistolis reperire est. Illud præterea verbum non Paulo peculiare est, sed apud alios græcos Auctores semper tritum & vulgare fuit. His addimus vocem ἀγαθοποιΐα, qua Paulus semel in omnibus epistolis suis usus est, quater à Clemente in unica epistola usurpari, nec in hac Paulina imitatione putidum quid ab ullo umquam objectum.

Quod subjungit Dallæus vocem ἀντίψυχος ex Paulina ἰσόψυχος ab Ignatio formatam, puerile est, planeque ineptum. Nam eæ voces diversos habent significatus, & vox ἀντίψυχος non apud Paulum, sed alios Scriptores occurrit.

Nec majoris est ponderis, quod urget hæc Pauli verba, ἐλαχιστότερον πάντων ἁγίων, *Sanctorum omnium minimum se esse*, Ignatium prave imitari, cùm dicit οὐκ ἄξιός εἰμι vel ὡς μικρότερος ὑμῶν. His enim postremis verbis non magis ad Pauli, quam ad Matthæi vel Lucæ sententiam collineasse videtur. In aliis vero superioribus, vel quibusdam similibus, quibus non epistolas, ut ait Dallæus, implevit, sed raro usus est, etsi Paulum æmulari gestierit, illud summam humilitatem Ignatii, qui omnes Pauli virtutes ac martyrium imitandi incredibili flagrabat desiderio, pulcre decebat.

Cap. 19. pag. 413.

Caput XXI.

Neque in epiſtolarum inſcriptionibus, neque in repetitionibus eſſe pravam Pauli imitationem.

§. I.

Errare Dallæum in inſcriptionum numero, atque in iis non eſſe pravam Pauli imitationem.

Dallæus porro id multo vehementius, ſed non felicius exagitat, quod Ignatius epiſtolis ſuis præfixerit inſcriptiones *mirificas, laciniofas, inconditas, & prodigioſa longitudinis*, quas omnes pravas Pauli imitationes eſſe cauſatur. Fatetur quidem ille epigraphen epiſtolæ ejuſdem Apoſtoli ad Romanos, quæ ſeptem verſiculos totos occupat, eſſe longiſſimam; ac in ea quæ ad Titum data eſt, ſimile quidpiam obſervari. Verum apud Ignatium inſcriptiones epiſtolarum omnium, ſi illam quam ſcripſit ad Polycarpum exceperis, longiſſimæ ſunt, laciniofæ & impeditiſſimæ. Sed primo in enumerandis epiſtolarum cum Pauli, tum Ignatii inſcriptionibus multum aberrat. Nam inſcriptio primæ Pauli ad Corinthios epiſtolæ ſatis eſt prolixa, prolixior vero illius quæ ad Galatas ſcripta eſt; hæc enim quinque verſiculos continet; cùm ea quæ ad Titum exarata fuit, quatuor tantum complectatur. Nec minus errat in Ignatianarum inſcriptionibus. Siquidem epiſtolarum Ignatii ad Smyrnæos, Magneſios & Trallenſes inſcriptiones primæ Pauli ad Corinthios longitudinem non ſuperant. Item epiſtolæ Ignatii ad Epheſios, non lon- *Cap. 30. pag. 415.*

gior est quam Paulinæ ad Galatas. Denique Ignatianarum ad Philadelphienses & Romanos, non majoris quam Paulinæ ad eosdem Romanos sunt longitudinis.

Secundo falsum est in his epistolarum Ignatii inscriptionibus pravam esse Pauli imitationem. Quod quidem ex iis quæ Dallæus ipse de Paulinarum litterarum inscriptionibus pronuntiat, facillimè evincitur. *Paulus*, inquit ille, *interdum inscriptiones epistolarum habet non breves & expeditas, ut vulgò mos erat, sed longiusculas & nonnihil obvolutas, ob res gravissimas quibus plena sunt, ut ex ea quæ ad Romanos est, quivis discere potest.* Atqui idem mos Ignatii tempore adhuc vigebat, & res gravissimæ in ejus epistolis pertractantur, ut ex sola quam dedimus earum analysi omnibus planum fiet & perspicuum. Ignatius itaque in epistolarum suarum inscriptionibus non prave imitatus est Paulum, sed eas tales exhibuit, quales & temporis sui mos, & res gravissimæ, quæ in eis tractantur, ab eo postulabant.

Pag. 415.

§. II.

De inscriptione Epistolæ ad Romanos.

Jam vero ad ipsam epistolæ Ignatii ad Romanos epigraphen, quam Dallæani vehementius exagitant, propius accedamus. De illius longitudine, aut de prava Pauli imitatione nihil amplius, uti demonstravimus, possunt cum Ignatio expostulare. Quid ergo in ea arguunt? Illam, inquiunt, tot epithetorum laudis, in unum locum male congestorum farraginem. Sed similia Paulus adhibuit epitheta laudis, in epistola ad Romanos; *Dilectis Dei, vocatis sanctis*, & in prima ad Corinthios,

Pag. 417.

sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis. Non inficiamur quidem in his multo pauciora esse, quam in Ignatiana. Verum præterquam quod Scriptores suo quique ingenio hac in re indulgent, justis Ignatius de causis plura laudum epitheta suæ ad Romanos epistolæ inscriptioni inseruit. Primum quidem hæc ab eo extorsit summa Romanæ Ecclesiæ, tot martyrum, ac in primis Petri & Pauli sanguine consperssæ, quam dudum animo conceperat, opinio & existimatio. Deinde illa omnia laudum epitheta ideo congessit, quòd singula quæque totidem ipsi viderentur esse argumenta & rationes, quibus Romanos ad mortem suam non impediendam adduceret.

Instat Dallæus viros apostolicos, puta Polycarpum, Clementem & alios tam longas epistolis suis non præfixisse inscriptiones. Unde infert Ignatium, qui inter militum custodias positus ad martyrium tanta celeritate ducebatur, inscriptionum adeo prolixarum non esse auctorem. At porro cùm plurimæ apostolicorum virorum ac præcipue Asiaticorum, qui teste Cicerone, erant redundantes, ad nos usque epistolæ non pervenerint, quis audeat adserere illas non eodem, ac Ignatianas, stylo vel similibus inscriptionibus fuisse exaratas? Ut ut sit, certe Ignatius in Pauli epistolis egregia, uti diximus, inscriptionum suarum habuit exempla, nec de ullo alio meliora accipere poterat. Quamvis autem ad martyrium summa velocitate properaret; id tamen non obstabat, quominus duas vel tres, plus minus, lineas epistolis suis, vel earum inscriptionibus adderet. Immo inde certo colligitur illum nulla arte in epistolis suis ea omnia scripsisse, quæ incredibilis Christi amor, &

R iiij

martyrii subeundi ardor immensus tum inspirabant.

§. III.

De repetitionibus quæ in epistolis occurrunt.

Ultimum Dallæi contra Ignatii epistolas argu- Cap. 31. pag. 411. mentum est: *Neque illud Ignatium Episcopum, ætatis provecta, & apud Apostolos educatum decere videtur, quod ille toties eadem præter viri gravis morem repetit atque inculcat.* Dignam sane tot variis futilibusque argumentis, in tam longa disputatione fere ubique adcumulatis, coronidem imponit. Numquid enim Episcopi provectæ ætatis, & apud Apostolos educati, res easdem, quoties expedit, minus quam alii Scriptores repetunt & inculcant? Certè Paulus ipse, ut cæteros taceamus, Ephes. 6. 11. in epistola ad Ephesios cùm dixisset: *Induite vos armaturam Dei*, duobus post versibus rur- Ibid. v. 13. sum scribit: *Accipite armaturam Dei.* Quod quidem si interpretes audiamus, repetitio est superioris exhortationis. Etsi ergo similes apud Ignatium occurrerent repetitiones, in his proculdubio Pauli vestigiis adhuc institisset. Verumtamen ut verum fateamur, repetitiones verborum in una eademque Ignatii epistola raræ sunt, nec ibi à Paulinis exemplis ille recessit. Repetitiones vero sententiarum aliis sunt infrequentiores; & si quas apud eum non secus ac Paulum reperias, eæ maximi sunt momenti, easque Ignatius ideo adhibet, ut illa quæ scribebat Christianorum memoriæ altius infixa, ex eorum animis numquam exciderent.

Caput XXII.

Ignatium illius quam nunc habemus, epistolæ ad Polycarpum vere esse auctorem.

§. I.

Id probatur auctoritate Polycarpi.

De prima epistolarum Ignatii classe nobis nihil amplius superesset dicendum; nisi Doctissimus Usserius, qui has ejusdem classis epistolas Ignatio constanter adjudicat, illam quæ Polycarpo scripta est, ipsi omnino abjudicasset. Quamvis autem ea quæ de Ignatii epistolis hactenus disputavimus, illam non secus ac alias, ipsi tribuendam esse demonstrent; de ea tamen idcirco censuimus privatim esse disserendum, quod Usserii auctoritas viros quosdam celeberrimos suas traxerit in partes. Hos inter & purpura & doctrina primas tenet Eminentissimus Cardinalis Bona, qui judicium Usserii sequutus, de ea sic pronuntiat: *Addo quod hanc epistolam, non genuinum Ignatii fœtum esse, sed suppostitium viri eruditi dudum observarunt: & ad id probandum multa adferunt non parvi ponderis argumenta.* Rer. Liturgic. lib. cap. 22. §. 1. Sed si viro tam erudito per otium licuisset illam examinare accuratius, in aliam proculdubio ivisset sententiam. Invicto namque ipsiusmet Polycarpi testimonio, quo certe nullum majus nunc desiderari potest, luculenter probatur hanc epistolam ab Ignatio fuisse scriptam. Testatur enim in sua ad Philippenses epistola se ab eo accepisse litteras: *Scripsistis ad me & vos & Ignatius*, &c. Atqui illa epi-

stola, quam his verbis indicat, eadem ipsa est de qua nunc quæstio movetur. Nam quæcumque Polycarpus de epistola Ignatii nostri memoravit, illa omnia, in ea quam habemus, nusquam vero in ulla alia reperiuntur. Scimus quidem in hanc epistolæ Polycarpi partem ultimam, quam citavimus, nonnulla à quibusdam fuisse objecta. Sed hæc omnia tam clare diluimus, eamque epistolæ partem non minus quam alias à Polycarpo scriptam esse, tanta, uti putamus, evidentia à nobis demonstratum est; ut sinceris rerum æstimatoribus id omnino persuasum fore confidamus.

Supr. cap. 4. Euseb. lib. 3. Histor. cap. 36. §. 2. & seq.

§. II.

Idem Eusebii & Hieronymi auctoritate probatur.

Porro autem epistolæ ad Polycarpum auctorem esse Ignatium, non Polycarpi tantum testimoniis, sed Eusebii etiam auctoritate plane evincitur. Ubi enim Ignatii epistolas accurate & diligenter recenset, hæc totidem verbis tradit: *Cùm Troadem venisset, inde ad Philadelphienses litteras dedit, & ad Smyrnaeorum Ecclesiam, privatimque ad Polycarpum eorum Episcopum*, ἰδίως τε τῷ ταύτης προηγουμένῳ πολυκάρπῳ. Eusebius namque ibi tres Ignatii epistolas aperte distinguit; atque hanc quæ ad Polycarpum, tam ab ea quæ ad Smyrnæos, quam ab illa quæ ad Philadelphienses data est discernit, & discriminat. Quæ quidem distinctio ex his quæ subsequuntur, multo clarius dilucidiusque perspicitur: *Quem cùm apostolicum virum*, sic ille prosequitur, *esse plane agnosceret, ipsi tamquam bonus ac fidelis pastor gregem Antiochenæ Ecclesiæ commendavit, rogans ut omni cura illum fovere vellet. Idem in epistola ad Smyrnaos de Ser-*

vatore nostro loquens, &c. Et certe in epistola ad Smyrnæos nullum de Polycarpo verbum facit, neque illi Ecclesiam suam Antiochenam commendat. Quæ cùm in epistola ad Polycarpum occurrant, illam proculdubio ab ea, quæ ad Smyrnæos scripta est, apertissime distinguit.

Neque alia Hieronymi sententia fuisse videtur, ait enim: *Inde egrediens scripsit ad Philadelphæos, & ad Smyrnæos, & proprie ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem Ecclesiam; in qua & de Evangelio quod nuper à me translatum est, super persona Christi ponit testimonium.* Nullus profecto non videt Hieronymum Eusebii sensum, ut omnia pene ejus verba expressisse, ac græcam illius vocem ἰδίως per Latinam *proprie* ab eo fuisse redditam. Vox igitur illa *proprie* nihil aliud apud illum ibi significat, quam privatim, seorsim, ac separatim. Atque eodem sensu eodem in libro non semel ab ipso usurpata legitur. Sic quippe ibidem de Clemente Alexandrino disserit: *De canonibus .... liber unus, quem proprie Alexandro Hierosolymitano Episcopo* προσεφώνησε, & de Apollonio: *Septimum proprie adversus Apollonium elaboravit.* Unde Sophronius in græcâ hujus libri versione illud verbum *proprie* per vocem ἰδικῶς, quæ idem ac Eusebiana ἰδίως sonat, reddidit. *Lib. de Script. Eccles.*

§. III.

Objectio Usserii diluitur.

Objicit tamen Usserius hæc Hieronymi verba: *in qua & de Evangelio*, &c. ad epistolam ad Smyrnæos omnino referri, proindeque illam unam ac eamdem esse cum ea quæ ad Polycarpum exarata dicitur. Quod quidem, inquit, ita verum est, *Sup. cit.*

De Ignat. epist. cap. 8. pag. 8. ut *Honorius Augustodunensis in libro de luminaribus Ecclesiæ (cui Hieronymianum Scriptorum catalogum in epitomen à se redactum inseruit) epistolam ad Polycarpum in censu scriptorum Ignatii plane prætermittendam esse judicavit.* Sed non magni ponderis est auctoritas Honorii, qui in hac libri Hieronymiani epitome toties per errorem lapsus est; ut vix ulla fides ipsi haberi possit. Majoris autem momenti est testimonium alterius auctoris longe vetustioris, qui utramque epistolam manifeste distinxit in Homilia de uno utriusque Testamenti Legislatore, quam Photius Chrysostomo, alii vero cuidam ejusdem ætatis Scriptori adsignant. *Biblioth. cod. 277. & Synod. 7. Genes. Act. 6.*

Præterea cùm Honorius librum Hieronymi in epitomen redegerit, ad illum, qui omnium manibus teritur, semper redeundum est. Si quæ vero in Hieronymi quoque verbis subsit obscuritas, ad Eusebium tamquam ad fontem, ex quo sua Hieronymus hausit, debent omnes recurrere. Atqui Eusebius Epistolam ad Polycarpum ab epistola ad Smyrnæos apertissime, ut vidimus, distinxit. Hieronymus ergo idem inter utramque statuit discrimen. Atque hinc liquido colligitur illa ejusdem Hieronymi verba : *In qua & de Evangelio*, &c. non ad posteriora, *ad Polycarpum*, sed ad superiora *ad Smyrnæos* referenda esse.

At, inquies, hæc textui Hieronymiano vim faciunt. Sed si verus ille sit verborum Hieronymi sensus, nulla ex vera eorum explicatione textui ejus vis adfertur. Neque forsan à vero multum aberrabit, qui dixerit in Hieronymi textu factam fuisse à librariis transpositionem : nisi Hieronymus, qui græcos Auctores tanta celeritate red-

dere ſolebat, ſua ipſe verba tranſpoſuerit.

Inſtabis, ſtylum Ignatii in epiſtola ad Polycarpum non deprehendi, nullique probabile fieri Ignatium, cùm ad Polycarpum privatim daret epiſtolam, in ea ad totam Smyrnenſem Eccleſiam ſuum convertiſſe ſermonem. Sed his facile reſpondemus hanc epiſtolam eodem ac alias genuinas Ignatii litteras, ſcriptam eſſe ſtylo. Eccleſiam vero Smyrnenſem cùm ibi adloquitur, nihil præter temporis ſui morem eum feciſſe certum eſt. Nam Dionyſius Corinthius ad Soterem ſummum Pontificem privatam ſcribens epiſtolam, in ea ad Romanam Eccleſiam ſtylum ſic convertit ſuum: *Hæc vobis conſuetudo eſt... Atque hunc morem beatus Epiſcopus veſter Soter non ſervavit ſolum*, &c. Porro Euſebius qui hæc Dionyſii verba retulit, ſic proſequitur: *In hac ipſa etiam epiſtola meminit Clementis epiſtolæ ad Corinthios, quam ex priſca conſuetudine in Eccleſia legi ſolitam teſtatur*. Hinc nulli mirum eſſe debet, ſi Ignatius qui ſuam quoque ad Polycarpum epiſtolam in Smyrnenſi Eccleſia publice legendam fore noverat, ad omnes univerſim Chriſtianos ſuum in illa direxerit ſermonem. *Lib. 4. Hiſtor. cap. 23.*

PARS SECUNDA
DE INTERPOLATIONIBUS
genuinarum Ignatii epistolarum, ac de aliis epistolis ipsi falsò adscriptis, earumque Auctoribus.

Caput Primum.

De interpolationibus epistolarum Ignatii.

§. I.

Ignatium harum interpolationum non esse auctorem contra Morini sententiam.

SECUNDA epistolarum Ignatii classis easdem de quibus hactenus disseruimus, litteras continet, sed variis interpolationibus atque additamentis auctas, aliisque depravationibus fœde corruptas & adulteratas. Harum autem additionum & corruptionum auctorem non esse Ignatium, adeo certum est; ut etiam ante vulgatas ab Usserio & Vossio epistolarum Ignatii sinceras editiones, illud viris quibusdam doctis & eruditis fuerit observatum. Scimus quidem Doctissimum Morinum alicubi adseruisse, quod: *Antiqua Ignatianarum epistolarum editio, genuinum textum nobis exhibet, nova vero mancum & interpolatum.* Ac ne quis eum hæc temere dixisse putaret, continuò addidit: *Multa conjecturæ meæ argumenta dare possem.* Rem sane omnibus gratam & perutilem præstitisset vir ille eximius, si ea dedisset argumenta, quibus opinionem adeo singularem, & à vero tam

De Sacr Ordinat. Part 3. Exercit 3. Cap. 3. pag. 46.

alienam defendi posse arbitrabatur. Nam sinceras ac genuinas Ignatii nostri epistolas in editionibus Usserii & Vossii exhiberi certis invictisque rationum momentis plane demonstratur.

§. II.

Id variis argumentis probatur.

Primum enim testimonia quæ Patres antiqui, puta Eusebius, Athanasius, Hieronymus, Theodoretus, aliique plures ex Ignatii epistolis citaverunt, in iis, non autem interpolatorum editionibus sincera & integra repræsentantur.

Secundò additiones illæ quas Usserius, ut interpolatorum fraudes magis essent manifestæ, voluit in editione sua esse minio descriptas, nihil aliud sunt quam loca sacræ scripturæ Ignatiano textui superaddita, vel phrases aut periphrases nec aperte nec convenienter illi adjectæ.

Tertio in iis hæretici, qui Ignatii tempore nondum exstiterant non solum impugnantur, sed nominibus etiam suis appellantur. Ibi insuper de rebus Ignatii tempore nondum usitatis ac ejusdem ætatis doctrinæ ac disciplinæ contrariis & oppositis sermo instituitur. Tale est illud quod ibi indubitanter adfirmatur, Paulum & reliquos Apostolos nuptiis fuisse sociatos. Talia sunt quæ de Imperatoribus traduntur, & alia plura, quæ omnibus cùm sint obvia, iis recensendis diutius non immorabimur.

Hinc itaque liquido intelligitur idem epistolis Ignatii contigisse quod de suis Dionysius Corinthius memorat: *Epistolas*, inquit, *scripsi, rogatus à fratribus: sed illas ministri quidam diaboli Zizaniis compleverunt, quædam ex illis expungentes,* *Apud. Euseb. lib. 4. Histor. cap. 23.*

quædam adjicientes. Quis autem epistolas Ignatii adulteraverit, harumque interpolationum depravationumque auctor fuerit, si inquiras, dicemus nobis probabile omnino videri illum eumdem esse, qui Ignatii nomine alias publicavit epistolas, de quibus nunc est disserendum.

Caput II.

De aliis epistolis divo Ignatio adscriptis.

§. I.

Analysis harum epistolarum & primo quidem epistola Mariæ ad Ignatium.

IN tertia epistolarum Ignatii classe aliæ quinque collocantur, quibus, ea quam Maria ex Cassobelis ad Ignatium scripsisse dicitur, in editionibus Usserii, Vossii ac Cotelerii præfixa est. Hac autem in epistola, Maria Ignatium certiorem facit Christianam fidem in regione sua fuisse susceptam, atque idcirco eum deprecatur, obtestaturque, ut mittat ad se Marim Episcopum Neapoleos, Eulogium & Zarbum Presbyterum: *Ne præsidiis*, inquit, *divini verbi Antistitum & administratorum simus destituti.* Fatetur eos juvenes quidem esse; negat tamen quidquam ei ideo fore timendum; cùm Samuel, Daniel, Jeremias, Salomon, Josias & David in tenera juvenilique ætate populi Israëlitici Judices, Reges, atque etiam Prophetæ constituti fuerint. Addit non illum docendi, sed memoriæ causa se illi hæc retulisse exempla. Ac tandem Ignatio & clero ejus cùm suis, tum aliorum fidelium verbis & nomine breviter salutatis, claudit epistolam.

§. II.

§. II.

Analysis aliarum epistolarum, quæ Ignatii nomine inscribuntur.

Ignatius acceptâ Mariæ epistolâ, respondit illam, qua magnas animæ ipsius virtutes perspectas habuit, sibi fuisse gratissimam. Quantis vero, quæ quidem lubentissime pro Christo patiebatur, tormentorum generibus vexaretur, cùm illi deinde significasset, testatur se cuncta quæ postulaverat, gratanter implevisse. Ait autem se etiam exempla omnia, quæ ex scripturis sacris retulerat, non sine voluptate audivisse; nec illa ipsa, quorum certam ab ea haberet demonstrationem, putavisse sibi in iisdem Scripturis esse oculis percurrenda. Dehinc quæcumque de ea, cùm Romæ sub Lino Pontifice, Clementis antecessore, commoraretur, ipse audierat, vera esse, ipsamque majores postea in Christiana perfectione fecisse progressus, certò se agnovisse declarat. Hinc quanto eam invisendi, nisi obstaret *militaris custodia*, flagrabat desiderio, aperit. Interim vero ut eos qui Christi nativitatem & passionem in carne negabant, fugiat, vehementer adhortatur. Tum demum iis qui sicut ipsa salutis suæ satagebant, salutatis, eidem Presbyterorum suorum ac Diaconorum, in primis autem Heronis & Cassiani, ejusdemque cum uxoris tum filiorum nomine salutem impertit.

Secunda epistola Philippis ad Tharsenses exarata est, qua Auctor se à militibus, quibus Antiochiâ Romam ducebatur, variis cruciatibus torqueri, sed ad omnia tormenta pro Christo perferenda se paratum esse nuntiat. Eos deinde obsecrat, ut in fide Christiana firmi perseverent, atque ab

iis hæresibus, quas ille recenset & impugnat, sedulo caveant, admonet. Insuper autem illos hortatur, ut nonnulla, quæ notat, vitia fugiant; ac continenter omnibus cujuslibet conditionis hominibus varia tradit vitæ morumque præcepta. Tandem ut Deum pro se exorent, rogat; ipsisque postquam Ecclesiam suam Antiochenam commendasset, variis salutationibus absolvit epistolam.

Tertia ad Antiochenos directa, Philippis quoque scripta est. In ea Auctor ex quo pacem illis redditam accepisset, sua sibi vincula levia esse & portatu facilia, profitetur. Illos autem obsecrat, ne variis gentilium, qui plures Deos adorabant; neque Judæorum, qui unum tantum esse credentes, divinitatem Christi negabant, patiantur se erroribus decipi. Quapropter contra quatuor diversa circa eamdem Christi divinitatem & incarnationem, hæresum genera totidem elicit conclusiones. Non diffitetur tamen Antiochenos ab iis erroribus longe esse alienos; nec alia mente isthæc ad eos se scripsisse dicit; nisi ut eorum animos adversus hæreses tam perversas præverteret ac præmuniret. Subdit se ea quæ præsens dixerat, absentem scribere, illos Petri & Pauli discipulos fuisse, Evodium habuisse Episcopum & Pastorem; proindeque vitam, quæ tantorum virorum decebat filios, ipsis semper esse agendam. Ea propter varia illis tradit vitæ Christianæ documenta, ac omnibus & suo & aliorum nomine salutatis, illi tandem quem in Episcopatu Antiocheno successorem habiturus erat, salutem dicit.

Philippis rursum exarata est epistola quarta ad Heronem Diaconum, quem Auctor plurimis morum institutis ita imbuit; ut nonnulla adversum

quatuor hæreticorum genera, identidem admisceat. Subinde eum quomodo à se educatus fuerit, ac se imitari oporteat, admonet; prænuntiatque eum in Episcopatu Antiocheno, quo se dignum præstare debebat, sibi fore subrogandum. Posthæc ipsum Episcoporum Viti, Damæ, & Polybii nomine salutat, oratque ut suis vicissim verbis Presbyteris, Diaconis, populoque Antiocheno, & quibusdam nominatim, præcipuè vero Mariæ ex Cassobelis nuntiet salutem; ac tandem longum illi in Ecclesiæ utilitatem, vitæ cursum optat atque precatur.

Principio epistolæ ultimæ, quæ ad Philippenses data est, Auctor se omnium quæ ab illis acceperat, beneficiorum memorem esse testificatur, atque ad eos se hanc idcirco exarasse epistolam; ut quid circa Trinitatis atque Incarnationis mysteria ab omnibus esset credendum, palam faceret. Probat itaque tres in Trinitate esse personas unius nominis & ejusdem honoris, sed à se invicem distinctas; Christum vero carnem humanam vere adsumsisse, eumque vere non ficte & simulate mortuum, & à mortuis suscitatum. Subdit diabolum lapidem omnem movisse; ut Judæos ad eum crucifigendum impelleret: sed cùm hac Christi morte certam perniciem exitiumque sibi inferri sensisset, tunc illum totis viribus, omnique conatu frustra huic morti obstitisse. Hinc diabolum longa apostrophe adloquitur, ostenditque varios ab eo de Christi divinitate & Incarnatione secum invicem pugnantes, malis artibus errores disseminatos fuisse: sed illi plura quæ recenset, de ipso Incarnationis mysterio fuisse incomperta demonstrat. Post hanc autem diaboli apostrophen, in qua fu-

se de tribus Christi in deserto tentationibus disserit, nonnulla de Festorum diebus, Quadragesima, Paschate, ac de recta vivendi ratione ibidem subnectit. Dehinc Antiochenam Ecclesiam Philippensibus commendat, variisque salutationibus additis, se hanc epistolam circa Rhegium, cùm jam navi subvehendus esset, se dedisse testificatur. Denique cùm iisdem Philippensibus corporis, animæ & spiritus optasset salutem, epistolam obsignat.

Caput III.

Probatur has omnes epistolas falsas esse & subdititias.

§. I.

Probatur has omnes generatim epistolas esse supposititias.

Has omnes epistolas supposititias esse, Ignatioque nostro perperam adscriptas, variis rationum momentis, quæ eas universim singulatimque spectant, facile evincitur. Primo enim Eusebius, Hieronymus, aliique Scriptores eruditissimi eas tantummodo epistolas, quæ in editionibus Usserii & Vossii exhibentur, Ignatio adjudicant. At si quæ aliæ ab eo essent scriptæ, tantorum profecto virorum curam & diligentiam, summumque in investigandis priorum Ecclesiæ Patrum lucubrationibus laborem non fugissent, nec tam alto silentio ab eis fuissent prætermissæ.

Præterea, id quoque probat idem omnium harumce epistolarum stylus ab Ignatiano, quem Auctor frustra imitari conatus est, omnino alienus.

Denique maxima est has inter epistolas cogna-

tio & connexio. Nam secunda, tertia & quarta ex eadem Philippensi urbe datæ leguntur, & in quarta Maria ex Cassobelis, ad quam prima epistola scripta est, ibidem salutatur. Si ergo una ex his epistolis, sic sibi invicem connexis, adulterina sit, & alias quoque omnes adulterinas esse oportet. Atqui non una tantum, sed omnes adulterinæ sunt, falsæ & suppositititiæ.

§. II.

Epistolas Mariæ ad Ignatium & Ignatii ad Mariam esse suppositititias.

Ac primum epistolam Mariæ ad Ignatium & Ignatii ad Mariam responsionem adulterinas esse inde demonstratur; quod Maria quæ Ignatium omnium Christianorum nomine salutat; ab eo tamen ut Marim & Eulogium, licet juvenes, alterum suæ Neapoleos Episcopum, alterum Presbyterum sua sola ac privata auctoritate postulat; idque Ignatius illi ultro concedit. Quod sane quantum usui moribusque illorum temporum contrarium sit, nemo non videt.

Secundo Maria, ut Ignatius postulatis suis annueret, varia profert Scripturæ sacræ exempla, de quorum veritate ex sola ejus relatione, nec perlectis Scripturæ paginis, numquam ille se dubitasse testatur. Quis autem credat Ignatium exempla illa, quæ nullus in Scripturis non omnino peregrinus ignorat, vel nescisse, vel memoria non retinuisse; atque illum tanta simplicitate omnem mulieri adserenti tribuisse fidem.

Tertio Auctor adfirmat se hanc scripsisse epistolam, cùm Clemens Romanam Petri sedem teneret, & cùm ipse esset sub *militari custodia*, id

est, cùm ad Martyrium duceretur. At nemo est qui nesciat Ignatium longo post Clementis Pontificatum tempore martyrio fuisse coronatum.

§. III.

Alias quoque epistolas esse adulterinas.

Epistola secunda suam quoque falsitatem aperte prodit: in ea siquidem Auctor hæresim Sabellii, quæ Ignatii tempore nondum fuerat disseminata, non obscure confutavit.

Deinde Paulus sub hoc solo nomine, *Apostolus*, ibi laudatur. Atqui eum Ignatii tempore hoc per antonomasiam cognomine fuisse appellatum, vero non videtur simile.

Falsitas tertiæ epistolæ inde arguitur, quod Antiochena Ecclesia vocetur *Christi nova oliva*, & paulo post Antiocheni Petrum & Paulum magistros, Evodium vero Episcopum habuisse dicuntur. Sed Petrum anno 39. Antiochiam venisse, ibique Ecclesiam fundasse, atque illuc Paulum, comite Barnaba, adventasse, scriptis traditum est. Quo ergo pacto hæc eadem Ecclesia circa annum 108. quo Ignatius ad martyrium properabat, potuit *Christi nova oliva* appellari?

Præterea Auctor ibidem salutat Subdiaconos Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Custodes sanctarum portarum, &c. Atqui juxta doctissimorum Criticorum sententiam hi Ordines, eorumque nomina primo Ecclesiæ sæculo incognita fuerunt. Quamvis autem quidam variis Laodicenæ Synodi, Epiphanii, Constitutionumque Apostolicarum testimoniis diligenter ponderatis, originem, initiumque horum Ordinum, nulli hactenus fuisse compertum adserant; illud tamen

certum est, quod si Ignatii tempore quidam iis Ordinibus fuissent initiati, ille in veris suis epistolis aliquam illorum, sicuti virginum & viduarum fecisset mentionem.

Quod in quarta epistola legitur Onesimum, Damam & Polybium ad Ignatium invisendum in Philippensem urbem se contulisse, falsitatem ejus manifeste declarat. Discimus enim ex genuinis Ignatii epistolis tres illos Episcopos ad Ignatium salutandum venisse Smyrnam. At eosdem persequutionum tempore eadem rursus de causa ad urbem Philippensem adventasse, nulli, ut putamus, fiet credibile.

Secundo quidam Manichæorum errores, nempe carnem, vinum, & fœminas abominandas; damnandas nuptias; legem & Prophetas, idest, vetus Testamentum esse rejiciendum, ibi exagitantur & refutantur. Huc accedit quod Auctor Mariam ex Cassobelis, quæ ad Ignatium & ad quam Ignatius epistolam scripsisse fertur, jubet suis verbis salutari. At utramque hanc epistolam adulterinam esse jam demonstravimus.

Ultima quoque epistola evidentes præ se fert falsitatis notas & caracteres. Prolixa namque ad Dæmonem adlocutio & apostrophe fœtus est inepti declamatoris, qui verba Ignatii: *Latuit principem sæculi hujus virgintas Mariæ*, insulsa amplificatione exornare conatus est. *Epist. ad Antioch.*

Secundo quæ de festis & Quadragesima atque Paschate ibi habentur, ex Constitutionum Apostolicarum libris, quos Ignatius numquam legerat, desumta sunt.

Denique Auctor ibi Manichæorum atque Patripassianorum errorem refellit. At Praxeas Ignatio

Lib. contra Prax. cap. 1. posterior. *Primus ex Asia*, inquit Tertullianus, *secundum hoc genus perversitatis intulit Romana humo*. Hæc igitur epistola atque aliæ superiores non potuerunt Ignatium nostrum auctorem habere.

CAPUT IV.

De aliis epistolis latinis Ignatii nomine inscriptis.

§. I.

Analysis harum epistolarum.

QUARTA epistolarum Ignatii classis duo epistolia Ignatii ad Johannem Apostolum & Evangelistam, & tertium ad Deiparam Virginem, ejusdemque Virginis responsum continet.

In primo Auctor Johannem, ut ad ipsum venire properet; ac Mariam Dei genitricem, & Mariam Salome, quam eximiis laudibus extollit, secum adducat, vehementer adhortatur.

In secundo autem epistolio significat Johanni quanto Deiparam Mariam, Jacobum fratrem Domini, aliosque Apostolos videndi desiderio teneretur.

Orat Mariam in tertio, ut eorum quæ de Jesu, divino ejus filio, audierat, se faciat certiorem. Maria autem quarto epistolio respondet, & ea omnia vera esse & credenda ab ipso, & ad eum se venturam esse pollicetur.

§. II.

Illas adulterinas esse demonstratur.

Nullus fere est qui nunc hæc epistolia falso Ignatii nomine inscribi non fateatur. At certe quis

vel ex sola earum lectione paulo adtentiori eorum falsitatem confestim non deprehendat? Neque enim Ignatius ad Mariam Dei-genitricem, neque Dei genitrix ad Ignatium ejusmodi epistolia scripturi erant, ab eorum gravitate & ingenio tam aliena. Quid quod illa epistolia latine tantum scripta hactenus inventa sunt, nec umquam græca fuisse videntur. Denique apud omnes antiquos Auctores, qui de Ignatii epistolis seu veris seu falsis, sive interpolatis aliquid scripto mandaverunt, nullum omnino, ne minimum quidem, de his epistolis verbum occurrit.

Neque dixeris in Dextri Chronico eorum fieri mentionem. Nam Opus illud Dextro perperam adscribitur, Auctorisque est valde recentis, nulliusque nominis vel auctoritatis.

Scimus quidem divum Bernardum scripsisse: *Magnus ille Ignatius . . . . Mariam quamdam in pluribus, quas ad eam scripsit epistolis Christiferam salutat.* Sed ex voce illa, *quamdam*, quæ in manuscriptis codicibus legitur, omnes facile intelligunt epistolas Deigenitricis Mariæ à Bernardo, tantæ erga eam pietatis & devotionis viro, tam frigida appellatione non fuisse citatas. Probabilius itaque est epistolam Pseudo-Ignatii ad Mariam ex Cassobelis, in cujus inscriptione Christifera dicitur, à mellifluo Doctore laudari. Porro cùm ille epistolam Criticorum ponderibus non examinasset, illam Ignatio nostro juxta vulgarem sui temporis morem tribuere non dubitavit.

Serm. 7. in Psalm. Qui habitat, &c.

Caput IV.

Qui fuerint genuinarum epistolarum Ignatii interpolatores, & adulterinarum auctores.

§. I.

Num ab auctore Constitutionum Apostolicarum sint profectæ.

Interpolationes epistolarum Ignatii & epistolæ falso ejus nomine inscriptæ unum eumdemque videntur habere auctorem. In iis siquidem omnibus, idem stylus, idem impostoris maleque feriati hominis ingenium, omnes denique ejusdem Scriptoris caracteres facile deprehenduntur. Usserius autem arbitratur eum esse, qui falsos Apostolorum canones, Constitutionesque Apostolicas divulgavit. Quam quidem opinionem ut probaret varia ex iis interpolationibus atque epistolis adduxit loca, quorum pleraque à Cotelerio in editionis suæ marginibus citata sunt; atque ea paria, sibique invicem similia esse demonstrare conatus est. Verum ex hoc argumento illud tantum conficitur, unum horumce scriptorum auctorem ab alio plura fuisse mutuatum: sed inde unum eumdemque horum omnium esse auctorem nullo umquam modo evinci poterit.

§. II.

Quo tempore in lucem prodierint.

At certe vero propius abest, cùm interpolationes, epistolasque illas sexto Ecclesiæ sæculo publicatas esse adserit. Exeunte etenim sæculo quin-

to veræ Ignatii epistolæ laudantur à Gelasio & Theodoreto; falsæ vero & supposititiæ à Stephano Gobaro circa annum 580. atque eas ab Anastasio Antiocheno Patriarcha circiter annum 595. & ab aliis deinceps citatas legimus. *Apud Photium in Biblioth. §. 232.*

Porro autem si falsi Canones, ac Constitutiones Apostolorum, sæculo, ut quidam autumant, quarto, vel ante sextum sæculum in lucem prodierunt, ex iis proculdubio Pseudo-Ignatium illa omnia quæ ab Usserio & Coteler io referuntur, transcripsisse necesse est.

Quod tandem ad quatuor epistolia, quæ in quarta epistolarum Ignatii classe collocantur pertinet, ea proculdubio à Latino, uti observavimus, Scriptore profecta esse vero videtur simillimum. Quo autem tempore ille vixerit, non est promtum definire. Nam incertum est utrum Bernardus unum ex iis laudaverit. Citantur quidem in Pseudo-Dextri Chronico: sed quando illud scriptum sit, nemo exploratum habet. Si quid vero dandum conjecturis, ex horum Epistoliorum stylo & latinitate, nos illa manus recentioris, & græcis Pseudo-Ignatii epistolis longe posterioris esse non absurde dici posse credimus.

PARS TERTIA

DE EDITIONIBUS ET VERSIONIBUS omnium Ignatii epistolarum tam genuinarum quam adulterinarum, ac variis in eas notis & observationibus.

CAPUT PRIMUM.

De Editionibus & Versionibus Epistolarum Ignatii.

§. I.

De Editionibus Latinis.

PRIMA quæ in manus nostras venit, epistolarum Ignatianarum editio Parisiis anno 1494. prodiit, illaque tres tantum epistolas, duas ad Johannem Apostolum, tertiam ad Deigenitricem Mariam complectitur. Anno autem 1498. Faber Stapulensis undecim alias vulgavit, quæ deinceps Argentorati, & Basileæ, ac tandem anno 1575. in fine Operum Dionysii Areopagitæ editæ sunt. Postea Symphorianus Champerius easdem anno 1676. prælo Ascensiano rursum subjecit, ac epistolas ad Johannem & ad Mariam Dei-param, atque unam ad Mariam ex Cassobelis, hactenus ineditam, eis subjunxit. Hæc autem Champerii editio variis typis Antuerpiæ, Basileæ, Coloniæ, Parisiis, aliisquein urbibus excusa est. Porro hæ omnes editiones latine tantum prodierunt.

§. II.

De Editionibus græcis & verſionibus.

Valentinus Pacæus anno 1557. eas græce *ex antiquiſſimo Ferdinandi Auguſti, ſive Auguſtana Bibliotheca codice*, additâ Perionii verſione, edidit. In hac autem editione, quam Morellus bis anno 1558. & 1562. recudit, eæ ſolum exſtant epiſtolæ, quas Faber, uti diximus, Latine vulgaverat. Dehinc Andræas Geſnerus eaſdem ex manuſcripto Bibliothecæ D. Gaſpari à Nydphrych græce iterum publicavit, atque etiam Latine, *interprete Johanne Brumero*. Arbitrabatur quidem ſe primum illas publici feciſſe juris: ſed ipſi proculbio editio Pacæi incognita eſſe debuit. Rurſus vero Hieronymus Vairnelius Sylvius eaſdem ad quoſdam manuſcriptos codices emendatas, nova verſione donatas, pluribuſque obſervationibus auctas, novis Plantini typis anno 1566. Antuerpiæ mandavit. Anno autem 1608. Martialis Mæſtræus illas, novis quibuſdam notis ſuperadditis, iterum publicavit. Poſthæc Genevæ anno 1623. Nicolaus Vedelius Academiæ Profeſſor, & Calvinianæ ſectæ Miniſter, caſtigatâ poſt Mæſtræum Vairnelii Sylvii verſione, eaſdem græco latinoque caractere emiſit in lucem.

§. III.

De Editione Uſſerii.

Jacobus Uſſerius Archiepiſcopus Armachanus poſtquam vulgatas Ignatii epiſtolas cum tribus manu exaratis codicibus, qui antiquam verſionem Latinam exhibebant, contuliſſet, duos alios itidem manuſcriptos, ſed pretii multo majoris fortunate invenit, unum *in publica Collegii Gunwelli*

& Caii apud Cantabringenses Bibliotheca; alterum *in privata D. Richardi Montacutii Norwicensis nuper Episcopi Bibliotheca repositum.* Duo autem antiquissimi illi codices epistolarum Ignatii, latinam qua genuinus earum textus, absque ullis interpolationibus vel additamentis redditur, versionem repræsentant. Ex his porro duobus codicibus, atque aliis tribus supra memoratis, novam omnium Ignatianarum epistolarum editionem, præfixâ iis Polycarpi ad Philippenses epistolâ, sic adornandam suscepit. Primum genuinis Ignatii epistolis interpolatis græce & latine excusis, locum dedit. Ibi antiqua versione latina ad tres supradictos codices manuscriptos emendata usus est, atque ut interpolationes ab omnibus facilius deprehendi possent, eas minio exarari jussit. Has excipiunt epistolæ falso Ignatii nomine inscriptæ, quibus epistolam Mariæ Cassobelitæ ad Ignatium ille præfixit, & trium supradictorum codicum ope varios latinæ earum versionis nævos abstergere conatus est. Ultimo tandem loco ponitur antiquissima, uti diximus, versio genuinarum Ignatii epistolarum, è quarum numero epistola ad Polycarpum immerito excluditur.

§. IV.
De Editione Vossii.

Cùm Vossius iter in Italiam ageret, & Florentinam Ferdinandi II. Etruriæ Ducis, Bibliothecam perlustraret, incidit in codicem græcum manu exaratum, qui easdem atque ab Usserio latine editas, genuinas & sine interpolationibus & additamentis epistolas Ignatii continebat. Codex ille centum ante annis à Turriano visus, nec veras Ignatii epistolas à falsis supposititiisque distinguit,

nec integer est; quippe qui epistolam sancti Martyris ad Romanos, non exhibeat amplius. Vossius itaque ad suos redux, novam Amstelodami anno 1646. epistolarum Ignatii editionem adornavit, qua græcas ex illo Florentino codice, latinas vero ex antiquissima versione, ab Usserio vulgata, emisit in publicum. His vero epistolis alias cum adulterinas tum interpolatas cum suis antiquis versionibus latinis adjunxit.

§. V.

De Editione appendicis Usserianæ, Cotelerii, & aliorum.

Subsequenti anno Usserius, visa Vossii editione, accuravit Londini Appendicem Ignatianam, qua genuinas tantummodo Ignatii epistolas græce & latine complexus est. In ea primo græcum Vossianæ editionis textum ex latina versione antiquissima, & Junii Vossiique conjecturis corrigere adgressus, ex duabus deinde earumdem epistolarum versionibus latinis, alterâ antiquissimâ, alterâ à Sylvio editâ, unam ille composuit. Quoniam autem epistola ad Romanos ex manuscripto Florentino fuerat avulsa, illam cum græcis Martyrii Ignatiani Actis, tam à Metaphraste editis, quam aliis à se repertis, ibidemque primum publicatis collatam, mendisque expurgatam voluit cæteris omnibus subnecti.

Cotelerius in sua Operum SS. Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt, editione omnes Ignatii epistolas, veras, interpolatas, supposititias, adulterinas, sed à se invicem distinctas, & suo quasque collocatas in ordine, typis iterum mandavit. Duas ibi earum dedit versiones latinas, quarum primâ genuinas, secundâ supposititias inter-

pretatus est. Sed prior ultimæ versionis Usserianæ, posterior versionum Sylvii & Mæstræi emendatio potius dicenda est, quam nova versio.

Denique epistolæ Ignatii in omnibus Bibliothecarum Patrum editionibus locum habuerunt: sed nullibi nisi in græcolatina typis græcis excusæ sunt. In aliis vero variæ exhibentur versiones latinæ: & quidem in Orthodoxographia versio antiqua; in Bibliotheca Parisiensi & Coloniensi, & Græcolatina interpretatio Sylvii reposita est. In Bibliotheca demum Lugdunensi duæ sunt earumdem epistolarum versiones, quarum una ex Sylvii, altera ex Vossii editione desumta quidem fuit: sed illæ in hac posteriore fraudulento falsoque genuinarum Ignatii epistolarum titulo inscribuntur:

Caput II.

De variis in Ignatii epistolas notis & observationibus.

§. I.

De notis Vairnelii Sylvii, Martialis Mæstræi, Nicolai Vedelii, & Billii.

Ex iis qui aliquam epistolarum Ignatii editionem adornaverunt, plurimi illas notis observationibusque suis illustrare adgressi sunt. Ac primum quidem Vairnelius Sylvius quædam in eas observat, ad textus græci aut versionis suæ explicationem conducentia: sed quæ ad textum spectant, pauciora sunt, minorisque momenti. Ea tamen in omnibus Patrum Bibliothecis publicata fuerunt.

Martialis Mæstræus plures quoque in easdem animad-

animadversiones vulgavit, quarum aliæ ad textum græcum, versionemque suam pertinent; aliæ ad ejusdem textus illustrationem, atque illius contra Novatores, in primisque Sculteum defensionem sunt editæ. Sed cuique præterea epistolæ suam analysin, iisque omnibus synopsin vitæ Ignatii, & omnium epistolarum apologiam præmisit. At certe si ille in rebus criticis magis fuisset exercitatus, vel post Usserii, Vossiique editiones, suam dedisset apologiam, numquam profecto adulterinas, suppositiasque epistolas æque ac veras Ignatio adjudicandas esse constituisset.

Nicolaus Vedelius post singulas quasque epistolas longam Dissertationem, variis capitibus distinctam subnectit, qua Calvinianæ suæ sectæ errores, & alia quædam doctrinæ, disciplinæque Ecclesiasticæ capita adversus Bellarminum ac Baronium propugnanda suscepit. In calce autem subjecit: *Notas criticas & observationes quasdam philologicas in epistolas septem germanas Ignatii.* In iis quandoque versionem suam, quandoque genuinas Ignatii epistolas tuetur & adserit, quandoque earum interpolationes indicat, quandoque tandem textum earum explicat aut corrigit.

Billius quoque quasdam, ut ipse ait, observatiunculas ad textus Græci vel Latinæ versionis emendationem posteritati reliquit.

§. II.

De annotationibus Usserii, Vossii & Cotelerii.

Usserius vero plures edidit *Annotationes, in quibus*, inquit ille, *græcorum exemplarium, & inter se, & cum utraque vetere Latina interpretatione comparatio continetur.* Sed cùm illæ genuinas

tantum epiſtolas Ignatii ſpectarent, alias in ſuppoſititias & adulterinas in Appendice ſua poſtea edidit. Priores ut præfert titulus, quaſdam Ignatiani textus correctiones, aut variantes manuſcriptorum lectiones exhibent. Poſteriores vero vel aliarum epiſtolarum falſitatem, aut illarum cum Apoſtolicis Conſtitutionibus ſimilitudinem patefaciunt & demonſtrant.

Annotationibus Voſſii ſolus genuinarum epiſtolarum textus caſtigatur, aut enodatur: nonnullis tamen, ſed pauciſſimis epiſtolarum quarumdam veritas adſeritur. Poſtquam Blondellus nonnulla harum animadverſionum errata arguiſſet, tunc Voſſius epiſtolâ, ad Rivetum datâ, atque à Pearſonio in calce Vindiciarum ſuarum vulgatâ, illas ſtrenue propugnandas ſuſcepit.

Poſtremo Cotelerius in omnes Ignatianas epiſtolas notas emiſit atque obſervationes. Quas in genuinas ille protulit, eæ cæteris omnibus ſunt longiores, iiſque non ſolum textus illuſtratur, ſed genuinæ potiſſimum epiſtolæ Ignatio vendicantur. In aliis annotationibus textum Auctoris ex variis aliorum Patrum teſtimoniis præcipue explanat, ac quibuſdam in locis de virginitate, de Apoſtolorum conjugio, nonnulliſque de hæreticis ſermonem diſputationemque inſtituit. Porro omnes illæ doctiſſimi viri obſervationes ejuſdem ſunt generis, ac eæ quas in Barnabæ epiſtolam edidit. In utriſque tamen, ne quid diſſimulemus, illud deſiderant eruditi; ut à propoſito Auctoris ſui textu minus ſæpe ille digreſſus fuiſſet, nec ſuis tam facile indulſiſſet conjecturis.

Caput III.

Quædam nova observationes in epistolas Ignatii.

§. I.

De sacro Christianorum altari.

His doctorum hominum observationibus si aliquid liceat adjicere, illud primò adnotabimus, quod Ignatius de sacro Christianorum altari ad Ephesios scribit: *Si quis non sit intra altare, τῦ θυσιαςηρίυ, privatur pane Dei.* Et ad Philadelphæos: *Una enim caro Domini nostri Jesu Christi, & unus calix in unionem sanguinis ipsius, unum altare, ἓν θυσιαςήριον.* His in locis vocem θυσιαςήριον in sua propria, vera ac genuina significatione, nimirum pro sacra mensa, in qua Christi corpus immolatur, usurpari certissimum est. Unde profectò refutantur Calviniani, qui verum Christi corpus in Eucharistia esse negantes, vocem quoque θυσιαςήριον *altare* in vero ac proprio significatu per tria prima Ecclesiæ sæcula ab antiquis Patribus acceptam inficiantur. Epist. ad Ephes. Epist. ad Philadelph.

Frustra autem objicit Vedelius Eucharistiam Ignatii tempore ad mensam ligneam, quæ altare proprie dictum non erat, fuisse administratam. Primo namque incertum est utrum his Ecclesiæ temporibus Christiani tabula lignea vel lapidea uterentur. Secundo non materies lapidea aut lignea, sed sacrificium super mensam, cujuscumque materiei sit, ab hominibus Deo oblatum, altare proprie dictum constituit.

Neque vero majoris momenti est, quod idem

Conc. Laodic. Can. 44. Vedelius eo quia mulieribus, ne ad altare accederent, nonnullis canonibus vetitum esset, inde Ignatium non de materiali aliquo altari, sed de spirituali, precum scilicet & orationum, intelligendum esse contendit. Enimvero idem Vedelius cùm hos citat canones, qui vocem altaris vero ac germano sensu usurpant, seipsum imprudens jugulat. Deinde Ignatius de Eucharistia loquitur, ac proinde non de spirituali ac metaphorico, sed de materiali & vero altari eum loqui necesse est. Denique si mulieribus altaris accessu olim interdicebatur, per divini tantum officii tempora, non autem cùm Eucharistia accipienda esset, illud eis prohibitum fuit.

Instabis, primis Ecclesiæ sæculis vocem *altare* rarius adhibitam à Patribus, qui cùm adversus Ethnicos disputarent, ulla Christianis altaria fuisse constanter pernegabant. Sed his facile respondeas primo, vocem illam *altare* ab Ignatio, quidni & ab aliis quorum scripta perierunt, non raro sed sæpe usurpatam. Secundo, si Patres in suis contra paganos scriptis & disputationibus nullà Christianis altaria fuisse dixerunt, in aliis Operibus aut sermonibus ad Christianos habitis, sua ipsos altaria habuisse adserebant. Unde cùm sibi ipsis contrarii esse non possint, ii proculdubio cùm illud inficiantur, de altaribus publicis, in quibus sacrificia maximo apparatu & paganorum more fierent, sunt intelligendi. Et certè cùm ipsi Eucharistiam verum corporis & sanguinis Christi sacrificium esse omni adseveratione adfirment, apud Christianos verum ac proprium altare aliquod fuisse negare non potuerunt.

§. II.

In Eucharistia verum esse Christi corpus.

Ignatius autem verum in Eucharistia esse Christi corpus disertissime docet. Siquidem ubi de hæreticis qui Christum non veram sed fictam & simulatam carnem adsumsisse garriebant, sermonem habet: *ab Eucharistia*, inquit, *abstinent, propter non confiteri carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi pro peccatis nostris passam*, &c. Enimvero si tunc Christiani in eadem ac Calviniani nostri fuissent sententia, Eucharistiam corporis Christi nudam dumtaxat esse figuram, ab eis non potius illa rejici debuit, quam baptismus, qui vere mortis Christi figura esse dicitur. Immo ab illis & Eucharistia non secus ac baptismus ambabus ulnis suscipienda erat, quippe qua Christum nullibi nisi in figura non reipsa exstitisse concluderent. Cùm ergo ab illa abstinuerint, in eadem ipsa verum corpus Christi esse persuasum habebant. *Epist. ad Smyrn.*

Urgebis, Eucharistiam etsi figuram nudam corporis Christi, ideo tamen ab eis rejectam, quia, ut ait Tertullianus: *Vana res, quod est phantasma, figuram non admittit.* Sed huc illa Tertulliani auctoritas perperam adducitur. Ille enim Marcionem qui Christum fictum hominem & phantasma fuisse delirabat, ex testimonio Hieremiæ dicentis: *Venite mittamus lignum*, &c. ibi egregie refellit, ostenditque eo loci panem non figuram Christi simplicem & nudam, sed propheticam appellari. At in Eucharistia juxta Calvinistarum opinionem non futuri corporis prophetica, sed corporis vere existentis figura est. Quis autem revocabit in dubium, aliquam corporis, quod simulate & ficte *Lib. 4. Cont. Marcion. cap. 40. Cap. 11. ÿ. 19.*

tantum existit, posse esse figuram. Hæretici ergo illi hanc ob causam Eucharistiam, sicuti baptismum, quem fictæ Christi mortis figuram esse concedebant, respuere non debuerunt.

Vim hujusce argumenti cùm sentiret Claudius, olim Charentonensis Minister, in aliam abiit sententiam. Respondit itaque hos hæreticos stulte credidisse Christum, qui verum corpus non habuit, his verbis: *Hoc est corpus meum*, panem, ut corpus suum fieret, revera adoptasse. Id vero ut probet, Tertullianum loco à nobis supra citato, testem producit. Sed ibi Tertullianus de illa hæreticorum stulta opinione ne minimum quidem verbum fecit.

Respons. ad Tract. de perpet. part. 2. cap. 2. pag. 269.

Instat ille ex Bellarmino ab hæreticis illis non tam sacramentum Eucharistiæ, quam mysterium Incarnationis fuisse impugnatum. Quid inde? Numquid mysterium Incarnationis aliter impugnari non potest; nisi Christus panem, ut suum corpus esset, adoptasse dicatur? Hæc sane quam vana sint & futilia nemo non videt.

§. III.

Diaconos Eucharistiæ, non ciborum & potuum esse ministros.

Observandum quoque Diaconos inter sacros adorandi Eucharistiæ sacramenti ministros ab Ignatio computari. *Oportet & Diaconos ministros existentes mysteriorum Jesu Christi . . . . Non enim ciborum & potuum sunt ministri.* Hinc etiam Stephanus unus ex septem primis Ecclesiæ Diaconis ab Ambrosio vocatur: *Minister altaris*, & Laurentius, apud eumdem Doctorem, Sixtum summum Pontificem his verbis compellat: *Experire utrum*

Epist. ad Trall.

Lib. de Virginit. cap. 18. §. 119.
Lib. 1. de offic. cap. 41.

idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem. Sed illud in primis in verbis Ignatii animadvertendum, quod ipse addidit : *Non enim ciborum & potuum sunt ministri.* Etenim ut viduarum pauperumque curam gererent, ab Apostolis primum sunt ordinati. Verùm secundarium illud eorum munus, quamvis primæ ipsorum electioni occasionem præbuisset; quibusdam tamen in regionibus paulopost fuit mutationibus obnoxium. Porro si quid contrà Justinianus, & Synodus Trullana definierint, hac in re ex male intellectis, cum Neocæsariensis concilii, tum Chrysostomi verbis ab antiqua Patrum traditione recesserunt. *Can. 41.*

§. IV.

Ecclesiasticam Hierarchiam tribus tantum sacris Ordinibus componi & Episcopos Presbyteris esse superiores.

Animadvertendum præterea Ignatium tres tantum Ecclesiæ ministrorum Ordines nec plures ullibi memorasse, Episcopos scilicet, Presbyteros & Diaconos. Unde intelligas Ecclesiasticam Hierarchiam in his tantum tribus Ordinibus ab eo fuisse constitutam. Quod quidem synodus Tridentina diserte confirmat & definit : *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam, divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis & Presbyteris & Ministris, anathema sit.* Addamus, si lubet, Ignatium ubique etiam Episcopórum præ Presbyteris excellentiam ita clare docuisse; ut hanc ob causam Calvinistæ omnem moverint lapidem, quo his epistolas ab Ignatio scriptas non fuisse ostendrent. Sed irriti fuerunt injusti eorum conatus, ac victrix ubique veritas semper triumphavit. *Sess. 23.*

§. V.

De Christi divinitate.

Neque illud etiam perfunctoria observatione adnotandum, quam dilucide Ignatius summam Christi Domini divinitatem iisdem in epistolis prædicaverit: *Glorifico Jesum Christum Deum*; & alibi. *Unus est, inquit, medicus carnalis & spiritualis, factus & non factus, in carne Deus*, &c. Porro hæc ultima Ignatii verba contra antiquos divinitatis Christi impugnatores, ab Athanasio, Theodoreto & Gelasio citata sunt. Socinianus itaque qui claritatem hujusce testimonii, nullis impiæ mentis artibus obscurare potest, ait in Ignatii epistolis propositiones *quasdam incommodas & insulsas* reperiri, ac proinde eum in sua de Christi divinitate sententia facile decipi potuisse: *Ex traditione alicujus Pseudo-christi, & Pseudo-apostoli.*

Epist. ad Smyrn. *Epist. ad Ephes.*

Sed nullus umquam in Ignatianis epistolis ullam incommodam aut insulsam propositionem adsignabit. Deinde quamvis Ignatius alicubi in rebus exigui vel nullius momenti aliquid humani passus esset; certum tamen est virum illum, vere apostolicum, & martyrio jam jam coronandum, in summo ac præcipuo totius Christianæ religionis capite à nullo Pseudo-christo fuisse deceptum. Temerariæ ergo illæ impiorum hominum responsiones explodendæ sunt, eique doctrinæ inhærendum, pro qua non solum Ignatius, sed innumeri martyres sanguinem suum constantia admirabili planeque divina profuderunt.

§. VI.

De codicibus manu exaratis harum epiſtolarum.

His obſervationibus & illud adjiciemus nullum epiſtolarum Ignatii codicem manu exaratum huc uſque repertum fuiſſe, qui omnino integer ſit & incorruptus. Qui enim hactenus uſui fuerunt, ii pene omnes veras, & falſas Ignatii noſtri epiſtolas confundunt & permiſcent. In Latinis exemplaribus, quæ pluribus in locis corrupta ſunt, habetur verſio qua textus Græcus tam ſcrupuloſe ad litteram redditur; ut ea omnino inelegans ſit & barbara, & ſæpe ſæpius difficilis & obſcura. Codex Florentinus Græcus & plures habet nævos, nec integer, uti ſupra monuimus, ſed mutilus eſt, & epiſtolam ad Romanos non repræſentat. Hanc noſter Theodoricus Ruinartus, una cum ſinceris Ignatii martyrii Actis ex manuſcripto Colbertino typis græcis edidit. Duos inſuper epiſtolarum Ignatii manuſcriptos codices ex eadem ditiſſima Illuſtriſſimi Colberti Bibliotheca nacti ſumus. Alter græcus eſt, ſed papyracæus, nec vetuſtæ manus: alter pergaminæus ante annos quingentos exaratus eſt. Uterque vero omnes Ignatii epiſtolas germanas, ſuppoſititias, adulterinas, interpolatas, confuſe & permiſte continet. Denique Pearſonius alium Græcum codicem, ſeptem genuinas Ignatii epiſtolas exhibentem, & ei quo Gobarus, Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus, atque Alexandrini Chronici Auctor uſi ſunt, omnino ſimilem ſe vidiſſe teſtatus eſt. *Vindic. Epiſt. Ignat. pag. 41.*

DISSERTATIO OCTAVA
DE EPISTOLA SANCTI POLYCARPI Episcopi Smyrnæ & Martyris.

Articulus Primus.

Analysis hujus epistolæ.

PHilippenses data ad Polycarpum epistola, ab eo petierunt, ut quas ad Antiochenam Ecclesiam scribebant epistolas, quasque ille ab Ignatio scriptas penes se habebat, illas ad Antiochenos, has ad se ipsos mitteret; ac tandem eis traderet, quæ ad vitam pie & christiane agendam necessaria judicabat, vitæ morumque præcepta. Quapropter Polycarpus precibus eorum annuens, illâ de qua nunc disputamus, respondit epistolâ, eâque caritatem fidemque illorum primùm laudat; hortaturque ut erroribus sedulò evitatis, credant Christum à morte ita revocatum ad vitam; ut nos aliquando, si præceptis ejus obediamus, sit à mortuis excitaturus. Addit tamen se hæc ad eos, ut pote Pauli Apostoli ore & litteris edoctos, numquam scripturum; nisi magnis eorum precibus victus fuisset. Hinc prosequitur variis conjugatos, viduas, Diaconos, juvenes, virgines ac Presbyteros imbuere præceptis atque institutis. Hos autem omnes universim monet, fugiant in primis errorem eorum, qui Christum fictâ & simulata carne indutum, fictè etiam mortuum, nosque nec à mortuis resurrecturos, nec à

Christo judicandos esse impie adfirmabant Quamobrem eos quid & fide credere, & operibus implere deberent, docet, atque ad imitandam Christi Domini, Ignatii, Zozymi, Pauli, aliorumque Apostolorum patientiam potissimùm adhortatur. Quanto autem ipse, eò quod Valens Presbyter ejusque uxor in gravia quædam lapsi essent crimina, dolore conficeretur, eis amanter aperit; rogatque ut ad eos in viam salutis reducendos nulli parcant operæ. Deum postea precatur, ut divina illius ope in fide, veritate, mansuetudine, patientia constanter perseverent; eisque ut pro Regibus & Potestatibus, pro persequutoribus suis, crucisque inimicis precibus suis Deum exorent, auctor est & suasor. Denique postquam eorum epistolam ad Antiochenos, atque Ignatii litteras se ad eos missurum pollicitus est, Crescentem, sororemque ejus illis commendat, ac omnes optat salvos esse & incolumes.

ARTICULUS II.

Hanc epistolam à Polycarpo scriptam esse probatur, & quo tempore scripta fuerit.

Nemo est qui hac in epistola omnes Scriptoris Apostolici notas & caracteres facile non animadvertat. Ubique enim verba, stylus, ingenium, aliaque omnia illam à viro vere Apostolico, immo & ab ipsomet Polycarpo scriptam esse aperte produnt.

Neque vero ipsa tantum epistola, sed testes etiam locupletissimi, omnique exceptione majores, illud idem firmissime adseverant. Horum agmen ducit Irenæus Lugdunensis Episcopus, & Poly-

carpi nostri discipulus, qui in agnoscendis vel designandis magistri sui epistolis falli non poterat. Is enim de hac Polycarpi epistola hæc memoriæ prodidit: *Est autem & epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissime, ex qua characterem fidei ejus, & prædicationem veritatis, qui volunt, & curam habent suæ salutis, possunt discere.* Porro hoc Irenæi testimonium non solùm in libris ejus occurrit, sed apud Eusebium quoque, qui illud in Historiam suam retulit, totidem verbis legitur.

Lib. 3. advers. Hæres. cap. 3.

Hist. lib. 4. cap. 14.

Subscripsit igitur sententiæ Irenæi Eusebius. Ac ne quis de qua Polycarpi epistola loquatur, ullam umquam litem movere posset, ille plures ex eadem epistola locos, qui in ea etiam nunc reperiuntur, fideliter transcripsit. Sic autem ille: *Sed & Polycarpus in sua ad Philippenses epistola earumdem* (scilicet Ignatii) *meminit epistolarum: Obsecro, inquit, vos omnes, ut pareatis præpositis vestris... & paulo post addit: Scripsistis ad me & vos & Ignatius, ut si quis forte in Syriam proficisceretur*, &c. Et in alio libro: *Cæterum Polycarpus in illa, quæ etiamnum exstat, ad Philippenses epistola, utitur quibusdam testimoniis ex priore Petri epistola desumtis.*

Lib. 3. hist. cap. 36.

Lib. 4. cap. 14.

Eusebio accedit Hieronymus, qui eidem epistolæ suum quoque dedit testimonium: *Scripsit ad Philippenses valde utilem epistolam, quæ usque hodie in Asia conventu legitur.* Ex quibus Hieronymi verbis discimus non solum hanc epistolam Polycarpo adscribi; sed eam insuper summa cura in Ecclesiis adservatam, ibi maximo in pretio fuisse.

Lib. de Script. Eccles.

His autem tribus locupletissimis testibus, innu-

merabiles alios, si quid opus esset, adjungere possemus, Photium, Maximum, Theodoretum, cæterosque omnes, qui de Polycarpi scriptis nobis deinceps aliquid tradiderunt. Sed cùm illorum, quos jam citavimus, diligentia & fide nulla major desiderari queat, ab inutili aliorum nominatim appellandorum opera lubenter supersedemus.

Quapropter illud dumtaxat monebimus ex iis quæ Polycarpus in eadem epistola de Ignatio Episcopo Antiocheno scripsit, evidenter colligi illam ab ipso Polycarpo tunc fuisse exaratam, cùm de ejusdem Ignatii martyrio nondum certior factus esset. Atqui Ignatius circa annum 108. ut in superiori Dissertatione observavimus, dentibus bestiarum interfectus est. Et hanc igitur epistolam idem circiter tempus datam esse oportet.

ARTICULUS III.

Refellitur Dallæus, qui hanc epistolam revocat in dubium.

Constat itaque hanc epistolam non alium quam Polycarpum habuisse auctorem. Mirandus ergo Dallæus, qui omnes ingenii sui nervos in eo contendit; ut aliquam hujusce epistolæ, quam falsis opinionibus suis non favere sentiebat, dubitationem vel saltem suspicionem quocumque tandem modo injiciat. Nullo enim alio ad id probandum nititur firmamento, quam Stichometria, quæ in calce Chronographiæ Nicephori Constantinopolitani adjecta est. Hoc autem fragmentum à Nicephoro nequaquam scriptum fuisse, eique perperam à Dallæo adscribi, invictis, ni fallimur, rationum *Dissert. super. cap. 8.*

nobis reperti, in quo sicut & in omnibus aliis Latinè exaratis, hæc epistola Polycarpi integra est, & omnibus suis partibus absoluta.

Variæ sunt hujus epistolæ editiones & græcæ & latinæ. Inter græcas eæ sunt præcipuæ, quæ ab Halloixio, Usserio, Cotelerio & Moynio vulgatæ sunt. Quæ Latino tantum idiomate prodierunt, illæ sæpius emissæ sunt in lucem: atque ita in omnibus Bibliothecis Patrum excusæ fuerunt. Porro autem quibus in editionibus hæc epistola Ignatianis conjuncta sit, jam à nobis in superiori Dissertatione observatum est.

Articulus VI.

De notis & observationibus Usserii, Cotelerii & Moynii.

Ex iis vero qui iisdem editionibus accurandis posuerunt operam, nonnulli eamdem epistolam notis & observationibus suis illustrare conati sunt. Et Usserius quidem textum Græcum paucis quibusdam explicat adnotationibus, quarum illa cæteris prolixior est, qua disputat cur viduæ à Polycarpo appellentur θυσιαστήρια, vel θυσιαστήριον θεοῦ, *altaria aut altare Dei*, atque inde Auctorem Constitutionum Apostolicarum, & Ignatianæ epistolæ ad Tarsenses hunc loquendi modum desumsisse opinatur. Ad extremum notulas Patricii Junii, qui nihil fere aliud, quam variantes textus Græci lectiones exhibent, suis animadversionibus subjunxit.

Cotelerius quatuor tantum in hanc epistolam observationes edidit. Harum præcipua ostendit Polycarpum cùm scripsit Ephesios à Paulo acce-

pisse

piſſe *epiſtolas* idem omnino ſignificaſſe, ac ſi dixiſſet *epiſtolam*. Qua quidem animadverſione arguitur Salmeron, qui ea voce, *epiſtolas*, à Polycarpo non ſolum epiſtolam Pauli ad Epheſios, ſed duas ejuſdem etiam ad Theſſalonicenſes, quorum non ſecus ac Philippenſium urbs in Macedonia ſita erat, deſignari voluit. Caſtigatur etiam Moynius, qui quia epiſtola ad Epheſios longior erat, & in diverſis, pro temporum illorum more voluminibus deſcripta; ideo illam à Polycarpo, voce, *epiſtolas*, plurali numero citatam fuiſſe deinceps ariolatus eſt.

Idem ille Moynius plures & cæteris omnibus longe prolixiores in hanc Polycarpi epiſtolam adnotationes vulgavit. Sed illæ ejuſdem ſunt generis, ac eæ quas in Apoſtoli Barnabæ epiſtolam ab eo emiſſas fuiſſe ſupra monuimus. In iis quippe ad eruditionem ſuam, orientaliumque linguarum peritiam oſtentandam, tam multa adiaphora & à propoſito ſuo aliena ubique congerit; ut textus Auctoris digreſſionibus innumeris obruatur. Nam ut cætera omittamus, ille in hæc inſcriptionis ejuſdem epiſtolæ verba: *Et Domino Jeſu Chriſto Salvatore*, integram longamque diſſertationem edidit, qua ex omnibus per tria prima Eccleſiæ ſæcula teſtimoniis Patrum ad Chriſti divinitatem, eamdemque illius cum Patre ſubſtantiam, adverſus Sandium probandam adſerendamque adgreditur. Quantum autem à propoſito Auctoris ſui textu ibi digrediatur, nemo eſt qui non apertè videat. Addamus, ſi lubet, ipſi ex his aliis ejuſdem epiſtolæ verbis: *Et ipſe ſempiternus Pontifex Dei filius Chriſtus Jeſus*, opportuniorem forſitan digreſſionis ſuæ occaſionem datam fuiſſe.

Sed hæc adnotasse & nonnullis antiquorum Patrum claris & invictis testimoniis divinitatem Christi demonstrasse ipsi satis esse debebat.

Articulus VII.

Novæ observationes, ac primo de hæreticis, quos Polycarpus oppugnat.

Si quid autem his observationibus aliquid insuper addere liceat, observabimus hæreticos, de quibus disserit Polycarpus, eos quidem esse qui Christum veram carnem induisse, veraque morte occubuisse, atque ultimum hominum omnium judicium, eorumque resurrectionem pernegabant. Quinam autem illi fuerint, non omnino clarum est & perspicuum. Erit fortasse qui illos Marcionis, quem Polycarpus Romæ obvium habuerat, discipulos fuisse arbitretur. Verumtamen cùm Polycarpus longe antequam Romam adventasset, hanc dederit epistolam, vero videtur similius alios ab eo impugnari hæreticos, qui jam ab Ignatii temporibus impia illo dogmata disseminabant.

Articulus VIII.

Quomodo epistolas Apostolorum, & quædam Johannis verba citaverit.

Unum observat Eusebius, nimirum quod Polycarpus noster: *Utitur quibusdam testimoniis ex priore Petri epistola desumtis.* Id quidem verissimum est. Sed illud præterea juvat animadvertere ab illo eamdem Petri epistolam, & alias à Paulo scriptas, tacitis eorum nominibus, & memoriter citari. Unde non absurde colligas hæc verba: *Om-*

nis qui non confessus fuerit Jesum Christum in carne venisse, Anti-christus est; ab eo ex prima epistola Johannis fuisse desumta. Scimus quidem in vulgata Scripturæ editione, & Irenæi libris legi, *omnis qui solvit,* &c. Scimus etiam Socratem, de Nestorio verba facientem, testificari hanc veterum codicum, quos hæretici corruperant, fuisse lectionem. At Tertullianus atque Augustinus utrumque usurpant legendi modum, sed lubentius priorem, quo etiam & antiqua versio Syriaca & Cyprianus usi sunt. Quapropter vel falsus est Socrates, vel codices non ideo corruptionis accusat, quod pro λύει, in eis repositum fuerit μὴ ὁμολογεῖ; sed quia ab eis hæc sententia omnino abrasa fuerat, & deleta. Et certè id non obscure significat his verbis: *Hanc sententiam à vetustis exemplaribus sustulerunt* περιεῖλον, *ii qui ab hominis dispensatione divinitatem separare studebant. Quamobrem & prisci interpretes idipsum observaverunt, fuisse nimirum quosdam qui hanc epistolam depravaverint, hominem à Deo sejungere cupientes.* Hanc autem esse Socratis mentem, nec ullam in supradictis verbis fuisse corruptionem inde colligas, quod sive λύει legas sive μὴ ὁμολογεῖ, idem omnino utriusque verbi sensus est.

1. Johan. 4. 3.

Lib. 3. adv. hæres.

Lib. 7. histor. cap. 32.

Lib. de carne Christi cap. 24. Lib. 3. cont. Marcion. cap. 8. & lib. 5. cap. 16. Serm. 182. & 183. novæ edit. & Tractat. 6. in epist. Johan. Lib. 2. cont. Judæos.

Articulus IX.

Num Polycarpus, cùm Paulus ad Philippenses scripsit, in vivis esset; ac plures ille scripserit epistolas?

Observabat quidem Usserius ex his quæ de Paulo hîc scribit Polycarpus: *Nos autem nondum noveramus,* colligere se posse eumdem Polycarpum,

§. V.

De Christi divinitate.

Neque illud etiam perfunctoria observatione adnotandum, quam dilucide Ignatius summam Christi Domini divinitatem iisdem in epistolis prædicaverit: *Glorifico Jesum Christum Deum*; & alibi. *Unus est, inquit, medicus carnalis & spiritualis, factus & non factus, in carne Deus*, &c. Porro hæc ultima Ignatii verba contra antiquos divinitatis Christi impugnatores, ab Athanasio, Theodoreto & Gelasio citata sunt. Socinianus itaque qui claritatem hujusce testimonii, nullis impiæ mentis artibus obscurare potest, ait in Ignatii epistolis propositiones *quasdam incommodas & insulsas* reperiri, ac proinde eum in sua de Christi divinitate sententia facile decipi potuisse: *Ex traditione alicujus Pseudo-christi, & Pseudo-apostoli.*

Epist. ad Smyrn.
Epist. ad Ephes.

Sed nullus umquam in Ignatianis epistolis ullam incommodam aut insulsam propositionem adsignabit. Deinde quamvis Ignatius alicubi in rebus exigui vel nullius momenti aliquid humani passus esset; certum tamen est virum illum, vere apostolicum, & martyrio jam jam coronandum, in summo ac præcipuo totius Christianæ religionis capite à nullo Pseudo-christo fuisse deceptum. Temerariæ ergo illæ impiorum hominum responsiones explodendæ sunt, eique doctrinæ inhærendum, pro qua non solum Ignatius, sed innumeri martyres sanguinem suum constantia admirabili planeque divina profuderunt.

§. VI.

De codicibus manu exaratis harum epistolarum.

His observationibus & illud adjiciemus nullum epistolarum Ignatii codicem manu exaratum huc usque repertum fuisse, qui omnino integer sit & incorruptus. Qui enim hactenus usui fuerunt, ii pene omnes veras, & falsas Ignatii nostri epistolas confundunt & permiscent. In Latinis exemplaribus, quæ pluribus in locis corrupta sunt, habetur versio qua textus Græcus tam scrupulose ad litteram redditur; ut ea omnino inelegans sit & barbara, & sæpe sæpius difficilis & obscura. Codex Florentinus Græcus & plures habet nævos, nec integer, uti supra monuimus, sed mutilus est, & epistolam ad Romanos non repræsentat. Hanc noster Theodoricus Ruinartus, una cum sinceris Ignatii martyrii Actis ex manuscripto Colbertino typis græcis edidit. Duos insuper epistolarum Ignatii manuscriptos codices ex eadem ditissima Illustrissimi Colberti Bibliotheca nacti sumus. Alter græcus est, sed papyracæus, nec vetustæ manus: alter pergaminæus ante annos quingentos exaratus est. Uterque vero omnes Ignatii epistolas germanas, supposititias, adulterinas, interpolatas, confuse & permiste continet. Denique Pearsonius alium Græcum codicem, septem genuinas Ignatii epistolas exhibentem, & ei quo Gobarus, Anastasius Patriarcha Antiochenus, atque Alexandrini Chronici Auctor usi sunt, omnino similem se vidisse testatus est. *Vindic. Epist. Ignat. pag. 41.*

DISSERTATIO OCTAVA
DE EPISTOLA SANCTI POLYCARPI Episcopi Smyrnæ & Martyris.

Articulus Primus.

Analysis hujus epistolæ.

PHILIPPENSES data ad Polycarpum epistola, ab eo petierunt, ut quas ad Antiochenam Ecclesiam scribebant epistolas, quasque ille ab Ignatio scriptas penes se habebat, illas ad Antiochenos, has ad se ipsos mitteret; ac tandem eis traderet, quæ ad vitam pie & christiane agendam necessaria judicabat, vitæ morumque præcepta. Quapropter Polycarpus precibus eorum annuens, illâ de qua nunc disputamus, respondit epistolâ, eâque caritatem fidemque illorum primùm laudat; hortaturque ut erroribus sedulò evitatis, credant Christum à morte ita revocatum ad vitam; ut nos aliquando, si præceptis ejus obediamus, sit à mortuis excitaturus. Addit tamen se hæc ad eos, ut pote Pauli Apostoli ore & litteris edoctos, numquam scripturum; nisi magnis eorum precibus victus fuisset. Hinc prosequitur variis conjugatos, viduas, Diaconos, juvenes, virgines ac Presbyteros imbuere præceptis atque institutis. Hos autem omnes universim monet, fugiant in primis errorem eorum, qui Christum ficta & simulata carne indutum, fictè etiam mortuum, nosque nec à mortuis resurrecturos, nec à

Christo judicandos esse impie adfirmabant Quamobrem eos quid & fide credere, & operibus implere deberent, docet, atque ad imitandam Christi Domini, Ignatii, Zozymi, Pauli, aliorumque Apostolorum patientiam potissimùm adhortatur. Quanto autem ipse, eò quod Valens Presbyter ejusque uxor in gravia quædam lapsi essent crimina, dolore conficeretur, eis amanter aperit; rogatque ut ad eos in viam salutis reducendos nulli parcant operæ. Deum postea precatur, ut divina illius ope in fide, veritate, mansuetudine, patientia constanter perseverent: eisque ut pro Regibus & Potestatibus, pro persequutoribus suis, crucisque inimicis precibus suis Deum exorent, auctor est & suasor. Denique postquam eorum epistolam ad Antiochenos, atque Ignatii litteras se ad eos missurum pollicitus est, Crescentem, sororemque ejus illis commendat, ac omnes optat salvos esse & incolumes.

ARTICULUS II.

Hanc epistolam à Polycarpo scriptam esse probatur, & quo tempore scripta fuerit.

Nemo est qui hac in epistola omnes Scriptoris Apostolici notas & caracteres facile non animadvertat. Ubique enim verba, stylus, ingenium, aliaque omnia illam à viro vere Apostolico, immo & ab ipsomet Polycarpo scriptam esse aperte produnt.

Neque vero ipsa tantum epistola, sed testes etiam locupletissimi, omnique exceptione majores, illud idem firmissime adseverant. Horum agmen ducit Irenæus Lugdunensis Episcopus, & Poly-

carpi nostri discipulus, qui in agnoscendis vel designandis magistri sui epistolis falli non poterat. Is enim de hac Polycarpi epistola hæc memoriæ
Lib. 3. advers. Hæres. cap. 3. prodidit: *Est autem & epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissime, ex qua characterem fidei ejus, & prædicationem veritatis, qui volunt,*
Hist. lib. 4. cap. 14. *& curam habent suæ salutis, possunt discere.* Porro hoc Irenæi testimonium non solùm in libris ejus occurrit, sed apud Eusebium quoque, qui illud in Historiam suam retulit, totidem verbis legitur.

Subscripsit igitur sententiæ Irenæi Eusebius. Ac ne quis de qua Polycarpi epistola loquatur, ullam umquam litem movere posset, ille plures ex eadem epistola locos, qui in ea etiam nunc repe-
Lib. 3. hist. cap. 36. riuntur, fideliter transcripsit. Sic autem ille: *Sed & Polycarpus in sua ad Philippenses epistola earumdem* (scilicet Ignatii) *meminit epistolarum: Obsecro, inquit, vos omnes, ut pareatis præpositis vestris... & paulo post addit: Scripsistis ad me & vos & Ignatius, ut si quis forte in Syriam proficis-*
Lib. 4. cap. 14. *ceretur*, &c. Et in alio libro: *Cæterum Polycarpus in illa, quæ etiamnum exstat, ad Philippenses epistola, utitur quibusdam testimoniis ex priore Petri epistola desumtis.*

Eusebio accedit Hieronymus, qui eidem episto-
Lib. de Script. Eccles. læ suum quoque dedit testimonium: *Scripsit ad Philippenses valde utilem epistolam, quæ usque hodie in Asiæ conventu legitur.* Ex quibus Hieronymi verbis discimus non solum hanc epistolam Polycarpo adscribi; sed eam insuper summa cura in Ecclesiis adservatam, ibi maximo in pretio fuisse.

His autem tribus locupletissimis testibus, innu-

merabiles alios, si quid opus esset, adjungere possemus, Photium, Maximum, Theodoretum, cæterosque omnes, qui de Polycarpi scriptis nobis deinceps aliquid tradiderunt. Sed cùm illorum, quos jam citavimus, diligentia & fide nulla major desiderari queat, ab inutili aliorum nominatim appellandorum opera lubenter supersedemus.

Quapropter illud dumtaxat monebimus ex iis quæ Polycarpus in eadem epistola de Ignatio Episcopo Antiocheno scripsit, evidenter colligi illam ab ipso Polycarpo tunc fuisse exaratam, cùm de ejusdem Ignatii martyrio nondum certior factus esset. Atqui Ignatius circa annum 108. ut in superiori Dissertatione observavimus, dentibus bestiarum interfectus est. Et hanc igitur epistolam idem circiter tempus datam esse oportet.

ARTICULUS III.

Refellitur Dallæus, qui hanc epistolam revocat in dubium.

Constat itaque hanc epistolam non alium quam Polycarpum habuisse auctorem. Mirandus ergo Dallæus, qui omnes ingenii sui nervos in eo contendit; ut aliquam hujusce epistolæ, quam falsis opinionibus suis non favere sentiebat, dubitationem vel saltem suspicionem quocumque tandem modo injiciat. Nullo enim alio ad id probandum nititur firmamento, quam Stichometria, quæ in calce Chronographiæ Nicephori Constantinopolitani adjecta est. Hoc autem fragmentum à Nicephoro nequaquam scriptum fuisse, eique perperam à Dallæo adscribi, invictis, ni fallimur, rationum *Dissert. super. cap. 8.*

momentis jam demonstravimus. Illa porro quæ ibi ab omnibus facile adiri possunt, hîc non repetemus: illud tantum addimus opinionem Dallæi suis ipsis sodalibus, ejusdemque sectæ viris, à vero ita alienam videri; ut Moynius de ea sic apertè

Proleg. ad varia Sac.

pronuntiet: *Numquam potui pedibus nec animo ire in sententiam celeberrimi Dallai, qui hanc Polycarpi epistolam tam celebrem, ac ubique terrarum ita prædicatam, suspectam reddere conatus est. ... Neque enim video quomodo Opus tantum, omnibus ita notum, vel minimam de se possit excitare suspicionem. Nullum quippe exstat Opus, cujus certiora animadvertantur veritatis argumenta, quam epistola ad Philippenses: ac si de illa dubitare liceret, nullum esset antiquitatis monumentum, cujus fides etiam incerta ac dubia non labasceret.*

Articulus IV.

Confutantur idem Dallæus & Moynius, qui ultimam epistolæ partem suppositītiam esse volunt.

Verùm Moynius ille, qui tam aperto marte contra Dallæum pugnat; ab eo tamen plane penitusque deficere non audet, atque ei in ultimo propugnaculo militanti, peneque victo, nititur subsidio venire. Cum hoste itaque suo junctis copiis, ultimam hujus epistolæ partem Polycarpo suppositam, atque huic epistolæ à male feriato homine subjunctam esse cum Dallæo contendit. Sed jam

Sup. cap. 4. §. 2.

plane prorsusque probavimus hanc epistolæ partem, non minus quam alias, à Polycarpo fuisse pro-

Lib. 3. Histor. cap. 36.

fectam. Et certè Eusebius hanc ipsam partem citat, atque ex ea, ut ex præcedentibus, quædam Polycarpi verba transcripsit. Quis ergo non mi-

retur Moynium in prima hujus epistolæ parte auctoritatem Eusebii amplexantem, in altera defugientem? Cur Scriptor tam diligens in una potius erravit, quam in altera? At certe eum in neutra errasse inde evincas, quod hæc epistola in Ecclesiis Asiæ publice legeretur. Nullus enim dubitandi locus est in earumdem Ecclesiarum scriniis plurima hujus epistolæ exemplaria integra fuisse & plane incorrupta. Ex iis ergo Eusebius facillime potuit discere num in manuscriptis illa epistolæ pars ultima exstaret vel abesset; aut ea genuinum opus esset vel adulterinum. Denique nec Moynius nec Dallæus ullum vel argumentum vel testimonium, quod cum Eusebii auctoritate componi debeat, potuerunt umquam producere.

ARTICULUS V.

De manuscriptis, & editis codicibus hujus epistolæ cum Græcis tum Latinis.

Hæc epistola imperfecta habetur in omnibus Græcis codicibus manuscriptis, qui duas tantum priores illius partes exhibent. Ubi autem codices deficiunt, ibi continenter subnectitur epistola Barnabæ Apostoli, sed capite truncata. Atque ita imperiti librarii ex duabus epistolis, iisque longe inter se diversis, unam insulse penitusque inepte confecerunt. Unum his omnino simile græcum exemplar papyraceum in Bibliotheca Colbertina nacti sumus, in quo post hanc epistolam ex duabus compactam, epistolæ Ignatii Antiocheni repræsentantur. Hujus porro codicis in superiori Dissertatione fecimus mentionem, atque etiam alterius cujusdam Latini, in eadem Bibliotheca à

nobis reperti, in quo sicut & in omnibus aliis Latinè exaratis, hæc epistola Polycarpi integra est, & omnibus suis partibus absoluta.

Variæ sunt hujus epistolæ editiones & græcæ & latinæ. Inter græcas eæ sunt præcipuæ, quæ ab Halloixio, Usserio, Cotelerio & Moynio vulgatæ sunt. Quæ Latino tantum idiomate prodierunt, illæ sæpius emissæ sunt in lucem: atque ita in omnibus Bibliothecis Patrum excusæ fuerunt. Porro autem quibus in editionibus hæc epistola Ignatianis conjuncta sit, jam à nobis in superiori Dissertatione observatum est.

Articulus VI.

De notis & observationibus Usserii, Cotelerii & Moynii.

Ex iis vero qui iisdem editionibus accurandis posuerunt operam, nonnulli eamdem epistolam notis & observationibus suis illustrare conati sunt. Et Usserius quidem textum Græcum paucis quibusdam explicat adnotationibus, quarum illa cæteris prolixior est, qua disputat cur viduæ à Polycarpo appellentur θυσιαστήρια, vel θυσιαστήριον θεοῦ, *altaria aut altare Dei*, atque inde Auctorem Constitutionum Apostolicarum, & Ignatianæ epistolæ ad Tarsenses hunc loquendi modum desumsisse opinatur. Ad extremum notulas Patricii Junii, qui nihil fere aliud, quam variantes textus Græci lectiones exhibent, suis animadversionibus subjunxit.

Cotelerius quatuor tantum in hanc epistolam observationes edidit. Harum præcipua ostendit Polycarpum cùm scripsit Ephesios à Paulo accepisse

pisse *epistolas* idem omnino significasse, ac si dixisset *epistolam*. Qua quidem animadversione arguitur Salmeron, qui ea voce, *epistolas*, à Polycarpo non solum epistolam Pauli ad Ephesios, sed duas ejusdem etiam ad Thessalonicenses, quorum non secus ac Philippensium urbs in Macedonia sita erat, designari voluit. Castigatur etiam Moynius, qui quia epistola ad Ephesios longior erat, & in diversis, pro temporum illorum more voluminibus descripta; ideo illam à Polycarpo, voce, *epistolas*, plurali numero citatam fuisse deinceps ariolatus est.

Idem ille Moynius plures & cæteris omnibus longe prolixiores in hanc Polycarpi epistolam adnotationes vulgavit. Sed illæ ejusdem sunt generis, ac eæ quas in Apostoli Barnabæ epistolam ab eo emissas fuisse supra monuimus. In iis quippe ad eruditionem suam, orientaliumque linguarum peritiam ostentandam, tam multa adiaphora & à proposito suo aliena ubique congerit; ut textus Auctoris digressionibus innumeris obruatur. Nam ut cætera omittamus, ille in hæc inscriptionis ejusdem epistolæ verba : *Et Domino Jesu Christo Salvatore*, integram longamque dissertationem edidit, qua ex omnibus per tria prima Ecclesiæ sæcula testimoniis Patrum ad Christi divinitatem, eamdemque illius cum Patre substantiam, adversus Sandium probandam adserendamque adgreditur. Quantum autem à proposito Auctoris sui textu ibi digrediatur, nemo est qui non aperte videat. Addamus, si lubet, ipsi ex his aliis ejusdem epistolæ verbis: *Et ipse sempiternus Pontifex Dei filius Christus Jesus*, opportuniorem forsitan digressionis suæ occasionem datam fuisse.

Sed hæc adnotasse & nonnullis antiquorum Patrum claris & invictis testimoniis divinitatem Christi demonstrasse ipsi satis esse debebat.

Articulus VII.

Novæ observationes, ac primo de hæreticis, quos Polycarpus oppugnat.

Si quid autem his observationibus aliquid insuper addere liceat, observabimus hæreticos, de quibus disserit Polycarpus, eos quidem esse qui Christum veram carnem induisse, veraque morte occubuisse, atque ultimum hominum omnium judicium, eorumque resurrectionem pernegabant. Quinam autem illi fuerint, non omnino clarum est & perspicuum. Erit fortasse qui illos Marcionis, quem Polycarpus Romæ obvium habuerat, discipulos fuisse arbitretur. Verumtamen cùm Polycarpus longe antequam Romam adventasset, hanc dederit epistolam, vero videtur similius alios ab eo impugnari hæreticos, qui jam ab Ignatii temporibus impia illo dogmata disseminabant.

Articulus VIII.

Quomodo epistolas Apostolorum, & quædam Johannis verba citaverit.

Unum observat Eusebius, nimirum quod Polycarpus noster: *Utitur quibusdam testimoniis ex priore Petri epistola desumtis.* Id quidem verissimum est. Sed illud præterea juvat animadvertere ab illo eamdem Petri epistolam, & alias à Paulo scriptas, tacitis eorum nominibus, & memoriter citari. Unde non absurde colligas hæc verba: *Om-*

nis qui non confeſſus fuerit Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, Anti-chriſtus eſt; ab eo ex prima epiſtola Johannis fuiſſe deſumta. Scimus quidem in vulgara Scripturæ editione, & Irenæi libris legi, *omnis qui ſolvit*, &c. Scimus etiam Socratem, de Neſtorio verba facientem, teſtificari hanc veterum codicum, quos hæretici corruperant, fuiſſe lectionem. At Tertullianus atque Auguſtinus utrumque uſurpant legendi modum, ſed lubentius priorem, quo etiam & antiqua verſio Syriaca & Cyprianus uſi ſunt. Quapropter vel falſus eſt Socrates, vel codices non ideo corruptionis accuſat, quod pro λύει, in eis repoſitum fuerit μὴ ὁμολογεῖ; ſed quia ab eis hæc ſententia omnino abraſa fuerat, & deleta. Et certè id non obſcure ſignificat his verbis: *Hanc ſententiam à vetuſtis exemplaribus ſuſtulerunt περιεῖλον, ii qui ab hominis diſpenſatione divinitatem ſeparare ſtudebant. Quamobrem & priſci interpretes idipſum obſervaverunt, fuiſſe nimirum quoſdam qui hanc epiſtolam depravaverint, hominem à Deo ſejungere cupientes.* Hanc autem eſſe Socratis mentem, nec ullam in ſupradictis verbis fuiſſe corruptionem inde colligas, quod ſive λύει legas ſive μὴ ὁμολογεῖ, idem omnino utriuſque verbi ſenſus eſt.

1. Johan. 4. 3.

Lib. 3. adv. hæreſ.

Lib. 7. hiſtor. cap. 32.

Lib. de carne Chriſti cap. 24. Lib. 3. cont. Marcion. cap. 8. & lib. 5. cap 16. Serm. 182. & 183. novæ edit. & Tractat. 6. in epiſt. Johan. Lib. 2. cont. Judæos.

ARTICULUS IX.

Num Polycarpus, cùm Paulus ad Philippenſes ſcripſit, in vivis eſſet; ac plures ille ſcripſerit epiſtolas?

Obſervabat quidem Uſſerius ex his quæ de Paulo hîc ſcribit Polycarpus: *Nos autem nondum noveramus*, colligere ſe poſſe eumdem Polycarpum,

cùm Apostolus suam ad Philippenses circiter annum 62. exaravit epistolam, jam in vivis fuisse. Sed cùm ille usque ad annum 169. vitam produxisse feratur, hinc proculdubio centenario major nondum animam egisse dicendus esset. Quod certe nec verisimile, nec ejusdem martyrii Actis, quæ illum anno ætatis suæ 86. sanguinem suum fudisse testantur, ullo modo videtur esse consonum. Quapropter Polycarpum ibi non suis tantum verbis & nomine, sed suæ etiam Smyrnensis Ecclesiæ, quæ post Philippensem Ecclesiam Christum Paulumque noverat, loquutum fuisse haud invite nobis persuadebitur.

Denique observandum est ibi Polycarpum aperte testificari Philippensem Ecclesiam & ad se & ad Antiochenos misisse litteras. Sed nos jam à multis sæculis utriusque epistolæ jacturam patimur; nullusque qui umquam eas se legisse dixerit, à quoquam hactenus citatus est.

DISSERTATIO NONA
DE DUABUS EPISTOLIS ſancti Martialis Apoſtoli & Epiſcopi Lemovicenſis.

Articulus primus.
Analyſis harum epiſtolarum.

PRima Martialis epiſtola ad omnes Burdigalenſis Eccleſiæ chriſtianos directa eſt. Illius initio auctor ignotum Burdigalenſibus Creatoris cœli & terræ nomen patefeciſſe, quaſque Deus ipſe à conſceleratiſſimis hominibus pœnas univerſali diluvio repetierit, eos ſe docuiſſe ſignificat. Addit ſe tunc eoſdem monuiſſe ex diluvio illo ereptos Noë ejuſque filios, qui Eccleſiæ noſtræ typus erant, ſicut ſacrificium Iſaaci fuit Chriſti Domini in cruce immolati figura. Huic autem cruento Salvatoris ſacrificio, ejuſque ſepulturæ ſe adfuiſſe, atque eum & à mortuis excitatum, & in cœlos adſcendentem ſe vidiſſe adſeverat. At vero cùm Chriſtus exinde bonis præmia, & pœnas malis pro merito decernat, illos ut ad idola deinceps non revertantur, ſed bonorum numero adſcribi curent, & Preſbyteros, in primiſque Sigibertum, quem poſt deſtructa ab eo idolorum templa, aliaque in veri Dei honorem ædificata, Epiſcopum illorum ordinaverat, debito honore proſequantur, excitat & ſuadet. Subinde poſtquam variis ipſos documentis ad vitam recte & pie inſtituendam imbuit, ſacrum divinæ Trinitatis myſterium

Cap. 1. *Cap. 2.* *Cap. 3.* *Cap. 4. & ſeq.*

Cap. 11. & seq. explicat ; monetque ut in eo firmiter credendo
Cap. 13. conftantiffime perfeverent. Denique ut orationi bonifque operibus omnino vacent, Deumque fincere timeant, fedulo hortatur.

Epiftola fecunda, ad Tholofanos data, priore
Cap. 1. longe prolixior eft. Hac Martialis illis fuadet, ut fummas Deo referant gratias, quod ipfi facris baptifmi aquis in Chrifti (à Judæis, apud quos innumera patraverat miracula, morte injufta damna-
Cap. 2. ti) & membra & filios fuerint adoptati. Teftatur autem fe unum ex ejufdem Chrifti difcipulis effe,
Cap. 3. & seq. qui eum à mortuis excitatum viderant. Qua quidem refurrectione, mirabili ac plane divina, & illius divinitatem, & falforum Deorum vanitatem aperte declarari; proindeque his rejectis, eum fo-
Cap. 6. & 7. lum adorandum effe confirmat. Atque ut id magis magifque perfuadeat, illis revocat in memoriam multos ex idolis à fe expulfos dæmones, plurefque ægrotos priftinæ fanitati mirabiliter reddi-
Cap. 8. tos. Narrat deinde quo martyrii genere Valeria mortem obierit, & quomodo Rex illorum Ste-
Cap. 9. & 10. phanus ad Chrifti fidem à fe adductus, deftructis idolorum templis, alia plura vero Deo ædificaverit, ac nuptiis omnibus nuntium deinceps remiferit. Hac vero data occafione, viduitatis, virgi-
Cap. 11. 12. & 13. nitatifque ftatum laudibus maximis celebrat. Tholofanos fubinde monet, ut vitia fugiant, ac virtutibus omnibus, quarum eximia in Chrifto, ac in primis mirabilis illius erga Judam proditorem, cujus ipfemet teftis fuerat, patientiæ exempla ha-
Cap. 14. & seq. bebant, affiduam dent operam. Quocirca eofdem orandi methodum docet, excitatque ad caritatem
Cap. 20. mutuam, ad fpem in Deo collocandam, ad perfecutiones tyrannorum cum gaudio fuftinendas.

Cæterum has persecutiones finem brevi habituras, & Ecclesiam per totum terrarum orbem diffundendam prænuntiat, & quid hanc ob causam ipsis agendum esset, definit. Subjungit autem se erga eos, qui post baptismum in peccata lapsi essent, misericordia vehementer commoveri, atque ut pro eis Deum exorent, Tholosanos obsecrat, atque obtestatur. Porro se eodem erga illos, ac cùm Tholosæ commoraretur, amore teneri adfirmat. Sed continuo eosdem blande commonefacit; ut repudiatis astrologiæ vanitatibus, Deo, cujus ope victoriam de inimicis suis essent reportaturi, plane confidant. Tum deinde jubet ut suis verbis omnes Christi amatores salutent, pro impiis orent, nec priusquam nuntium, quem ad eos miserat, viderint, itineri ad se invisendum committant. Denique postquam pacem & omnia bona ipsis optavit, absolvit epistolam.

Cap. 21. & seq. *Cap. 24.* *Cap. 25. & 26.* *Cap. 27.* *Cap. 28.*

ARTICULUS II.

Variis argumentis probatur has epistolas illius non esse, cujus nomine inscribuntur.

Harum itaque epistolarum auctor nomen Martialis Cephæ sumit, sibique Apostoli titulum adrogat, & adserit se cum Christo in terris vitam agente conversatum, se miraculorum ejus & proditionis Judæ testem fuisse, se Christum animam in cruce exhalantem, ad sepulturam delatum, à mortuis excitatum, ad cœlos adscendentem suismet oculis vidisse; ac postea christianam fidem prædicasse & Burdigalensibus & Tholosanis. Ex his autem quæ ille de se ipso vana ostentatione venditat, mendacem se esse, falsumque nomen se

usurpasse palam atque aperte prodit. Enimvero cui aliquando probabile fiet eum, qui numquam inter duodecim Christi Apostolos, sed ad summum inter ejus discipulos adscriptus fuerat, in epistolis suis nomen Apostoli sibi ultro, nulloque deferente, adrogasse. Scimus quidem nonnullos, qui ex illis duodecim non erant, puta Lucam, Marcum, Silam, Timotheum, vel alios qui provincias & regna ad fidem Christi adduxerant, eo glorioso nomine fuisse nonnumquam donatos: sed nullus propria auctoritate illud sibi imposuit. Et certe Martialis qui tamdiu cum Christo se vixisse jactitat, hoc nomen omnium minime sibi adsciscere debuit, quod duodecim tantum à Christo inditum ignorare non poterat.

Luc. 6. 13.

Neque vero solum auctoris nomen, sed cognomen etiam Cephæ, quo ipse se appellat, eum falsi & temerariæ suppositionis arguit. Quamvis enim Clemens Alexandrinus tradiderit unum ex septuaginta duobus Christi discipulis, qui à Paulo correptus est, sic fuisse vocatum; Hieronymus tamen hanc opinionem tanta perspicuitate refellit, ut eruditi omnes neminem præter Apostolum Petrum eo cognomine nuncupatum fuisse ultro fateantur.

Apud Euseb. lib. 1. Histor. cap. 12.

In cap. 2. Epist. ad Gal.

Tertio Auctor noster Christum, se præsente, osculum Judæ proditori porrexisse audacter adfirmat. Atqui hoc falsum esse gratisque fictum inde evincitur, quod Evangelistæ omnes eumdem Christum in hortum, ubi Judam osculo excepit, suos tantum Apostolos secum duxisse testentur. Neque dixeris alios quosdam præter Apostolos ibi, teste Euthymio, interfuisse: quandoquidem hæc opinio paucissimos sectatores habet. Contra vero, & Patres & interpretes eruditissimi observant Mat-

thæum, Marcum & Lucam de industria addidisse *cum duodecim*; ut exceptis Apostolis, neminem illic adfuisse significarent. Addamus, si lubet, quod si Auctor noster, ut ipse gloriatur, Christi proditioni, passioni, cruci, sepulturæ adstitisset, certè Evangelistæ aliquam illius alicubi fecissent mentionem.

ARTICULUS III.

Idem aliis argumentis evincitur.

Quidam suppositionem harum epistolarum inde probant, quod ante Imperatorum Antonini & Decii tempora, nulli in Galliis martyrium passi sunt. Verum cùm plures in aliam sententiam abierint, eo lubentius hoc argumentum non ultra, quam par est, urgendum censemus, quo plura alia quæ hanc suppositionem evidentissime demonstrant, nobis abunde suppetant. Tale est illud quod ex iis deducimus, quæ Auctor noster de conversione Stephani fabulatur. Narrat enim illum Gallorum fuisse Regem, plurima idolorum templa destruxisse, plures christianis Ecclesias ædificasse; nec eum solum, sed etiam Sigibertum eadem fecisse adseverat. At eo quo Martialis noster vixisse fertur tempore, nulli proculdubio in Galliis erant Reges. Nam tunc rerum ibi potiebantur Romani, qui tot deorum suorum templa everti, tot Ecclesias construi patienter non tulissent. Præterea Auctor noster aliquando vulgata scripturæ sacræ latina versione, & his quæ ex Symbolo, nomine Athanasii inscripto, desumta videntur, utitur: *Spiritus Domini,* *Epist. 1. cap. 10.* inquit, *non genitus, non factus, non creatus, sed procedens à Patre & Verbo.* Denique ineffabile Trinitatis mysterium verbis non solum clarissimis

exponit, sed ibi etiam vocem personæ adhibet, quæ teste Facundo, tempore Sabellii tantummodo cœpit esse in usu. At hæc omnia evidentissima sunt falsitatis epistolarum, earumque suppositionis indicia. Quid verò quod in iis plures occurrunt sententiæ, ex Johannis Evangelio totidem verbis transcriptæ. Quis autem nesciat Evangelium illud fictâ Martialis ætate non fuisse compositum, aut saltem in Gallias nondum adsportatum? Denique stylus epistolarum impolitus, omninoque rudis & barbarus, eas ab primi Ecclesiæ sæculi Auctore profectas non esse manifeste demonstrat.

Lib. 1.

ARTICULUS IV.

Quis fuerit harum epistolarum Auctor, & quando illas scripserit, ac de variis earum editionibus.

Porro autem operæ pretium est animadvertere quædam in iisdem epistolis narrari, quæ alibi frustra quæsieris, quam in Historia vitæ ejusdem Martialis, ementito Aurelii ipsius discipuli nomine, publicata. Ea vero sunt, quæ de Sigiberto Burdegalensium Episcopo, de Stephano Gallorum Rege, de Valeriæ martyrio, aliaque nonnulla referuntur. Ex iis autem non obscure colligitur eumdem esse & epistolarum & vitæ Martialis auctorem: aut si duo fuerint, unum ex alio sua mutuatum esse.

Qua autem ætate impostor ille vixerit, vel quo tempore scripta illa, quæ certe nullius momenti esse possunt, divulgata fuerint, scire parum ac prope nihil interest. Si quis tamen illud investigandum esse censeat, is ex actis Conciliorum Lemovicensium ann. 1029. & 1031. ubi nonnulla ex historia vitæ Martialis hausta occurrunt, non levem ca-

pere poterit conjecturam, hanc lucubrationem his Synodis esse antiquiorem. Verum ex controversia quæ ibi de titulo Confessoris vel Apostoli, Martiali tribuendo, nata est, non temere conjicies has epistolas nondum fuisse editas. Eæ quippe quæ omnem hanc quæstionem dirimunt, à nemine ibi citatæ leguntur. Cæterum & epistolæ & vita Martialis ab iis scriptæ videntur, qui patroni sui apostolatum, & Ecclesiæ Lemovicensis antiquitatem, dignitatem, atque illius præ aliis nonnullis excellentiam jure vel injuria adserta esse voluerunt.

Ut ut sit, hæ epistolæ, ut testatur Gaufredus Gausius in scriniis Ecclesiæ Lemovicensis sæculo undecimo repertæ sunt. In vulgus autem typis excusæ prodierunt anno 1521. & deinceps editionibus sæpius repetitis publicatæ sunt Venetiis anno 1546. Basileæ annis 1550. & 1569. Coloniæ Agrippinæ 1570. Parisiis 1562. 1576. 1589. 1610. Hamburgi vero cum notis Elmenhorstii anno 1614. Item cum Operibus Abdiæ Babylonii anno 1571. & 1614. Denique in orthodoxographia & in omnibus Patrum Bibliothecis.

DISSERTATIO DECIMA
DE OPERIBUS
S. Dionysii Areopagitæ.

Caput primum.
Analysis omnium S. Dionysii Operum.

§. I.
Analysis libri de cælesti Hierarchia.

PRIMUS Liber, Dionysii Areopagitæ nomine inscriptus, titulum *de cælesti Hierarchia* præfert, isque sicut & alii subsequentes Timotheo
Cap. 1. Sympresbytero nuncupatur. Ab ipso hujus libri exordio Auctor omnem lucem à Deo Patre ad nos derivari professus, ad suum de rebus cælestibus, iisque difficillimis, sed quæ materialibus & corporeis adumbratæ erant, argumentum cùm ex scriptura sacra tum ex Patribus, imploratâ prius Chri-
Cap. 2. sti Domini ope, tractandum adgreditur. Quapropter factâ Operis sui distributione, primum aperit, cur scriptura divina Angelos figuris adeo ignobilibus, atque ab eorum natura tam alienis, ubique
Cap. 3. nobis repræsentet. Tum omnem universim Hierarchiam definit, dividitque; ac quis ejus finis & scopus, quæque sint ejus functiones & munia enu-
Cap. 4. cleate demonstrat. Hinc ad ipsius Angelicæ Hierarchiæ explicationem transit, & tostendit Deum à nulla creatura excellentius participari, quam ab

Angelis; qui quidem quia alios in divinitatis co-
gnitionem adducunt, ideo illo Angelorum nomi-
ne sunt donati. Atque hac data occasione, docet
eorum ministerio non solum divinas in veteri Tes-
tamento visiones exhibitas fuisse; sed Christi etiam
incarnationem in novo Fœdere nobis annuncia-
tam. Exponit insuper cur Angelorum nomen, quod *Cap. 5.*
ultimo cæleſtium spirituum ordini speciatim con-
venit, cæteris indiscriminatim ita tribuatur; ut
ipsi tamen aliorum vicissim nomine numquam ap-
pellentur. Ad Angelorum divisionem inde progre- *Cap. 6.*
ditur, atque ostendit eos in tres Hierarchias, & sin-
gulas quasque Hierarchias in tres ordines sic dis-
tribui; ut prima Seraphinorum, Cherubinorum, *Cap. 7.*
Thronorum; secunda vero Dominationum, Vir- *Cap. 8.*
tutum ac Potestatum; tertia denique Principatuum, *Cap. 9.*
Archangelorum & Angelorum ordines complecta-
tur. Deinde quomodo quælibet Hierarchia purge- *Cap. 10.*
tur, illustretur, ac perficiatur, enucleat: planum- *Cap. 11.*
que facit cur omnes Angeli virtutum cælestium no-
mine, quod secundo secundæ Hierarchiæ ordini
peculiare est, indiferenter vocitentur. Nonnullas
postea quæ ad argumentum suum spectabant, diffi-
cultates enodat, & solvit, nimirum cur Episco- *Cap. 12.*
pus dicatur Angelus Domini omnipotentis, cur ex
Seraphinorum ordine unus ad Isaiam missus sit, *Cap. 13.*
quantusque sit Angelorum numerus. Denique cor- *Cap. 14.*
poreis imaginibus, quibus Angeli in Scriptura fi-
gurantur, singillatim explicatis, librum absolvit.

§. II.

Analysis libri de Ecclesiastica Hierarchia.

In illo priore libro alterius, quem *de Ecclesiasti-
ca Hierarchia* inscriptum voluit, fundamenta qui-

dem jecerat, sed ipse nisi Timothei precibus victus, manum ei se non admovisse testificatur. Huic autem Timotheo ne mysteria nostra non initiatis revelet, cùm à libri sui principio sedulò præcepisset, ostendit quo ex fonte Hierarchia Ecclesiastica illustrationes suas hauriat, in quo cum cælesti conveniat, vel ab ea discrepet, quæ sit ejus definitio, principium & finis, ac tandem cur illa symbolis figurisque corporeis velata nobis tradatur. Posthæc ad singula quæ ad eam spectant, propius accedens, de sacramentis [a] Baptismi & [b] Eucharistiæ, de [c] sacri Unguenti seu Chrismatis, τοῦ μύρου, consecratione, de ordinatione [d] sacrorum Ecclesiæ ministrorum, Episcopi scilicet, Presbyteri & Diaconi, ac [e] de solemni Monachorum professione articulatim disputat. His accuratam subjungit cerimoniarum, quibus mortuorum corpora sepeliebantur, descriptionem expositionemque; & subinde de infantium baptismate disserit. Tum denique Timotheum si quas clariores horum mysteriorum cognitiones habeat vel habere possit, ut eas secum benevole communicet, obtestatur atque obsecrat.

c Cap. 1.
a Cap. 2.
b Cap. 3.
c Cap. 4.
d Cap. 5.
e Cap. 6.

§. III.

Analysis libri de divinis nominibus.

In tertio libro, quem Auctor noster post editum *Hypotyposeon Theologicarum* volumen se conscripsisse adserit, *de nominibus divinis* disputat. Ille autem ex scripturis sacris, ubi omnia Dei, qui ἀνώνυμος & πολυώνυμος est, nomina exhibentur, argumentum suum tractaturum se esse profiretur. Et quidem duplicis generis esse dicit ea Dei nomina: alia, uti vocant, absoluta & essentialia, quæ

Cap. 1.
Cap. 2.

naturæ divinæ, tribusque sanctissimæ Trinitatis personis absque divisione ulla conveniunt; alia relativa, quæ unicuique personæ singillatim ita competunt, ut alteri non possint adtribui. Ad ea porro explicanda, Hierothei cujusdam magistri sui libro utitur, ibique cur post eximium illum virum, *Cap. 3.* quem maximis laudibus exornat, & quocum dormitioni Deigenitricis se interfuisse dicit, ad conficiendam lucubrationem suam animum appulerit, paucis ille declarat. Posthæc singula Dei nomina *Cap. 4.* edisserit, atque à boni & bonitatis, pulcri & pulcritudinis, amoris, dilectionis, amabilis dilectique expositione orditur. Hinc autem arrepta occasione, quasdam de natura & origine mali quæstiones enodat, & quomodo in Angelos cadere potuerit, luculenter aperit. Prosequitur deinde in- *Cap. 5.* choatam nominum Dei explanationem, & nomen entis, quod Deo ita tribuitur, ut cæterorum omnium ipsum sit principium & causa, ad eum tractat modum; ut quomodo *in Deo rerum om-* *Cap. 6.* *nium exemplaria præexstiterint*, ibi quoque patefaciat. Explicat præterea quomodo Deus vita sit, à quo suam cætera viventia accipiunt: quomodo *Cap. 7.* sit sapientia ipsa, *omnis mentis, rationis, sapientiæ, intelligentiæ causa*; quomodo omnia cognoscat, & à creaturis cognoscatur: quomodo ver- *Cap. 8.* bum, λόγος, sit veritas, ac fidei nostræ fundamentum: quomodo ex infinita ejus potentia aliæ omnes deriventur; atque ejus justitia omnium norma sit, salus & redemtio. Item cur *Deus magnus & par-* *Cap. 9.* *vus, idem & aliud, similis & dissimilis* dicatur: quæ sit ejus quies, sedes, & motus, cur nomine- *Cap. 10.* tur æqualis, omnitenens, *παντοκράτωρ*, *antiquus dierum, antiquus & novus*; ibique *temporis & a-*

ternitatis naturam enucleat. Postea de pace Dei, qui omnis pacis auctor est, disserit, eamque ab omnibus desiderari demonstrat. Dehinc ad ea res-
Cap. 11. pondet, quæ Timotheus datâ ad eum epistolâ, poposcerat, quid sit *per se esse, per se vita, per*
Cap. 12. *se sapientia.* Tum deinde ad divinorum nominum explanationem reversus, perspicuum facit cur Deus vocetur *Sanctus sanctorum, rex regum,*
Cap. 13. *dominus dominantium, Deus deorum.* His ita explicatis, monet se divina nomina pro suis viribus, non pro eorum dignitate sic explicuisse; ut si quid recte à se dictum fuerit, id totum in Deum ipsum refundi debeat; si quid vero minus recti & perfecti, illud Timothei peritiâ velit esse correctum. Spondet denique se *de Symbolica Theologia* posthæc esse scripturum, atque ita libro suo finem imponit.

§. IV.

Analysis libri de mystica Theologia.

Cap. 1. Quartum librum *de Mystica Theologia* titulo inscriptum, Auctor noster ab sanctissimæ Trinitatis invocatione inchoat, Timotheumque commonefacit mystica cum viris paganis non esse communicanda. Ipsi post hæc significat, ut ad Dei, qui infinite supra nos elatus, immensa caligine absconditur, ac negationibus magis quam adfirmationibus cognosci potest, mysticam contemplationem perveniat, super res omnes sensibiles & intellectua-
Cap. 2. les esse adsurgendum. Manifestum deinde facit quæ
Cap. 3. essent illæ negationes seu perfectiones Dei negativæ, easque rerum cum corporearum & sensibi-
Cap. 4. lium, tum spiritualium & intellectualium, quæ in Deo esse nequeunt, nuda & simplici enarratione explicat.

§. V. Epistolæ

§. V.

Analysis Epistolarum.

Epistolæ decem Dionysii quoque Areopagitæ nomen præferentes, his quatuor Auctoris nostri libris subnectuntur. Harum quatuor priores, ad Caium θεραπευτὴν datæ, brevissimæ sunt, eæque epistolarum potius fragmenta, quam epistolæ integræ videntur. In earum prima perfectissimam Dei cognitionem, quæ à nobis accipi possit, eam esse dicit, quæ ex attributis ejus negativis *per excessum*, & non privative habetur. In secunda exponit: *Quomodo qui est super omnia, sit supra principium divinitatis & bonitatis.* In tertia vero quod Malachias Propheta de Christo prænuntiaverat: *Repente veniet ad templum sanctum suum*, brevi explicatione interpretatur. Demum in quarta Christum Deum fuisse & hominem, & θεανδρικὴν operationem exhibuisse demonstrat. *Ad Caium.*

Quinta epistola eodem ac precedentes stylo exarata, ad Dorotheum λειτουργὸν directa est. Auctor in ea quæ sit *caligo divina* aperit, planumque facit tum Deum vere cognosci, cùm ille super omnem scientiam & cognitionem esse cognoscitur. *Ad Dorotheum.*

Ad Sosipatrum Presbyterum sexta missa est, eaque omnium licet brevissima, formam tamen habet epistolæ. Hac Auctor noster Sosipatrum ut operam suam non tam in arguendis hæreticis, quàm in veritate stabilienda ponat, amicè monet. *Ad Sosipatrum.*

Septima Polycarpo Episcopo, qui ipsum ab Apolophane Sophista, quod opiniones gentilium confutando, eas sincere non proposuisset, palam incusari nuntiaverat, respondere videtur. Ait ita- *Ad Polycarpum.*

que se cùm adversus gentiles disputaret, res prout se haberent, vere semper retulisse; Polycarpumque rogat ut Apolophani significet, eum ipsum esse, qui *divinis adversus divina abutitur.* Etenim non solum iis quæ Josuæ & Ezechiæ temporibus acciderant, insolitis cælorum motibus, sed in primis stupenda, quam Heliopoli, dum Christus crucifigeretur, ille secum viderat, solis defectione, de ejusdem Christi divinitate fuerat convictus. Quod ipsi ut in memoriam revocet, atque ad amplexandam Christianam religionem adhortetur, obsecrat & præcipit.

Ad Demophilum. Demophilum Monachum qui pœnitentem à Sacerdote absolutum, ipsumque Sacerdotem à quo fuerat absolutus, durius tractaverat, epistola octava corripit. Hinc clementiam mansuetudinemque commendat, ac variis Moysis, Davidis, Josephi, Angelorum, & Christi domini exemplis probat Sacerdotes à Monachis non esse arguendos, atque ante ipsum qui id adtentare ausus fuerit, inventum esse neminem. Denique peccatorem pœnitentem ab ipso non debuisse rejici mira sancti Carpi visione demonstrat.

Ad Titum. Epistolæ nonæ ad Titum Episcopum datæ initio quid figuræ symbolicæ & corporeæ, quæ Deo in scriptura sacra tribuuntur, significent, Auctor noster enucleat. Deinde ea quæ Titus postulaverat, explanare adgressus, ostendit quid sit: *Ebrietas, discubitus, somnus & evigilatio Dei.* Ex quibus facile colligas ibi nihil aliud quam priora capitis noni Malachiæ Prophetæ verba explicari.

Ad Johannem. In epistola decima, ad Johannem Evangelistam in insula Patmos exsulantem directa, Auctor noster celerem illi ab exsilio in Asiam reditum, ibique

se ejus præsentia fruiturum certò prænuntiat.

Adjecta est in nonnullis editionibus undecima Auctoris nostri ad Apolophanem Philosophum epistola: sed cùm ea vix ab ullo genuina esse censeatur, de illius veritate, ne cum aliis, quarum major est difficultas, confunderetur, in fine hujus Dissertationis disputabimus. *Ad Apolophanem.*

CAPUT II.

Exponitur status quæstionis, & qua methodo tractabitur.

DE his lucubrationibus si ex ipso earum testimonio feratur sententia, certum est illas non alium quam Dionysium Areopagitam, à Paulo Apostolo ad Christianam fidem adductum, ejusque postea discipulum, auctorem habuisse. Verum enim vero quæ de solis, Christo moriente, eclipsi, de corpore Deiparæ Virginis post ejus mortem à se & ab Apostolis viso; de Johannis Evangelistæ ab exsilio regressu dicuntur, eas à Dionysio illo scriptas esse clamant & testificantur. Sed illud vocatur in controversiam num horum Auctor scriptorum is vere sit Areopagita, quem se prodit, vel ementito tanti viri nomine scriptis suis auctoritatem voluerit adtribuere. Hæc autem quæstio ob Auctoris nomen, & summa quæ in his Operibus tractantur argumenta, tanti ponderis & momenti visa est; ut vix alia fuerit, in qua examinanda critici majorem diligentiam adhibuisse videantur.

Porro autem duas illi scinduntur in partes. Alii siquidem has lucubrationes à Dionysio ipso,

cujus nomine inscribuntur, censent esse profectas. Quæ quidem opinio ab eo tempore quo illæ in vulgus prodierunt, usque ad decimum sextum Ecclesiæ sæculum, paucis nequidquam reclamantibus, apud omnes fere invaluit. Alii è contrario easdem Dionysio Areopagitæ plane penitusque abjudicant, ipsasque adulterinas, & tanto viro suppositas esse arbitrantur. Hanc vero opinionem cùm Valla & Erasmus amplexati fuissent, acerrimos omnium sibi adversantium impetus exceperunt. Sed ii demum ita fracti sunt, ut pene omnes cum Catholici, tum Heterodoxi pedibus in eorum iverint sententiam, eamque plurimi variis lucubrationibus, in lucem editis, propugnandam susceperint. Contra tamen stant aliqui pro antiquiorum opinione, quam prolixis etiam Dissertationibus, in vulgus non ita pridem emissis, defendunt ac tuentur.

Hæc itaque quæstio cùm pro officio nostro rursus ad examen revocanda sit, illam ita tractabimus; ut omnibus utriusque partis rationibus æqua lance ponderatis, earum vim & robur, aut levitatem & vitia clare & perspicue, quantum per nos fieri poterit, patefaciamus. His autem ea omnia adjiciemus, quæ ad eliciendam confirmandamque veritatem, & vanas argutias depellendas magis conducere videbuntur. Denique hanc quæstionem pro virili parte ea methodo elucidare satagemus; qua sincerus veritatis amator de his scriptis suum possit facilius ferre judicium.

CAPUT III.

Utrum quidam Scriptores ante Collationem Constantinopolitanam hæc Opera Dionysio adtribuerint?

CONSTAT quidem omnia Auctoris nostri Opera post Collationem, Constantinopoli anno 533. habitam, Dionysio Areopagitæ uno fere omnium consensu fuisse adjudicata. Utrum eadem fuerit antiquiorum opinio inter eruditos etiamnum disceptatur. Dionysiani enim testimonia Origenis, & Athanasii, Clementis Alexandrini, & Gregorii Nazianzeni, à quibus hæc scripta vel Dionysii nomine citata, vel indicata opinantur, proferunt in medium. Addunt Dionysium Alexandrinum, ut Anastasius Sinaïta, sanctus Maximus, & Nicetas Choniates testantur, in eadem Dionysii scripta adnotationes & scholia edidisse. *Homil. 2. de Divers.* *Quæst. ad Antioch.*

Sed contendunt eorum adversarii neque Origenem neque Athanasium, ut omnes facile concedunt, sed recentiores quosdam horum, quæ citantur, Operum esse auctores. Quantum vero ad Scholia, certum videri ea Dionysii Alexandrini fœtum non esse. Eusebius etenim atque Hieronymus, qui Patriarchæ hujus Alexandrini Opera diligentissime recensuerunt, nullam omnino horum Scholiorum fecerunt mentionem. Quid quod Anastasius ac post eum Maximus hunc Dionysium ex Rhetorum numero Episcopum factum fuisse aiunt: *At magnus Dionysius*, verba sunt Anastasii, *ex Rhetorum numero Episcopus factus, in Scholiis*.&c. Maximus vero ἀπὸ ῥητόρων, &c. Atqui Dionysius antequam in Episcopum Alexandrinum esset ad- *Tom. 6. Biblioth. Patrum 3. cap. 22.*

sumtus, non Rhetoricam profitebatur, sed catacheses apud populum Christianum habebat. Quid ergo inde aliud colligas, quam hæc Scholia conscripta fuisse à quodam Rhetore, nomine Dionysio, quem Anastasius & Maximus Patriarcham Alexandrinum esse falsò arbitrati sunt. Neque vero in hoc tantum erravit Anastasius; nam ut cætera taceamus, in eodem Opere Augustinum pro Christo sanguinem suum fudisse affirmat: *Facessat*, inquit, *Augustinus, qui suo sanguine in scriptis duas in Christo naturas consignavit.* Porro ea Auctorum qui hactenus citati sunt pro Dionysii Operibus testimonia, fidei sunt adeo sublestæ; ut doctiores scriptorum Areopagitæ defensores ea non tantum urgere, sed nec proponere æquum esse putaverint.

Cap. 2.

Nec majoris ponderis est aliud argumentum, inde ductum, quod Clemens Alexandrinus & in iis quæ de Deo per negationes cognoscendo tradit, & in eo quod homines vitæ gnosticæ deditos, iis qui anchoram navis, ut ad eam accedant, trahunt, comparavit, Dionysium nostrum sit imitatus. Contra enim nonnulli Areopagiticorum adversarii contendunt non Clementem ex Dionysio, sed Dionysium, ut pote Clemente recentiorem, ab illo ea, quæ referuntur, suos adduxisse in usus. Alii vero putant fieri facile potuisse; ut uterque, etsi alter alteri minime notus, illam anchoræ navis adtractæ comparationem, quæ cuilibet obvia est, adhibuerit. Et requidem ipsa ab utroque illa diverso plane modo instituitur, & rebus omnino diversis accommodatur. Quod vero de Deo per negationes cognoscendo traditur, id non minus vulgare est & tritum, ac proinde illud etiam potuit

§ duobus Scriptoribus sibi invicem incognitis, pariter æqualiterque doceri.

De Gregorio demum Nazianzeno, quem ex Auctoris nostri Operibus aliquid deflorasse nonnulli arbitrantur, major procul dubio est difficultas. Enimvero quidam eadem Opera Dionysii Areopagitæ fœtum esse negantes, fatentur ea à Gregorio Nazanzieno lecta fuisse & pervolutata, ac ipso esse antiquiora. Sed de his infra opportunior dabitur disserendi locus.

CAPUT IV.

Palmarium Areopagiticorum argumentum ex constanti undecim sæculorum traditione depromtum, proponitur.

PALMARIUM itaque præcipuumque Areopagiticorum momentum inde ducitur, quod anno 533. in Collatione Constantinopolitana hæc Auctoris nostri Opera sub Dionysii Areopagitæ nomine ab Acephalis seu Severianis hæreticis adversus orthodoxos primum citata, paulo post ab ipsis catholicis pro vero & genuino Dionysii Areopagitæ fœtu suscepta sunt, ac tandem à cæteris omnibus cujuslibet generis & eruditionis Scriptoribus ad nostram fere usque ætatem ipsi vindicata. Horum autem Scriptorum longos texunt catalogos; sed singulorum testimonia, tum quia prolixiora sunt, tum quia de eorum auctoritate lis nulla movetur, integra non citabimus, singulorum nomen & scripta appellare contenti.

Sæculo igitur sexto post Collationem Constantinopolitanam circa ejusdem sæculi finem Leon-

tius Bizantius lib. 2. contra Nestor. & Euticher. & lib. de Sect. hæc Opera Dionysio Areopagitæ adtribuit. Ante eum vero Ephrem Patriarcha Antiochenus.

Circa initia sæculi septimi eadem fuit Gregorii Magni sententia Homil. 34. in Evangel. Lucæ. Eodem sæculo & Monothelitæ hæretici, & Catholici omnes sive in synodis Lateranensi & Constantinopolitana generali, sive in scriptis suis eadem Opera Dionysio Areopagitæ tribuunt & vindicant. Et quidem hæretici, Sergius epist. ad Cyrum Patriarcham Alexandr. Themistius epist. ad Marcellin. Presbyt. & Steph. Diac. Catholici vero, Sophronius Patriarcha Hierosolym. epist. ad Serg. Agatho summus Pont. epist. ad Constant. Pogonat. Maximus Abbas & Martyr, in Scholiis. Item Hadrianus 1. Papa epist. ad Carol. Magn. pro septima Synodo. His adjungi potest Theodorus Presbyter apud Photium in Biblioth. cod. 2. cujus quidem licet incomperta ætas, antiquissimus tamen esse creditur.

Sæculo octavo Johannes Damascenus lib. 1. Orthodoxæ fid. cap. 15. & lib. 2. cap. 3. Michaël Syngelus, laudatus à Theodoro Studita lib. 2. epist. 213. Anastas. Nyssenus Quæst. 32. & 52.

Sæculo nono Nicolaus 1. sum. Pontif. epist. ad Michaël. Imperat. Photius Patriarcha Constantinop. in Bibl. Cod. 231. Hilduinus Abbas sancti Dionysii in Areopagit. Hincmarus Archiep. Rem. epist. ad Carol. Calv. Anastasius Biblioth. epist. ad eumdem.

Sæculo decimo Simeon Metaphrastes Orat. de Dormit. Deiparæ. Addi possunt quidam incertæ ætatis scriptores Elias Cretensis in Orat. 2. sancti

Gregorii Nazianz. Antonius Melissa lib. 1. Serm. 19. & alii nonnulli.

Sæculo undecimo Suidas in Collectaneis.

Sæculo duodecimo Euthymius Zigabenus Monachus Panopl. Tit. 1. Hugo à sancto Victore, Petrus Lombardus in 2. sentent. & alii postea Theologi Scholastici.

Sæculo decimo tertio Nicephorus Callistus lib. 2. Histor. Eccles. cap. 20. & 22. D. Thomas Aquinas in 2. sentent. dist. 10. quæst. 1. art. 12. Georgius Pachymerius scriptorum Dionysii paraphrastes.

Sæculo decimo quarto Theodorus Prodromus.

Sæculo decimo quinto Bessario Cardinal. lib. 1. Defens. Platon. cap. 3. Dionysius Carthusian. Præfat. in Dionys. Areopag.

Sæculo decimo sexto Facultas Theologiæ Parisiensis in comitiis Sorbonicis Lutherum & Erasmum, eadem scripta à Dionysio Areopagita profecta esse negantes, damnavit, alterum anno 1520. alterum anno 1527. Posterius decretum sæpius in Erasmi, qui eo percellitur, Operibus omnibus pervulgatum est, & cuilibet obvium. Prius vero quo Lutherus proscribitur, hactenus ineditum, in Sorbonæ libris, ex quibus illud transcripsimus, his verbis concipitur: *Additur & hac ex libro de Captivit. Babylon. In Dionysio qui scripsit de cælesti Hierarchia, nihil ferme est solidæ eruditionis: & omnia sunt illius meditata in præfato libro, ac somniis prope simillima. In Theologia autem mystica perniciosissimus est, platonizans, magis quam christianizans. In Ecclesiastica vero Hierarchia ludit allegoriis, quod est otiosorum hominum studium. Hæc propositio est falsa, temerarie & arroganter asserta,*

ac viro sancto, insigni eruditione clara, injuria; quem Damascenus divinum Areopagitam, Pauli discipulum, acerrimum, & Deiloquentissimum appellat.

Atqui inquiunt Areopagitici, verisimile nulli fiet tot tantosque tot sæculorum doctissimos homines, Concilia, Summos Pontifices, Scriptores eruditos, tam parum accurati fuisse criterii, & omni Ecclesiasticæ historiæ scientia orbatos; ut nequidem cogitaverint umquam de alio horum scriptorum quærendo Auctore. Quis in eos tantam oscitantiam, supinitatem, cæcitatem cadere potuisse, sibi umquam persuadeat? Tot ergo Auctoribus scientia, dignitate, auctoritate præstantissimis hanc tanti erroris notam inurere nefas esse videtur.

CAPUT V.

Responsiones Antiareopagiticorum, & præcipua eorum adversus hanc traditionem argumenta discutiuntur.

QUI hæc scripta germanum Dionysii Areopagitæ opus esse negant, aiunt ex hujuscemodi traditionibus ut aliquid certi concludi possit, eas constantes esse debere ac perpetuas. At hanc de scriptis illis, Dionysio Areopagitæ tribuendis, traditionem nec constantem fuisse nec perpetuam, tribus potissimum argumentis demonstrari posse contendunt.

Primum est quod hæc eadem scripta, quæ propter Auctoris nomen, & res sacras ac plane divinas, quæ in eis pertractantur, celeberrima esse debebant, & omnibus Christianis notissima; per tria

tamen priora Ecclesiæ sæcula, nulli omnino cognita fuerunt, sed altissimo prætermissa silentio, tenebrisque obruta densissimis.

Quid quod ii qui per ea tempora de Dionysio Areopagita aliquid memoriæ mandarunt, vel qui accuratissimos Scriptorum Ecclesiasticorum ediderunt catalogos, puta Dionysius Corinthius, Eusebius, Hieronymus, nullam vel epistolarum vel librorum ejus fecerunt umquam mentionem.

Denique ii qui errores & hæreses his in scriptis explosas confutant, nimirum Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, atque alii; vel qui in iisdem ac Auctor noster argumentis sive fidei, sive disciplinæ Ecclesiasticæ tractandis desudarunt, nullibi scripta ejus ad lites suas dirimendas, ad confutandas hæreses, ad veritatem adstruendam efficacissima & plane necessaria, citasse umquam leguntur.

Secundum eorum momentum inde eruitur, quod iis etiam sæculis, quibus opinio de his scriptis, Dionysio adjudicandis, invaluit; aliqui variis temporibus exstiterunt nec ineruditi nec ignobiles viri, qui eam aut dubiam esse dixerunt, aut veram esse penitus inficiati sunt.

Tertium denique argumentum ex eo depromitur, quod re maturius discussa, & ad severioris Critices normam diligentius examinata, opinio illa ab omnibus fere hujusce ætatis Scriptoribus, paucis tantum exceptis, rejecta tandem est, & explosa.

Contra tamen Areopagitici nec recentiorum criticorum, nec aliorum quorumdam antiquiorum sententiam, tot Scriptorum à se citatorum judicio præferendam esse clamant. Non diffitentur tamen nullam Operum Dionysii apud antiquissi-

mos Scriptores fieri mentionem: sed argumentum illud negativum esse dicunt, ac proinde ex illo nihil quidquam confici posse.

Verum instant adversarii, atque ex hac eorum confessione urgent illam tot Scriptorum traditionem, quæ per tria priora Ecclesiæ sæcula penitus deficit, infirmam omnino esse, fractam, & debilitatam. Cui vero, inquiunt, probabile fiet hæc tanti momenti, tantique Auctoris scripta ita fuisse deperdita; ut tam longo temporis spatio summa omnium oblivione sepelirentur? Enimvero hi libri ad Timotheum, quo eos cum aliis omnibus, si solos excipias non initiatos, communicaret, ab Auctore missi sunt. Atqui si res ita se habeat, Timotheus procul dubio ut ii non solum fidelibus Christianis, sed etiam Clericis, ac præcipue Episcopis mitterentur traderenturque curavisset. Hi vero juxta antiquum Ecclesiæ morem eosdem apud se, vel in sacris Ecclesiarum scriniis adservandos, transcribi præcepissent. Certum insuper videtur quòd eorum exemplar aliquod à Dionysio ipso Ecclesiæ suæ Atheniensi fuisset relictum. Quis ergo inficiabitur eos statim ut Dionysius mortuus est, celeberrimos esse debuisse, & omnibus notissimos?

Sed hæc non morantur Pachymerem. Is quippe nullus dubitat hos libros cognitos fuisse paganis, & occultatos ab eis; ut hæc Opera suo postea nomine publicarent, & patres eorum viderentur: *Sciendum est*, inquit, *aliquos externos Philosophos, præsertim Proclum, contemplationibus beati Dionysii frequenter usum fuisse, atque adeo etiam meris ipsis dictionibus. Inde licet opinari veteres Philosophos Athenienses ipsius Opera vindicantes occultasse; ut ipsi divinorum ejus librorum patres viderentur*

Præm. in Dionysii Opera.

tur. Unde concludit eos per unius & alterius sæculi spatium facile abscondi potuisse & occultari.

At tametsi illud certum esset & verissimum; non inde tamen vis argumenti ullo plane modo minuitur. Quamvis enim & Philosophi, atque etiam hæretici omnes, quod vix quidem est credibile, de occultandis Dionysii Operibus conjurassent, vel in eorum etiam conspirassent exstinctionem; in plura tamen eorum exemplaria, quæ penes Christianos, maxime vero Episcopos esse, vel in Ecclesiarum scriniis servari debebant, invadere nequiverunt, nec ea illis eripere. Quid quod cùm illa scripta sæculo sexto producta sunt, omnes incredibili applausu ea exceperunt, plurimi magno quidem describserunt labore, ac quidam etiam notis illustrarunt, & scholiis. Cur ergo Dionysii tempore eumdem applausum, similemque admirationem non excitaverunt? Cur statim atque adspexerunt lucem, illico in obscuritatis latebras fuerunt amandata?

Quidam Areopagitici aiunt illa quidem aliquamdiu sparsa fuisse in vulgus, sed omnia eorum exemplaria ab Arianis, qui suos in iis errores damnari videbant, vel occultata, vel sublata è medio. At his pariter opponitur illa saltem exemplaria, quæ apud orthodoxos, & in eorum Ecclesiis fuissent, ab Arianis nec potuisse abscondi nec auferri. Et certe non minor erat Catholicorum zelus ad ea scripta, quibus orthodoxæ veritates adstruebantur, manifestanda, quam hæreticorum ad eadem abolenda ardor & audacia. Adde si velis quod Ariani hujusce fraudis, vel ab iis qui eorum hæresim ejurabant, vel à quibusdam Catholicis Scriptoribus fuissent aliquando insimulati atque etiam convicti.

Quapropter alii Areopagitæ defensores, has lu-

cubrationes, ut pote de rebus difficillimis & obscurissimis tractantes, ac elato turgidoque & obscuro exaratas stylo, à tam paucis fuisse pervolutatas adfirmant; ut cito longam venerint in oblivionem. Sed illa responsio ipsis Auctoris nostri verbis funditus everti arguitur. Ille namque aperte declarat; se suum *de Divinis nominibus* librum, in quo de rebus sublimioribus & difficilioribus disputat, stylo simpliciori clarioríque conscripsisse; ut ea Christianos minus perfectos doceret, quæ Timotheus perfectioribus, & iis qui sublimiora capiunt, tradiderat: *Quapropter*, inquit ille, *nos quoque seu perfectorum seniliumque sensuum magistrum, alterasque scripturas, quæ divinitus afflatorum scripta proxime adsequuntur, iis qui sublimiora capiunt, illum adsignamus: nos vero nostri similibus ad captum nostrum res divinas explanabimus ... sermonum vero introductoriorum, seu inferioris nota scientiam ac disciplinam initiantibus, atque initiatis convenire... ne pro modulo nostro illos, quibus sublimiora nobis contemplandi facultas deest, adminiculo destitutos pateremur, ad scribendum animum appulimus*. Longe ergo à scopo aberrasset, si cothurno tragico, ut opinantur Areopagitici, ampullisque, & verbis ad pompam effictis turgidior ejus oratio, omnibus ita difficilis esset & obscura, ut ab librorum ejus lectione fuissent quilibet deterriti.

De Divin. nomin. cap. 3. §. 2.

Cæterum quantumvis elata & difficilis sit Auctoris nostri oratio, cur ejus libri antiquioribus secundi & tertii sæculi Christianis, nec eodem ac aliis posteriorum sæculorum fuerunt in pretio, nec eadem cura lecti & adservati? Numquid his hominibus post tot annorum & plurium sæculo-

tum ſpatium facti ſunt clariores majoriſque ponderis & auctoritatis? Certe liber de Hierarchia Eccleſiaſtica, ubi diſſeritur de ſacramentis eorumque cerimoniis, quæ quotidiano erant in uſu, quæque omnibus ſæpiſſime explicabantur, nulli obſcurior eſſe debebat, poteratque ab omnibus haud difficulter intelligi. Debuit ergo antiquiſſimis Chriſtianis carus eſſe, & inter eorum manus verſari; atque illius idcirco debuit ſaltem aliquando apud primos Eccleſiæ Scriptores fieri mentio.

Hæc quidem cùm ab æquioribus Areopagiticis negari non poſſint, alio reſponſionem ſuam derivant, aiuntque in veterum Auctorum more non fuiſſe; ut ad ſuorum dogmatum confirmationem aliorum teſtimonia adhiberent: *Niſi id hæreticorum pertinacia ab ipſis extorqueret: immo adverſus fidei hoſtes certamen ex ſolis divinarum litterarum teſtimoniis inſtruebant. Hinc .... nec Athanaſius ipſe Patrum auctoritatibus ad Arianorum debellationem uſus eſt*, &c.

Si res ita ſe habeat, urgent eorum adverſarii, profecto Dionyſius Areopagita Operum, quæ illi tribuuntur, Auctor dici non poteſt. Ille ſiquidem non ſolum plura magiſtri ſui fragmenta deſcripſit; ſed aliorum etiam citat auctoritates, ſententias & verba, puta, Ignatii, Juſti, Bartholomæi, Clementis Philoſophi, nec non Carpi viſionem. Quid plura? Aliorum etiam opiniones refert, ac eas quas veriores eſſe putat, ipſe amplectitur.

Præterea autem, cur Irenæus, Tertullianus, aliique Patres variis Dionyſii Areopagitæ, ſicut & aliorum deceſſorum ſuorum teſtimoniis adverſus ſui temporis hæreticos non utuntur? Numquid hæreticorum pervicacia hæc poſteriorum teſtimonia

magis quam Dionysiana ab ipsis extorquebat? Numquid ad eos confutandos minus ponderis aut efficacitatis habebat Dionysii Areopagitæ quam aliorum auctoritas?

Caput VI.

Aliud Antiareopagiticorum argumentum, ex Eusebii & Hieronymi silentio petitum, examinatur.

Sed age, atque Areopagiticorum adversarios contra propositam eorum traditionem acrius urgentes audiamus. Dicunt itaque quod scripta Dionysii quamvis omnibus aliis Scriptoribus fuissent incognita; illa tamen summam Eusebii, qui tot Bibliothecarum & Ecclesiarum, maximeque Atheniensis, ubi summa cura adservari debebant, scrinia perlustraverat, qui in inquirendis antiquiorum Operibus nulli pepercerat labori, diligentiam minime fugere potuerint. Atqui omnia Auctoris nostri scripta Eusebio nota non fuisse inde patet, quod eorum nullibi umquam fecerit mentionem.

Baronius & scientia & purpura eminentissimus negaverat quidem scripta Dionysii Eusebio fuisse penitus incomperta. Cur autem de iis Eusebius tacuerit, si ab eo quæsieris, respondet illum vafri versutique animi Scriptorem, cùm Arianam hæresim, cui favebat, his libris destrui videret, eos doloso fraudulentoque silentio prætermisisse. Verum hæc doctissimi viri responsio Haloixio Areopagiticorum acerrimo defen[illegible]

Quæst. 2. de Oper. S. Dionys. eam non sine fastidio h[illegible]
quod aliqui dicu[illegible]
puto. Quid en[illegible]

divinitate, quod non multo clarius in scripturis sacris contentum sit ...... nec beatum Irenæum Filii cum Patre æternam coexistentiam clarissime professum citaverunt. His autem addi potest, quod honorifica non solum Irenæi, sed etiam Clementis Alexandrini, aliorumque plurimorum, quos Arianæ hæresi contrarios esse Bullus ostendit, apud Eusebium fiat mentio.

Quapropter contendunt alii ex illo Eusebii de Dionysii operibus silentio nihil certi colligi posse; quandoquidem ille plures alios Scriptores & scriptis & doctrina celeberrimos, atque in primis Athenagoram, qui eximiam christianæ religionis Apologiam, & de mortuorum resurrectione librum ediderat, tacitus prætermisit. Quod si dixeris scripta Dionysii & auctoris nomine, & suo numero, ac ipsis quæ tractantur, argumentis longe cæteris omnibus sæpius transcribi debuisse, variisque in locis multiplicari; responsum confestim accipies Athenagoræ libros, licet forsan breviores, qui à Christianis tamen describerentur & multiplicarentur non minus dignos videri. Verum opponunt Antiareopagitici quædam in scriptis Dionysii occurrere, nimirum de sacris scripturarum libris, de solis, moriente Christo, defectione, de obdormitione B. Mariæ Virginis [illegible] bene multa, quæ si in Eusebii notitiam [illegible] ab eo numquam [illegible] mitti potuerun[illegible] Idem nonn[illegible] onymi, præfe[illegible] de Scriptori[illegible] ticis, silent[illegible] [illegible] iunt [illegible] concludun[illegible] [illegible] cognitas f[illegible] [illegible] s. Quasi [illegible] uerit Hi[illegible]

tii ratio; nimirum de iis tantum Scriptoribus, quos Eusebius commemoravit, disputare constituerat. Sed id certis rationum firmamentis ab ipsis erat muniendum. Etenim aliam sibi fuisse mentem idem ipse Hieronymus aperte testatur, dum ingens inter se & eos qui de Scriptoribus prophanis catalogos ediderunt, discrimen intercedere his verbis significat: *Illi veteres historias annalesque replicantes, posuerunt quasi de ingenti prato non parvam opusculi sui coronam texere. Ego quid acturus sum, qui nullum prævium sequens, pessimum, ut dicitur, magistrum memetipsum habeo: quamquam Eusebius Pamphili in decem Ecclesiastica Historiæ libris maximo nobis adjumento fuerit.* Ibi enim non obscure declarat, se nullum prævium magistrum habuisse, atque Eusebium ipsi tantum maximo fuisse adjumento. Et re quidem vera sanctus ille Doctor quorumdam Auctorum meminit, quorum nulla exstat apud Eusebium commemoratio.

De Scriptor. Eccles.

At contra eos qui hæc Opera Dionysii esse negant, validius forsitan telum inde torquetur, quod eorum nonnulli illa ante Hieronymi ætatem edita esse fateantur. Hinc quippe conficitur eadem Opera Hieronymo, quamvis de iis tacuerit, potuisse nota fieri. Verum illi hoc telo minime se feriri arbitrantur; quippe qui paulo ante Hieronymi ætatem ea prodiisse adserant. Quapropter, inquiunt, Opera illa in Hieronymi notitiam non venerunt, atque in eorum numero sunt censenda, de quibus ille hunc in modum disserit: *Si qui autem de iis qui usque hodie scripti sunt, à me in hoc volumine prætermissi sunt, sibi magis quam mihi imputare debebunt. Neque enim celantes scripta sua, de his quæ non legi, nosse potui; & quod aliis forsitan sit notum,*

Ibidem.

mihi in hoc terrarum angulo, fuerit ignotum. Certe cùm scriptis suis claruerint, non magnopere nostri silentii dispendia suspirabunt.

Contra verò Areopagitici suum adversariis ita retorquebunt argumentum. Numquid hæc eadem scripta, quæ ipsis fatentibus, statim atque emissa sunt in lucem, omnibus notissima esse cœperunt, soli Hieronymo incognita fuere? Sed nequidquam clamant alii, id retorquetur. Certum quippe est, inquiunt, scripta Dionysii non ab omnibus eodem modo eodemque tempore agnita. Atque inde concludunt Hieronymo, in angulo terrarum suum cùm exararet librum, delitescenti, nihil quidquam de iis recentissime publicatis fuisse compertum.

Caput VII.

De iis Scriptoribus, qui post publicata Opera Dionysii, ea dubia aut adulterina esse putaverunt.

Aliud contra Areopagiticorum traditionem momentum est, quod illa tam alto tamquàm diuturno tot Scriptorum de Dionysii scriptis silentio non solùm capite imminuta sit; verum etiam inde concutiatur quòd ex eo tempore, quo scripta illa pro Dionysianis haberi cœperunt, inventi sint identidem Auctores aliqui, qui id præfractè negaverunt. Atque id primum probari posse putant ex Hipatio, qui in Collatione Constantinopolitana Severianis, Operum Dionysii auctoritatem objicientibus, sic respondet: *Illa testimonia, quæ vos Dionysii Areopagitæ esse dicitis, unde potestis ostendere vera esse, sicut suspicamini; si enim ejus*

erant, non potuissent latere beatum Cyrillum. Quid autem de beato Cyrillo dico? quando beatus Athanasius si pro certo scisset ejus fuisse, ante omnia in Nicæno Concilio de consubstantiali Trinitate eadem testimonia protulisset adversus Arii diversæ substantiæ blasphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus est ea, unde nunc potestis ostendere, quia illius sint, nescio. Ex his Hipatii verbis, catholicorum nomine prolatis, duo colliguntur. Primum quidem nullam apud antiquos horum Operum factam mentionem. Atque ex illa porro Hipatii auctoritate priori argumento, ex silentio antiquiorum petito, non parum accedit roboris & firmamenti. Secundum vero, viros sexti sæculi peritissimos in ea fuisse opinione hæc Opera adulterina esse, & falso Dionysii Areopagitæ nomine inscripta.

Sæculo sequenti divus Maximus, acerrimus eorumdem Operum defensor, fatetur illa à quibusdam Apollinari, ab aliis Dionysio Alexandrino adtribui.

Sæculo nono Theodorus Presbyter, teste Photio, librum quo eadem Opera genuinum Dionysii fœtum esse probaret, conscripsit. Sed cur, amabo, ad ea Dionysio adserenda stylum convertit; nisi quia de illis inter eruditos quæstio erat & controversia? Quid vero quod Photius ipse ex hoc libro quatuor tantum descripsit argumenta, quibus potissimum illa Opera Dionysio supposita esse demonstrabantur? Inde enim quidam inferunt Photium ipsum eidem sententiæ subscripsisse. Et certe Possevinus, etsi Areopagiticorum adsertor, de ea Photii opinione sic pronuntiat: *Opera B. Dionysii, ut pseudepigrapha videntur ab eo notari.*

Apparat. sac. v. Photius.

Denique sæculo decimo quinto & sequentibus,

ubi hæc quæstio diligentius agitari cœpit; critici doctiores, paucissimis tandem exceptis, omnia hæc Opera Dionysio Areopagitæ plane penitusque abjudicarunt.

His omnibus reclamant Areopagitici, aiuntque Opera Dionysii in Collatione Constantinopolitana fuisse primum quidem repudiata; sed ubi Patres rem examinarunt maturius, illa eadem tamquam vera & germana tanti viri scripta ambabus ulnis amplexati sunt. Quod ad cæteros adtinet, ii certe, inquiunt, paucissimi per tot sæculorum intervalla occurrunt; nec illi proculdubio cum tot Conciliorum & Sorbonæ decretis, summis Pontificibus, Patribus, aliisque, qui hæc scripta Dionysio adjudicant, aut numero, vel eruditione, vel auctoritate comparandi, multo minus anteponendi videntur. Quod si & summos Pontifices & Patres aliosque omnes & cæcitatis & erroris arguere audeas, nonne præstat cum tot tantisque viris, in errorem, si ita loqui fas est, induci, quam quorumdam criticorum, forsitan audaciorum, opinionem illorum præferre judicio?

Instant tamen adversæ partis sectatores omnem hujus responsionis quantumlibet ponderis habere videatur, vim roburque duplici ex causa omnino frangi & debilitari. Primo quidem quia objecta Auctorum traditio nec perpetua est, nec constans; quippe quæ, uti probavimus, per priora post Dionysii ætatem sæcula, quod primum præcipuumque requiritur, omnino deficiat. Secundo neque Concilia neque summi Pontifices, lege aliquando latâ, hæc Opera germanum Dionysii Areopagitæ opus esse sanciverunt: sed illa eo dumtaxat nomine, quo inscripta erant, laudasse perhibentur.

Nulla ergo temeritatis nota iis inurenda esse videtur, qui omnibus utriusque partis rationibus æqua lance ponderatis, opinioni illi, quam probabiliorem judicant, adhærendum esse censuerint.

Porro ad decreta Sorbonica à nobis jam citata, quod adtinet, negari quidem non potest posteriore adversus Erasmum edicto, illum aliosque perstringi, qui spreta clarorum virorum, idest, antiquorum Patrum auctoritate, omnia Dionysii nostri Opera temerario & imprudenti novitatum studio, Areopagitæ plane penitusque abjudicabant. At priore contra Lutherum decreto, is ea potissimum de causa, & meritissimo quidem jure condemnatur, quod impietate impudentiaque intolerabili, non solum usurpatam ab Auctore nostro ex sui temporis ingenio & more scribendi methodum; sed traditam quoque ab ipso orthodoxæ fidei doctrinam vir audacissimus conculcare & pessumdare ausus sit. Hæc ergo Sorbonæ decreta inquiunt Antiareopagitici, nullam censoriæ severitatis notam iis inurunt, qui salvo semper debito Patribus honore & reverentia, nec temere, sed ratione & judicio; nec ullo novitatis studio, sed sincero veritatis amore, ab antiqua plurium, sed non omnium opinione recedunt.

Caput VIII.

Argumenta ex ipsis Auctoris Operibus desumta expenduntur; ac primum argumenta Areopagiticorum.

Excusum est hactenus primum argumenti genus, quo Dionysii Opera ipsi aliorum auctoritate vel adseruntur, vel abjudicantur; nunc ad

ſecundum, quod ex ipſiſmet illius Operibus petitur, examinandum accedamus. Illud autem utriuſque partis fautores pro ſua quique opinione militare arbitrantur. Et primo quidem, ſi Areopagiticis credas, materia Operum, ſtylus, locutio, ac denique ſcriptionis tempus, non alium eorum, quam Dionyſium Areopagitam parentem eſſe produnt. Materies namque ſeu argumentum lucubrationum Deus eſt, Trinitas, Angeli, Eccleſia, Eccleſiæ miniſtri, ſacramenta, quæ ſubtilem Philoſophum, magnumque Theologum, in ſublimiſſimo argumento verſantem arguunt & indicant. Stylus autem & locutio viri eſt in rebus divinis & ſacris meditandis exercitati, qui voces novas ac ſingulares ad rerum, cæteroqui inexplicabilium, adumbrationem fingere & componere coactus eſt. Tempus denique ſcriptionis auctorem Apoſtolis ipſis, eorumque diſcipulis coævum aperte demonſtrat. Etenim ille ſe ſolis, Chriſto patiente, defectionem vidiſſe, ac poſtea Pauli & Hierothei diſciplinæ traditum, deinde cum Apoſtolis exſequiis & funeri ſacræ Virginis Mariæ interfuiſſe, ac tandem ad Johannem Apoſtolum in inſula Patmos exſulantem litteras dediſſe profitetur. Atqui hæc omnia neque Dionyſio Corinthio, neque Dionyſio Alexandrino, neque ulli alii Dionyſio, niſi Areopagitæ conveniunt. Ille ergo ſolus horum Operum, quæ nomen ejus in manuſcriptis omnibus cum græcis, tum latinis præfixum habuerunt, parens & auctor dicendus eſt. Et certe nefas eſſe videtur iſtum Auctorem in fœdiſſimi mendacii, fallaciæ, & ſacrilegæ ſimulationis ſuſpicionem vocare; quando quidem ſcripta ejus non ſolum ubique ſanctitatem ſpirant, ſed ea etiam cùm

in Monasterium, ejus nomine dicatum, adsportarentur, variis infirmitatibus in tanti viri honorem applicata, multis divinitus honestata sunt miraculis.

Qui stant ex adversa patte, respondent materiam Operis ab alio æque ac Dionysio Areopagita tractari potuisse: stylum autem & locutionem Dionysii Areopagitæ his in scriptis deprehendi plane penitusque inficiantur. Fatentur quidem Auctorem nonnulla iis inseruisse, quibus se Apostolorum temporibus vixisse, & Pauli discipulum fuisse incautis simplicioribusque persuaderet: sed contendunt plura in iisdem Operibus imprudenter ab eo adjecta, quibus ea longe post Apostolorum & Dionysii Areopagitæ ætatem prodiisse invicte demonstratur. Utrum autem id, uti opinantur, certis rationum momentis evincant, à nobis est accurate ponderandum.

CAPUT IX.

Argumenta Antiareopagiticorum examinantur; & primum quidem inde ductum, quod libri Timotheo inscribantur.

PRIMUM Antiareopagiticorum momentum ex ipsa librorum, qui Timotheo nuncupantur, inscriptione ducitur. Auctor enim noster in libro *de Divinis nominibus* epistolam Ignatii Antiocheni Episcopi, uti infra dicetur, & laudavit, & ipsissima illius verba retulit. Ergo, inquiunt, hi libri Timotheo, qui dum ea Ignatii epistola data est, jam mortem obierat, non potuerunt inscribi.

Hic non minimæ difficultatis nodus Areopagi-

ticos plurimum torsit, atque ut ab eo se expediant, varias se vertunt in partes. Nonnulli cum Baronio opinati sunt hunc Timotheum non eum esse, qui Pauli discipulus fuit, sed alium quemdam juniorem, Pudentis Senatoris filium, cujus nomen in Romanum Martyrologium, & in SS. Perpetuæ & Felicitatis Acta refertur. Alii è contrario Timotheum illum verum Pauli discipulum fuisse adserunt, & Baronii opinionem his impugnant rationibus. 1. Omnes ante Baronium Scriptores cum Græci tum Latini in ea fuerunt sententia. 2. Auctor noster tradit Timotheum Episcopali dignitate inauguratum, atque ab eo Opera sua vult examinari & castigari. 3. Idem in Epistola ad Titum, quem Baronius aliique Areopagitici discipulum & comitem Pauli fuisse concedunt, ejusdem Timothei meminit. 4. In omnibus manuscriptis codicibus Timotheus ille Ephesinum Episcopatum, cui discipulus Pauli præfuit, tenuisse memoratur. 5. Denique Auctor noster, uti diximus, se Apostolorum, ejusdemque proinde Timothei temporibus vixisse jactitat. His autem rationibus & illud quoque refellitur, quod post Pseudodextri Chronicon propugnat Bivarius, hunc Timotheum non alium esse, quam Eugenium Toletanum, cui propter ingenii excellentiam nomen Timothei impositum est.

Sed horum vicissim Areopagiticorum momenta inde haud difficilius evertuntur, quod Evangelium & Apocalypsin Johannis Apostoli atque Ignatii epistolam, quæ post Timothei mortem edita sunt, in Auctoris nostri scriptis, ut infra dicemus, clare nominatimque citentur. Enimvero sola Ignatianæ epistolæ verba, quæ ab eo vere transcripta,

nec in textum ejus intrusa esse demonstrabimus;
id aperte evincunt.

Addit Baronius quod Timotheus ille ab Auctore nostro sæpe παῖς, puer vocatur. At Timotheum, Pauli discipulum, à Dionysio Areopagita eo nomine compellatum esse nulli vero videbitur simile: *Nam Episcopus*, inquit Baronius, *Coepiscopum nominare consuevisse fratrem, non filium mille exemplis esset facile demonstrare*. Hujus argumenti difficultates ut solvant alii Areopagitici, varias congerunt responsiones. Et primo quidem dicunt Timotheum sic vocari; quia ille ad quem Paulus sub Nervæ imperio his verbis scripsit: *Nemo adolescentiam tuam contemnat*, Dionysio Areopagita junior esse videtur. 2. Timotheus in Philosophia & sæculi disciplina, cujus rudior erat, atque etiam in sublimiore Theologia Dionysium habebat pro magistro, & illum absens consulebat per litteras. 3. Cùm Timotheus satis esset natura timidus & pusillanimis, non tantum doctore scientiæ, sed etiam magistro virtutis & constantiæ indigebat.

Ad annum 109. §. 51.

1. Timoth. cap. 2.

Verum quo umquam exemplo probabitur Episcopum ab alio Episcopo ideo puerum vocari, quod ille in philosophia & sæculi disciplina sit rudior. Deinde quo itidem argumento persuadebis Timotheum in iis scientiis fuisse Dionysio rudiorem? ac eum in subtiliore Theologia habuisse pro magistro? Certe Dionysius illum tanta eruditione præditum agnovit; ut perfectiores ejus cognitiones secum communicari, & scripta sua ab eo emendari voluerit: *Illud quoque*, inquiebat Dionysius, *pontificia tuæ scientiæ commemorabimus*. Et alibi: *Communica igitur & tu mihi perfectiorem illustrationem*, &c. atque alio in libro: *Erit huma-*

Lib. de Cal. Hierar. cap. 9.
Lib. de Eccles. Hierar. cap. 7. §. 11.

nitatis tuæ corrigere non sponte ignorantem, rationesque suggerere discere cupienti. Lib. de Divin. Nomin. cap. 11. §. 4.

Scimus quidem Dionysium à Timotheo de re quadam Theologica fuisse aliquando interrogatum, ut hunc in modum ille testatus est: *Sed quia alias me per epistolam interrogasti, quid appellem per se esse, per se vitam, per se sapientiam, & tecum ais dubitasse quomodo Deum aliquando voco per se vitam, aliquando vero effectorem vitæ.* Lib. de Divin. Nomin. cap. 11. At quis inde meritò inferat Timotheum in philosophicis rebus Dionysio rudiorem, eum in Theologicis habuisse pro magistro? Numquid quia Augustinus Hieronymum, atque alii Episcopi alios Episcopos de rebus Theologicis, vel, si velis, philosophicis, consuluerunt, iis rudiores, eorumque discipulos, aut ab illis filiorum nomine vocatos fuisse dicendum est? Hæc certe nullus umquam dixit, sed nec somniavit umquam.

Quis autem sibi persuadeat Timotheum adeo natura fuisse timidum & pusillanimem; ut ille magistro virtutis & constantiæ indiguerit, quem Paulus laborum, itinerum, periculorum, suppliciorum comitem habuit, quem Paulus ad alios confirmandos misit: *Misimus*, inquit idem Paulus, *Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Evangelio Christi, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestra; ut nemo vestrum moveatur in tribulationibus.* 1. Thessal. 2. 3. Siccine ergo mittendus erat, ad alios in tribulationibus confirmandos & exhortandos, homo naturæ timidæ, & pusillanimis?

Restat igitur, ut Timotheus idcirco puer dicatur, quod Dionysio ætate fuerit junior. Et id quidem confirmari potest, quod Ambrosius, uti olim observabamus, Constantium Episcopum filii nomine

Ambr. epist. 2. novæ Edit. appellaverit: *Commendo tibi, fili, Ecclesiam, quæ est ad forum Cornelii.* Verum Timotheus ante Dionysii conversionem non solum christianæ religioni nomen dederat, sed Pauli quoque discipulus erat, & comes. Deinde cùm Dionysius scripta sua elucubraret, annum, ut diximus, nonagesimum, vel forsitan centesimum debuit adtingere, nec Timotheus tunc octogenario minor erat. Fac tamen eum septuagenarium, vel etiam sexagenarium tantummodo fuisse; numquid Episcopus nonagenarius alium tam provectæ ætatis Episcopum, qui jam ante eum christanam religionem amplexatus, & deinde Pauli Apostoli comes & discipulus fuerat, nomine filii appellasse credendus est? Neque ad id ullo modo facit Ambrosii exemplum; quandoquidem Constantius inter Clericos Mediolanenses sub ejusdem Ambrosii magisterio educatus, cùm ad eum scripsit idem Ambrosius, in Episcopum recens adsumtus fuerat.

Instant aliqui Christum discipulos suos vocasse Joan. 21. 5. pueros: *Pueri, numquid pulmentarium habetis.* Adunt Clementem Alexandrinum omnes universim christianos eodem nomine appellasse; quoniam christiani ob morum simplicitatem & suavitatem hoc se invicem puerorum nomine vocitabant. Sed id omnino leve est & infirmum. Nam Episcopo fas non erat alium Episcopum eodem modo ac Christus discipulos suos vocabat, adloqui & appellare. Clemens vero non idcirco christianos pueros nominat, quod ii hac mutua appellatione se se invicem adloquerentur: sed quia ille libro suo Pædagogi titulum indiderat. Porro autem etsi christiani se se invicem pueros vocarent, non ii tamen in scriptis suis aliquem provectæ ætatis hominem,

scientia, dignitate, virtutibus celebrem, & Episcopatu auctum, eo nomine appellasse leguntur.

Caput X.

Examinatur secundum argumentum ex Scriptoribus sacris, qui ab Auctore nostro citantur, desumtum.

Jam vero si ab librorum inscriptione ad eorum lectionem transeamus, occurrent passim Scriptores ab Auctore nostro citati, qui eum Areopagitam non esse satis aperte demonstrare videntur. Ille enim eumdem, qui nunc ab omnibus recipitur, sacrum divinæ scripturæ canonem exhibet & repræsentat. Atqui canon ille Scripturarum Dionysii tempore nondum erat perfectus & obsignatus. Apocalypsin namque, epistolam Pauli ad Hebræos, secundam Johannis, & epistolam Judæ, quas ille hunc refert in canonem, ab eodem plurimi excludebant. Deinde Johannes Apocalypsin suam, cùm in insula Patmos exsularet, id est, circa annum Christi 94. vel. 95. edidit: Evangelium vero post suum, ut plures arbitrantur, ab eodem exsilio reditum, hoc est, non ante annum 98. His adde libros illos à Dionysio non ut novos, recenterque editos citari. Unde concludunt eum vix ante annum Christi centesimum scriptis suis manum admovisse. At tum ille annum ætatis suæ nonagesimum agebat; quippe qui Christo patiente, ut solis eclipsin observaret, annos quinque supra viginti explevisse credatur. Quis autem sibi facile persuadeat virum ab ineunte juventute eruditissimum ad libros conscribendos tunc animum

appulisse, cùm ipse nonagenarius esset, & senio confectus.

Sed his rationibus minime de sententia sua moventur Areopagitici. Non enim diffitentur diu quidem de librorum canonicorum numero fuisse disputatum: sed negari nequaquam posse aiunt; quin sicut nonnulli quosdam libros ex sacro canone rejiciebant, ita etiam quidam alii eos omnes, qui in eumdem canonem nunc adscribuntur, pro canonicis habendos esse putaverint. Neque enim quoddam aliquando tempus fuisse dici potest, quo omnes cum Ecclesiæ, tum christiani libros quosdam Scripturæ in sacro canone non censuerint esse numerandos. Quid ergo prohibet quominus Areopagita his præbuerit adsensum, qui sacro canone eos omnes libros, qui nunc adsignantur, contineri pro certo habebant?

Quod ad Johannis Evangelium pertinet; si plures è doctioribus criticis illud ab Apostolo post reditum suum ab exsilio, scriptum arbitrantur; non desunt etiam, qui & illud antea exaratum esse adserant. Sed quovis tempore scriptum esse dicatur, nihil vetat, inquiunt Areopagitici, quò minus illud ipsum atque etiam ejusdem Johannis Apocalypsis citari potuerint à Dionysio, qui centenario major sub Trajani, vel juxta alios sub Hadriani Imperio vitam cum morte commutavit.

Fatendum quidem est quod si hoc Dionysianæ mortis tempus certis rationum momentis posset confirmari, omnis proculdubio solveretur hujusce difficultatis nodus. Sed contendunt Antiareopagitici Dionysium post Domitiani Imperatoris tempora vitam non produxisse. Quod ita certum esse dicunt; ut non solum accuratioris criterii Au-

ctores, sed eorum etiam qui scripta Dionysio Areopagitæ vindicant, non pauci huic opinioni subscripserint. Cæterum cùm tempus Dionysianæ mortis, eâ quæ tollat omnem difficultatem, evidentiâ demonstrari nequeat; eo certe argumento non revincentur omnes Areopagiticorum animi.

Quapropter nec apud eos plus valebit & alia similis argumentatio, inde petita, quòd in librorum manuscriptorum omnium titulis Auctor noster Episcopus Atheniensis inscribatur. Neque enim ullus certa omnino, ac plane evidenti probatione demonstravit, quamdiu Dionysius Athenienſem tenuerit Episcopatum, aut quo tempore sive spontanea abdicatione, sive morte sua illum tandem reliquerit. Incertum igitur Areopagiticis videbitur num Dionysius post editos à Johanne Apocalypsis & Evangelii libros, Atheniensi Episcopatui nuntium non remiserit. Hæc itaque probationum firmamenta apud eos tantum vim habebunt, qui soli veritati litantes, illas Dionysianæ historiæ difficultates, sepositis partium studiis, enodare conabuntur.

CAPUT XI.

Secundum argumentum ex citata divi Ignatii Episcopi Antiocheni, auctoritate petitum.

GRAVIUS sane contra Areopagitæ defensores eruitur argumentum ex epistola Ignatii Episcopi Antiocheni ad Romanos, quam Auctor noster citat in hunc modum: γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ιγνάτιος· ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται: *Scribit autem & divus Ignatius: Amor meus crucifixus est.* His autem verbis non *Lib. de Div. n. Nomi. cap. 4. §. 12.*

laudatur aliquid ab Ignatio dictum, sed scriptum; quod nullibi, nisi in ea, quam citamus, epistola, invenire est. Atqui hæc epistola ab ipso cùm ad martyrium duceretur anno Christi, ut suprà ostendimus, 107. aut 108. fuit exarata. Porro autem ea neque tam cito in manus Dionysii venire potuit, neque ille eam ut novam, & à paucis cognitam, sed ut receptam ab omnibus citat, verbaque ejus transcribit. Hinc ergo concludas necesse est Dionysii librum *de Divinis nominibus* non ante annum 110. emissum in lucem.

Respondent quidam Areopagitici Dionysium post Ignatii mortem vitam suam produxisse; proindeque epistolas ejus ab illo potuisse laudari. Sed illi de soliditate hujus responsionis, quam cum ejusdem Dionysii in Gallias adventu conciliare non possunt, penitus diffidentes, ad aliam statim confugiunt, aiuntque Dionysium scripta sua in Græcia quidem edidisse; sed ea postmodum ab ipso in Galliis ita recognita, atque retractata; ut iis ex Johannis Evangelio & Apocalypsi, atque ex Ignatii epistola plura testimonia addiderit. Verum id gratis omnino fingitur. Nam si Opera Dionysii ab eo in Galliis fuissent recusa, ille procul dubio, in populi sui aliorumque solatium curasset ea in Latinam linguam verti & publicari, & plurimi eorumdem Operum inventi fuissent in iis regionibus, & Latini & Græci codices, manu exarati. Nulli tamen ibi umquam reperti sunt: sed priores ex Oriente adsportati, græcè scripti erant; nec latinam eorum versionem, ea quæ à Johanne Scoto edita est, antiquiorem habemus. Deinde nullus umquam Opera sua recensuit, ac in eorum recognitione plura adjecit nova; quin de

de his lectores alicubi monuerit suos. Nullibi tamen apud Auctorem nostrum exstant hujusce admonitionis vestigia vel notæ.

His igitur responsionibus ab aliis Areopagiticæ opinionis fautoribus vel spretis vel omissis, audacter adfirmant citata Ignatianæ epistolæ verba, ab aliquo insciente & rerum ignaro impudenter & inepte intrusa in Dionysii textum. Quod quidem pluribus momentis demonstrari posse arbitrantur. Primum quia nihil ad Dionysii argumentum faciebat præfata Ignatii auctoritas. Probat siquidem Dionysius vocem ἔρως, *amor*, apud sacros Auctores in bonam partem accipi; verum eadem vox in epistola Ignatii pro concupiscentia amoreque terrestri usurpatur. Secundò, quia hac pericope & sententiâ Ignatii demtâ, melius sibi cohæret Dionysii oratio. Tertio testimonium illud Ignatii inter media sacræ scripturæ testimonia omnino inepte collocatur. Certe prudentior Dionysius & post omnia divinæ Scripturæ testimonia, atque etiam post allatas à se ibidem Hierothei magistri sui auctoritates ei locum dedisset suum. Denique periodus quæ hanc Ignatii sententiam præcedit, falsitatem continet putidissimam, & auctore tam erudito prorsus indignam. Hæc autem periodus his verbis concipitur: *Visum est quibusdam nostris sacrarum Scripturarum tractatoribus nomen* ἔρωτος amoris, *divinius esse, quam nomen* ἀγάπης dilectionis. At hoc inquiunt, falsissimum est. Nam si nomen *amoris*, ἔρωτος, divinius esset, quam nomen *dilectionis*, ἀγάπης, scriptores sacri eo proculdubio frequentius uterentur. Atqui vox ἔρως in novo Testamento, ubi vox ἀγάπη plusquam nonagies occurrit, nec semel quidem reperitur: in veteri **Epist. ad Roman.**

autem creberrime legas vocem ἀγάπης; bis vero tantummodo vox ἔρως, in Proverbiorum libris, ad amorem impurum & prophanum significandum adhibetur. Unde concludunt & phrasim præfatam, atque ipsam Ignatii sententiam, in Dionysii libros fuisse à quodam male feriato homine intrusas.

Proverb. 7. 18. & 30. 16.

Sed hanc Areopagiticorum opinionem ejusque firmamenta inde convellunt adversarii, quod nullus umquam inventus sit codex manu exaratus, in quo illa Ignatii verba in textu Dionysiano eadem manu, ac cætera omnia, descripta non reperire sit. Quidquod hæc eadem verba ab Auctore Prologi Homiliarum in Cantica, quem Areopagitici Origenem esse fatentur, pro vere Dionysianis, & eodem atque ab Auctore nostro, sensu citata legimus. Nihil ergo Origenes in iis invenit, quod non esset veritati consonum, recto ordine digestum, & ad ea, quæ Dionysius intendebat, probanda aptum omnino & conveniens.

Porro autem ex hac Origenis seu Auctoris harum Homiliarum auctoritate ruit primum Areopagiticorum momentum. Putavit enim ille, ac etiam alii post eum Areopagitici nomen ἔρως ab Ignatio in bonam partem accipi. Potuit ergo & Auctor noster in eadem esse opinione, atque eo sensu quem verum genuinumque esse putabat, hanc citare Ignatii sententiam. At inquies, hoc falsum est omnino. Falsus est ergo Origenes, falsi sunt & alii. Porro si in hoc eos errasse dixeris, quidni & errare potuit Dionysianorum Auctor Operum? Illos tamen non errasse hinc non absurde conjicias, quod nomen ἔρως in iis, quæ citantur Ignatii verbis, pro amore spirituali & divino

possit usurpari, quamvis in subsequentibus, quæ inde Auctor noster intulit, pro concupiscentiæ igne exstincto accipiatur.

Quod autem objicitur, hac periodo demta, Dionysianam orationem melius sibi cohærere, leve omnino est, nulliusque momenti. Idem quippe dici potest de aliis Auctorum libris, in quibus plura ad aliquid probandum congeruntur testimonia antiquiorum. Uno enim & altero sublato, melius quoque Scriptoris oratio sibi cohærere plerumque videbitur. Deinde si quoties deleta aliqua periodo, oratio sibi melius cohærere censetur, toties eamdem periodum textui Auctoris dixeris esse adjectam, tot in Patrum, atque in primis Auctoris nostri Operibus, dici deberent adsuta & supposititia; ut hæc objecisse Areopagiticos aliquando pœniteret.

At inquiunt, Dionysius non poterat testimonium Ignatii aliis sacræ scripturæ testimoniis medium interjicere; sed illud suo, id est, ultimo posuisset loco. Nec majoris ponderis est ista argumentatio. Quis enim Scriptores his citandorum librorum legibus ita teneri credat; ut ab iis non liceat umquam transversum unguem discedere? Hæc si ita se habeant, quot, bone Deus, occurrent testimonia veterum in variis posteriorum Scriptorum libris ab inscientibus & ignaris impudenter intrusa, & ex iis deinceps delenda erunt? Quot namque Scriptores de ea, quæ nunc desideratur, citandi methodo ne cogitaverunt quidem? Quot in eorum Operibus permista reperies Scripturæ Patrumque antiquiorum testimonia?

Nec erat sane quod fastidiosius objicerent periodum, quæ hanc Ignatii sententiam præcedit,

falsitatem continere putidissimam. Etenim eo quo enuntiatur modo, nihil in ea nisi verissimum deprehenditur. Hæc quippe ipsissima sunt, ut superiùs dictum est, Auctoris nostri verba: *Visum est quibusdam nostris sacrarum Scripturarum tractatoribus nomen* amoris *divinius esse, quam nomen* dilectionis. *Quibusdam* dixit non omnibus. At *quibusdam* ita visum fuisse tam constanter putabat; ut Scriptores & scripta, ubi id traditum est, ille continuo indicaverit. Et certe qui hæc objiciunt, & ipsi fatentur illud nomen *amoris*, in aliis quam iis qui ab Auctore nostro citantur, inveniri Scripturæ sacræ libris.

CAPUT XII.

Tertium argumentum ex aliorum Operibus, atque opinionibus ab Auctore nostro citatis deductum.

NEQUE porro sola ab Auctore nostro citata Ignatii auctoritas, sed etiam Bartholomei, Justi, Hierothei præceptoris sui prolata ab illo testimonia, ipsum Dionysium Areopagitam non esse demonstrare videntur. Verum enim vero ubinam gentium exstiterunt aliquando illa, quæ citat, tantorum virorum Opera? Quis ea umquam præter Auctorem nostrum laudasse perhibetur? Quomodo ea Eusebii accuratissimi antiquissimorum scriptorum scrutatoris, aliorumque omnium diligentiam fugerunt? Numquid unius Apostoli, & duorum Apostolicorum hominum scripta, tam cito perierunt; ut nulla eorum, nisi apud Auctorem nostrum, mentio habeatur? Certe Hierothei, qui Dionysii Areopagitæ magister, & Pauli Apostoli

discipulus fuisse dicitur, cujus pietas & doctrina summis extolluntur laudibus, tanti, inquiunt, viri Opera omnia à Dionysio saltem & Timotheo publicari, & de eorum manibus in Christianorum omnium manus venire, ipsisque summo esse in pretio, ac in Ecclesiarum scriniis, & Episcoporum Bibliothecis adservari debebant. Cur ergo hujus summi viri, qui μέγας ἥλιος appellatur, Opera tantis tenebris, tantaque oblivione obruta sunt; ut nullum eorum, nisi in Auctoris nostri scriptis vestigium supersit? Quid quod & ipsa Hierothei testimonia non alio quam Auctoris nostri stylo exarata videntur. Idem enim in utrisque & ingenium & locutio, cæteraque omnia sibi plane similia legentibus prima fronte occurrunt. Ex quibus non temeraria prorsus conjectura capitur libros Hierothei numquam, nisi in Dionysianis lucubrationibus, editos in lucem.

His addi potest quod Auctor noster non solum plura incognitorum hominum producat testimonia, sed varias etiam doctorum hominum opiniones ita referat; ut iis tantummodo, quas vero propiores esse existimabat, se adhærere testetur. Ubi enim de Seraphim quod ad Isaiam missum est, disserit: *Nonnulli*, inquit, *juxta adsignatam de omnium intelligentiarum communione definitionem aiunt ..... Alius item haud admodum incongruam mihi tradidit solutionem. Aiebat enim*, &c. Et de hymno, qui in Missa Fidelium cantabatur: *Hunc autem hymnum alii laudis canticum, alii religionis symbolum, alii denique, mea quidem sententia, Hierarchicam Eucharistiam*, &c. Et de Seraphinorum alis: *Senas alas, quas eloquia commemorant, non existimo sacrum numerum denotare, ut qui-*

De Cælest. Hierarch. cap. 13.

De Ecclesiast. Hierarch. cap 13.

Ibidem cap. 4.

busdam placuit, sed ipsas virtutes. Denique, ut cætera taceamus, de electione sancti Mathiæ hæc habet: *Cùm autem de divina illa sorte, quæ divinitus super Mathiam cecidit, alii ab aliis meo quidem judicio non recte diversa senserint, meam ipse sententiam exponam.* At vero quis inducat sibi in animum apostolicis temporibus christianos virosque Apostolicos in tam varias hisce de rebus abiisse opiniones? Quis credat de eo quo Mathias in proditoris Judæ locum adsumtus est modo, divinaque ejus sorte & electione, tantum inter eos fuisse dissidium, tantamque discordiam? Nonne ab Apostolis didicerant quomodo ea electio facta fuerit? Fac tamen de ea nihil ab eis acceperint. Certe ab ipsis Apostolorum comitibus & discipulis, qui adhuc in vivis erant, poterat unusquisque de ea electione ita certior fieri; ut nullus esset dissentionis disputationisque locus.

Areopagitici è contrario clamant ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio, diabolicis artibus fuisse inter christianos, ut testatur Paulus, hæreses & schismata, scissuras & dissentiones. Nihil ergo, inquiunt, mirum est, si Dionysii tempore de sorte, quæ cecidit super Mathiam, sit disputatum. De Hierothei vero aliorumque libris deperditis nihil est quod magis mireris: quandoquidem plurima Apostolorum virorumque Apostolicorum scripta ita perierunt; ut nullum eorum exstiterit vestigium. Sed his parum moti eorum adversarii, arguunt, de rebus quidem, quæ ad fidem & doctrinam pertinent, fuisse semper in Ecclesia ab hæreticis agitatas quæstiones; at de rebus quæ inter Apostolos publice rituque solemni peractæ sunt, quasque omnes ab eis eorumque sociis poterant

facile edoceri, nullam de qua in scriptis disputaretur, nasci potuisse dissentionem. Porro Opera Hierothei, ac Bartholomei & Justi, non potuerunt tanta facilitate ac aliorum lucubrationes oblivione perpetua obrui. Constat quippe ea, si Dionysio credamus, in ejus ac Timothei manus venisse: nec dubium est quin illa cum plurimis, à quibus summa cura conservari debuerunt, censuerint esse communicanda.

Caput XIII.

Quartum argumentum ex citatis ab Auctore nostro traditionibus petitum.

ALIUD contra Dyonisii Operum γνησιότητα argumentum suppeditant traditiones, quas ille ab antiquò tempore ad suam ætatem deductas esse testificatur. De more enim infantes baptizandi hæc tradidit Auctor noster: *Hac de re id quoque dicimus quod deiformes præceptores nostri ab antiqua traditione nobis transcripserunt.* Πρὸς τῆς ἀρχαίας μαθόντες παραδόσεως. At certe id à Dionysio Areopagita dici nequaquam potuit. *Lib. de Eccles. Hierarch. cap. 7. §. 11.*

Enimvero quamvis mos ille ab Apostolis derivetur; Dionysio tamen ab antiqua traditione non transmissus est. Quos enim ille vir summus, à Paulo fidei christianæ dogmatis imbutus, præceptores habere potuit, qui illi morem baptizandi infantes ab antiqua traditione præscripserint?

Neque dixeris vocem ἀρχαίας non pro antiqua, sed prima traditione significanda usurpatam. Nullo enim umquam exemplo vocem ἀρχαίας ad id quod ab aliquo immediate acceptum est, signifi-

candum ullibi apud Græcos Scriptores adhibitam fuisse probabitur. Et certe hunc non esse Auctoris nostri sensum, ipse eodem in libro ubi de Hierarchiæ Ecclesiasticæ substantia disserit, apertissime declarat: *Maxime vero*, ita ille loquitur, *ista oracula dicimus, quæ à sacris nostris initiatoribus divino spiritu adflatis in Scripturis sacris, librisque theologicis tradita nobis sunt, uti & illa quæ ab iisdem viris sanctis subtiliori, non omnino dissita ab ordine cælesti, insinuatione de mente in mentem, mediante verbo corporeo quidem illo, simul tamen immateriato, sine scriptione institutores nostri sacra quadam traductione sunt edocti*: χαφῆς ἐκτὸς οἱ καθηγεμόνες ἡμῶν ἐμυήσησαν. Ibi plane & dilucide traditionem commemorat non scriptam, quæ de mente in mentem traductam esse adserit. Verum, amabo vos, poteratne Dionysius Areopagita Pauli discipulus verbis adeo expressis adfirmare se institutores ac magistros habuisse, qui substantiam Hierarchiæ Ecclesiasticæ ab aliis sine scriptione didicerint? Neque vero, quod mirum est, ibi tantummodo, sed alibi non semel eodem traditionis argumento ad ea, quæ dixerat, confirmanda sponte sua utitur. Nam ubi de sanctissimo Trinitatis mysterio non minus enucleate & perspicue, ac alii post Nicænam synodum Patres, disputat: *Hæc*, inquit, *aliaque qualibet deifica lumina, quæ Scripturis consona sancti nostri præceptores arcana nobis interpretatione tradiderunt, nosque hausimus*: Græce legitur, κρυφῇ παράδοσις *secreta traditione*. Et paulo infra: *Theologicæ nostræ traditionis auctores ... adsignantque Scripturis sacris insistendo nonnulla dicta unioni propria, vicissimque distinctioni*. Hi ergo auctores, vel ut græce scribitur: Θεο-

De Hierarch. Eccles. cap. 1. §. 4.

Lib. de Divin. Nom. cap. 1. §. 4.

Ibid. cap. 2.

λογικῆς παραδόσεως ἱερομύσαι, divina adtributa, inquit ille, enodaverunt, *Scripturis sacris insistendo*, vel ut priùs dixerat, *Scripturis consona tradendo*. Illorum ergo ibi profert testimonia, qui post editos novi fœderis libros, ac in primis Apocalypsin & Evangelium Johannis, quæ ibidem ab eo laudantur, inde auctoritates ad Theologicorum divinæ Trinitatis dogmatum expositionem adferebant. Qui ergo erant ii Dionysii Areopagitæ præceptores? Numquid Hierotheus? Sed eum semper nominatim, *Præceptor noster* appellat. Si ergo illum his in locis laudat, & alios proculdubio eidem adjungit. At porro quicumque tandem fuerint Areopagitæ magistri, eos certe tantum citat, qui post publicatos Apocalypsis & Evangelii Johannis libros ita scripserunt; ut eos in omnium manus & cognitionem venisse omnino persuasum haberent. Rursus vero Auctor noster illa præceptorum suorum Opera, non ut recens edita, sed omnibus plerumque cognita producit. Unde quivis facile intelligat omnes Scriptoris nostri lucubrationes & serius quam creditur, prodiisse, nec Dionysium Areopagitam potuisse eorum esse auctorem.

CAPUT XIV.

Quintum argumentum ex iis quæ de sanctissimo Trinitatis mysterio, personisque divinis Auctor noster tradidit, desumtum.

ILLUD autem probationibus jam adductis accedit firmamenti, quod non solum Hierotheus, uti diximus, de Trinitatis mysterio clarissime disserat, sed Dionysius noster præceptorem suum

præeuntem ita subsequatur; ut uterque post ortam & damnatam Arianorum hæresim disputare videatur. Is enim non secus ac Hierotheus vocem hypostasis ad tres divinæ Trinitatis personas significandas sæpius usurpat. καὶ μὴν, inquit illle, ὅτι μονάς ἐστι καὶ ἑνὰς τρισυπόστατος. Et alibi: ὡς τριάδα δὲ διὰ τὴν τρισυπόστατον. Ubi vero de personarum divinarum circuminsessione loquitur: τῶν ἐναρχικῶν ὑποστάσεων. Atqui nullus ante Alexandrinam Synodum, anno 362. coactam, ea voce, si Socrati fides habeatur, ad id significandum usus est: *Ceterum Episcopi*, inquit, *qui in Alexandrino concilio aderant, hanc preterea quæstionem diligenter examinarunt, de substantia scilicet & hypostasi.... Quid autem nos de substantia & hypostasi didicerimus, nihil vetat, quominus hæc breviter exponamus. Qui græcam inter græcos Philosophiam tradiderunt, substantiam quidem plurimis modis definierunt, hypostaseos vero nullam prorsus mentionem fecere*, &c. Hieronymus vero de eadem voce, utrum usurpanda foret, sententiam Damasi Papæ sciscitatus, ait: *Tota sæcularium literarum schola nihil aliud hypostasim, nisi usiam novit...... Taceantur tres hypostases, si placet, & una teneatur.* Nondum ergo Hieronymi tempore ea vox recepto apud omnes in usu erat, nec inconsulto summo Pontifice ea sanctus Doctor uti se posse arbitrabatur.

De Cælest. Hierarch. cap. 7.
De divin. nom. cap. 1.
Ibidem cap. 2.
Socrat. lib. 3. Histor. cap. 7.
Epist. 57. ad Damas.

Sed insurgunt Areopagitici, magnisque animis adversariorum tela retundentes, certum esse dicunt Antenicænos Patres in adserenda, quæ de sanctissimæ Trinitatis mysterio ab orthodoxis traditur, doctrina tam constantes fuisse; ut eo tempore quo Arius hæresim suam disseminare cœpit, ille nova hactenusque inaudita dogmata spargere

insimulatus, ab omnibus contra ejus impietatem sit reclamatum. Nulli præterea dubium esse posse inquiunt, quin Apostoli adorandum illud mysterium christianis, præsertim perfectioribus, non obscure, sed clare & perspicue exposuerint, eosque in hac tam difficilis mysterii doctrina adversus nascentes hæreses muniendo, nihil ipsis reliquerint obscuritatibus involutum. Quid ergo mirum si Dionysius Pauli discipulus, & Philosophiæ calentissimus traditam ejusdem mysterii doctrinam, præ cæteris aliis Scriptoribus, verbis explicuerit clarioribus magisque philosophicis?

Porro autem quamvis usus verbi hypostasis ante Nicænam synodum non esset ita frequens ac promiscuus; constat tamen eam vocem ab aliquibus ursurpatam fuisse. Etenim Dionysius Alexandrinus eam ipsam aliquando adhibuisse legitur. Alexander vero Alexandriæ Episcopus ad alium Alexandrum Constantinopolis Episcopum scribens: *Propriam*, inquit, *hypostasim declaravit dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, &c. Denique his Pauli verbis *χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*, personam Patris æterni designatam esse adfirmant Basilius, & Gregorius Nyssenus, à Theophilacto laudatus. Cæterum quamvis concedatur nullum ante Dionysii tempora fuisse hujus verbi usum; fatendum tamen est inter christianos exstitisse aliquem, à quo illud primùm cœperit usurpari. Quid ergo prohibet, quominus Dionysius vir Philosophiæ disciplinæ peritissimus, qui hujusce vocis, ab Aristotele alicubi traditæ, vim noverat, illâ eodem ac ille Philosophorum princeps, sensu & significatione primus inter christianos usus esse dicatur.

In Resp. ad Proposit. Pauli Samosat. tom. 1. Concil.

Theodoret. lib. 1. Histor. cap. 4.

Epist. ad Hebræos 1. 3.

Epist. 43. ad Gregor. Nyssen.

Contra tamen urgent instantque adversæ partis fautores, quod quamvis Antenicæni Patres Christum Dominum verum Deum, Patris æterni filium, ejusdem cum eo substantiæ, ipsique coæternum esse & crediderint & docuerint; ab eorum tamen nemine de personis divinis, illarumque adtributis & relativis, ut loquuntur, & essentialibus tam clare & enucleate, atque ab Auctore nostro fuerit umquam disputatum. Et sane inquiunt, cur ii qui post Dionysium edendis lucubrationibus secundo & tertio Ecclesiæ sæculo operam dedere, non eosdem ac ille de Trinitate divina sermones habuerunt? Cur nullus aliquando illius aut præceptoris ejus Hierothei exemplum sequutus est?

Quæ vero ad probandum vocis ὑποστάσεως usum adducuntur, nihil habere videntur soliditatis & firmamenti. Epistolam enim Dionysii Alexandrini suppostitiam adulterinamque esse critici doctiores facile agnoscunt. Altera vero alterius Dionysii epistola quo tempore scripta sit, nullus definire potest. Baronius quidem illam anno 328. quo Licinii mortem consignat, datam opinatur: sed ruinoso nititur fundamento. Nam Licinius non anno 328. sed 324. ut accuratioris criterii Scriptoribus videtur, vitam finivit. Demus tamen Alexandrum eo quo vult Baronius, tempore suam exarasse epistolam, nulli profecto mirum esse debet vocem hypostasis ab homine, Alexandrinæ Synodi temporibus adeo vicino, fuisse usurpatam: sed illud sane mirabilius est, quod Scriptor nullus, ut Petavius ostendit, his tanti viri vestigiis, nisi post Alexandrinam Synodum insistendum esse putaverit. Quod certe quam parum ea vox

Theolog. Dogm. lib. cap. cap. 1.

ineunte sæculo quarto, atque à fortiori sæculis superioribus, usitata esset, aperte demonstrat.

Nec plus roboris & virium habet, quod ea vox & in epistola ad Hebræos occurrere, & à Basilio, Gregorioque, sensu Dionysiano explicari objicitur. Uterque enim Basilius & Gregorius post Nicænum concilium scripsere, atque eam vocem sensu temporibus suis usitato interpretati sunt. Nullus autem ante illlud Concilium eamdem Pauli vocem ita censuit esse explicandam. Quod quidem ita certum est, ut in Latina ejusdem Paulinæ epistolæ versione vox græca ὑπόστασις non per Latinam hypostasis, sed *figura substantiæ*, reddita legatur.

Denique quod aiunt Auctorem nostrum primum forsitan fuisse, à quo eadem vox sensu memorato accepta sit, gratis omnino fingitur. Noster quippe Auctor, ut quilibet citata loca percurrenti planissimum fiet, de ea sic disputat, ac si sensus, quem illi tribuit, nulli omnino incognitus, receptus esset ab omnibus.

Neque ad rem facit laudata uno in loco Aristotelis auctoritas. Ea quippe apud primos Ecclesiæ Patres nullius erat momenti; quippe qui Philosophiæ dogmata respuerent & aspernarentur. Porro autem si quid successu temporis ex illa hauserunt, Platonis potius quam Aristotelis placita & doctrinam sunt amplexati.

Caput XV.

Sextum argumentum ex iis quæ Auctor noster de Monachis, eorumque votis, ac solemni professione memorat, elicitum.

Illa vero Auctorem nostrum post Dionysii Areopagitæ tempora vixisse luculenter demonstrant, quæ ab eo hisce in lucubrationibus de Monachorum professione & ordine produntur. Ibi enim non obscure docet hunc Monachorum ordinem ante sua tempora fuisse institutum; traditque apertissime eorum professionem, ac vota Monastica cerimoniis, non secus ac sæculo quinto & sexto, solemnibus & publicis emissa. At præterquam quod priorum Ecclesiæ sæculorum Scriptores, atque etiam ii ipsi, qui de singulis christianorum ordinibus accuratius iisdem temporibus disseruerunt, nullam monastici ordinis, Monachorumve professionis mentionem fecere; quidam eruditissimi & antiquissimi rerum monasticarum indagatores earum originem ad Paulos, Antonios, Pachomiosque referunt. His ergo Auctor noster posterior esse debet, nec Dionysius Areopagita dici potest.

Areopagitici vero hunc non exiguæ difficultatis nodum haud difficulter se solvere arbitrantur, duplicis Monachorum generis distinctione. Aliud enim esse aiunt genus Cœnobitarum & Eremitarum, qui à plebe prorsus secreti, & à cæterorum hominum societate separati, in monasteriis & cœnobiis, vel in sylvis & montibus vitam monasticam degebant. Hos fatentur longe post Dionysii

ætatem nec ante Pauli, Antonii & Pachomii tempora ortum habuiſſe. Aliud vero contendunt fuiſſe genus Monachorum, qui pars populi præcipua, & illuſtrior portio gregis Chriſti, inter laïcos ita computabantur; ut primus eis in ſynaxi poſt Eccleſiæ miniſtros adſignatus eſſet locus. Illi privatim in ſuis urbium ædibus, vel ſimul in collegiis vitam agebant puram & caſtam, à curis terrenis expeditam, unique Deo mancipatam. Monachos autem iſtos temporibus Apoſtolorum exſtitiſſe propugnant, eoſque eſſe adſerunt, de quibus Philo Judæus eum inſtituit ſermonem, qui ab Euſebio in Hiſtoria ſua tranſcriptus eſt. *Lib. 2 Hiſtor. cap. 17.*

Neque dixeris hos quos Philo, non Monachos, ſed Therapeutas vocat, revera non ſolum Monachos non fuiſſe, ſed Judaïcæ, nequaquam vero chriſtianæ religioni addictos, atque Euſebium hac in re, ut eruditus ejus interpres Valeſius obſervat, vano errore fuiſſe deceptum. Audies enim ab Areopagiticis nullas penituſque frivolas eſſe Valeſii adverſus Auctorem ſuum probationes. Et certe, inquiunt, Euſebius vir ſummæ eruditionis in dignoſcenda Therapeutarum religione tam turpis hallucinationis non ſine temeritatis nota poteſt inſimulari. His addunt Hieronymum huic Euſebii de chriſtiana Therapeutarum religione opinioni his verbis ſubſcripſiſſe: *Philo videns Alexandriæ primam Eccleſiam adhuc Judaizantem, quaſi in laudem gentis ſuæ librum ſuper eorum converſatione ſcripſit.* *De Script. Eccl.*

At ſane Areopagitici Therapeutas, ſi poſſibile ſit, chriſtianæ religioni nomen dediſſe invictis demonſtrent argumentis; per nos licet. Sed illos vitam monaſticam, qualis ab Auctore noſtro de-

scribitur, aliquando duxisse nullo umquam, ut putatur, antiquitatis monimento probabunt. Missa etenim primum ea facimus, quæ Scriptor noster de Monachis suis tradidit, eos non in urbibus, sed extra urbes progressos, in hortis agellisque degisse, ac proinde Antonianis, quod negant Areopagitici, fuisse similes. Illud autem potissimum quærimus cur Eusebius qui tanto nisu Therapeutas Philonianos christianis adnumerandos esse probare conatus est, eosdem nullibi dixerit Monachos fuisse, vel successores habuisse, qui vestibus, tonsura, votis solemnibus, ac vivendi ratione ab omnibus christianis secreti, perfectiorem vitæ monasticæ normam profitebantur. Cur Hieronymus, tantus monasticæ professionis prædicator, eosdem Therapeutas in Monachorum numerum non refert, illosque cum cæteris omnibus primæ Ecclesiæ christianis permiscet, & confundit? Nulla proculdubio alia ratio adferri poterit, quam nec Therapeutas initio nascentis Ecclesiæ, nec ullos christianos Dionysii tempore tales Monachos fuisse, quales ab Auctore nostro memorantur.

Atque illud quidem eo rursus confirmari potest, quod monasticum institutum non ferebant prima sævientium adversus christianos persecutionum tempora. Quis enim sibi persuadeat Tyrannos idolorumque cultores, qui summa crudelitate in christianos omnes grassabantur, eos impune tulisse, qui in collegiis communiter degentes, tonsura, & veste, perfectiorique vivendi genere cæteris christianis illustriores erant: *Sacerdos*, inquit Auctor noster, *stat ad altare .... Is autem qui consecratur, stat post sacerdotem .....supra illam*

iam mysticam invocationem prosequenti. Qua finita, Sacerdos accedens, rogat ipsum primum, an omnibus rebus dividuis renuntiet; non solum vitiis, sed etiam imaginationibus. Deinde exponit illi vitam perfectissimam; contestans illam debere mediam vivendi rationem superare. Quæ ubi omnia is qui initiatur, professus est, Sacerdos eum signo crucis consignatum tondet ..... omnique veste detracta, eum alia induit. Quis autem primis Ecclesiæ temporibus Monachum aliquem veste & tonsura ab aliis christianæ religionis hominibus discretum, in publico visum, aut à paganis captum, tortum, aut necatum memoriæ aliquando mandavit? Ubinam, quæso, collegium aliquod, in quo Monachi simul vitam degerent, à paganis aut Imperatoribus prædatum aut eversum legitur? Si quid his non omnino absimile in quibusdam Martyris alicujus Actis occurrere dixeris, arguetur continuo illa nec genuina esse nec sincera; nihilque de tempore quo Martyr ille obierit, ab eorum Scriptoribus certo definiri.

Tradit denique Auctor noster nomen Therapeutæ & Monachi suo tempore tritum & vulgare fuisse, atque à præceptoribus suis illud christianis, ritum monasticum solemniter profitentibus, inditum. *Hinc sancti præceptores nostri*, inquit, *divinis eos appellationibus sunt prosequuti: alii quidem Therapeutas, alii vero Monachos appellaverunt: οἱ μὲν θεραπευτὰς, οἱ δὲ μοναχοὺς ὀνομάζοντες.* Quinam, obsecro, esse poterant Dionysii præceptores, qui hæc nomina appellationesque divinas iis imposuere? Non Philo quidem. Is enim Judæus cum esset, à Dionysio Areopagita tamquam unus ex sanctis præceptoribus suis citari non potuit. Qui-

nam ergo ab eo præceptores appellantur? Num Hierotheus & alii, quorum nomen excidit, evanuitque memoria? Sed hi suis temporibus celebres esse debuerunt, & omnibus facile noti. Cur ergo isti soli cum discipulo suo Dionysio Areopagita primo, secundo, tertioque Ecclesiæ sæculo Monachorum nomina, ordinem, statum, professionem, vota, tonsuram, vestem, & collegia memoraverunt? Certe cùm alii Scriptores per tam longa trium sæculorum spatia horum omnium nequaquam meminerint, id sane argumento non levissimo est, tempore Dionysii nullos exstitisse hujuscemodi Monachos & Therapeutas.

Caput XVI.

Argumentum septimum ex cerimoniis ritibusque sacris, quos Auctor noster recensuit, depromtum.

Maxima cerimoniarum multitudo, solemnisque earum apparatus & pompa, queis Auctor noster sacramenta Baptismatis, Chrismationis & Eucharistiæ confici & administrari, Missam Liturgiamque celebrari, & mortuorum corpora sepeliri perhibet, eum Dionysio Areopagita posteriorem esse rursus produnt & demonstrant. Is quippe hos omnes ritus nec minori numero, nec minori solemnitate, quam cùm Ecclesia pace placidissima fruebatur, suo tempore à christianis adhiberi solere significat.

Non diffitentur quidem Areopagitici plurium cerimoniarum mentionem apud Dionysium haberi: sed contendunt eas Apostolorum tempore pau-

latim institutas, & traditione apostolica ad alios ita derivatas; ut Dionysii ejusdem ætate, in eum quem ille describit, numerum haud difficulter crescere potuerint. Porro autem christiani iis tum utebantur, cùm persecutionum furore vel sopito vel mitigato, synaxes suas tutis in locis agere licebat. Atque hæc ut probent, adducunt testimonia Tertulliani, qui baptisma non paucioribus, quam Auctor noster, cerimoniis administratum adseverat. Basilius vero eas à tacita & occulta traditione ad suam usque ætatem deductas esse tradit. Nec aliter de his atque aliis Liturgiæ ritibus sentiebat idem Tertullianus: *Quas*, inquit, *sine ullius Scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus ..... Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. Rationem traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit, disces.* Neque hîc audiendi sunt quidam Antiareopagitici, qui nullis probationibus freti, quasdam cerimonias temporibus Dionysianis atque Apostolicis in usu fuisse audacter inficiantur.

Tertull. lib. de Coron. Milit. cap. 3.

Verumtamen illud adversus Areopagiticos jure merito urgetur, quod sicut Auctor noster quosdam commemorat ritus, qui illa prima Ecclesiæ ætate revera vigebant; ita plures alios recenset, qui post Dionysianum ævum originem habuerunt. Quis enim verisimile esse putaverit Dionysii ævo catechumenos, pœnitentesque publicos exstitisse, qui post sacrarum scripturarum lectiones ejicerentur ex Ecclesia. De his tamen sic scribit Auctor

noster: *Porro catechumenos, & energumenos, eosque qui pœnitentia ducuntur, sacro sanctæ Hierarchiæ mos patitur audire sacram psalmodiam, divinamque sacrarum scripturarum recitationem: verum ad ea quæ deinceps sequuntur sacrificia spectaculaque nequaquam*, &c. Nec leviter prætereunda est vox græca θέσμος, quæ ibi legitur; idem quippe sonat, ac sanctio, aut mos vetus. Quænam autem, quæso, sanctio, aut quis mos vetus poterat à Dionysio notari, quæ ab ipsis Apostolis non sint profecta? At nullo sane antiquitatis, aut sacræ scripturæ monimento ostendes, latam ab Apostolis legem, vel morem ab eis inductum, quo catechumeni & publici pœnitentes priori Missæ parti adessent, & post hæc Missâ fidelium interdicerentur. Enumera, si velis, quos Apostoli, eorumque successores viri Apostolici catechumenos baptismate abluerint, quos absolverint publicos pœnitentes, nec ullum reperies, quem his umquam legibus voluerint coërceri.

De Eccles. Hierarch. cap. 3.

Evolve etiam, si vacat, omnes libros, nec ullibi quoque reperies tam frequentem fuisse his temporibus thuris usum, nec tot suffitiones, quot ab Auctore nostro his verbis referuntur: *Pontifex precem sacram ad altare Dei celebraturus, ab ejusdem suffitione initium faciens, universum circuit chori ambitum, donec rursum ad altare divinum rediens*, &c. Enimvero Athenagoras & Tertullianus christianos neque thure neque suffitu Deo sacrificasse testantur. Censet quidem eminentissimus Cardinalis Bona eos esse intelligendos de more thus adolendi eodem ritu, habitu, & apparatu, quo agitur apud idola. Sed summi viri pace dicere liceat, illud accuratius observari debere,

Apolog. ad Imperat.
Tertull. Apolog. cap. 30.
Et lib. de corona cap. 10.

quod scribit Tertullianus christianos duabus de causis thus adolevisse, nimirum *christianis sepeliendis, & cùm odor alicujus loci offenderit.* Hac etenim duplici exceptione planum facit, vel alibi thus à christianis non oblatum, vel saltem non toties adhibitum, quoties ab Auctore nostro narratur. Demus tamen ea omnia suffimenta tunc fuisse in usu. At nullus, opinor, in animum sibi facile induxerit, ea in tot Ecclesiæ partibus, quot Auctor noster designat, fuisse adhibita. Numquid enim primis sævientium tyrannorum temporibus christianis erant Ecclesiæ, quæ tot constarent partibus, choro, narthece, sacristia?

Quid porro priori Ecclesiæ sæculo minus auditum, quam hæc Chrismatis consecrandi cerimonia? *Pontifex*, inquit Auctor noster, *accepto unguento, ponit super altare duodecim sacris alis obvelatum.* Quis ritum illum ab Apostolis ordinatum, vel ab Apostolicis viris observatum fuisse memoriæ umquam prodidit? Dicesne eum Atheniensi Ecclesiæ proprium fuisse & peculiarem? Sed cave ut salva sint Dionysii Areopagitæ scripta? Is enim primus Atheniensium Episcopus fuit. Auctor autem noster de hoc ritu, non ut novo & recente, atque à se instituto, sed ubique ab aliis usitato loquitur. Hæc igitur illius scripta Dionysii Areopagitæ non sunt. *Lib. de Eccles. Hierarch. cap. 3.*

Addamus denique id à veri specie prorsus videri alienum, quod mortua christianorum corpora iis omnibus, quas ille adhuc recenset, cerimoniis mandata fuerint sepulturæ. Eæ enim cùm Ecclesiis omnibus pax summa tranquillitasque data est, nec plures fuerunt, nec magis solemnes. At paganis omnibus intolerabilis prorsus fuisset tam *Ibidem cap. 7.*

magnifica funeris exequiarumque christiananarum pompa, nec ullum Dionysii ævo christianum tantis parentalibus justa suis solventem, ab ethnicis aliquando deprehensum fuisse narratur.

CAPUT XVII.

Argumentum octavum ex Auctoris stylo petitum.

De Auctoris nostri stylo nonnulla jam perstrinximus, ostendimusque Areopagiticos nihil in eo animadvertisse, quod non sit vere Dionysianum, ac viro Apostolico plane dignum, omninoque conveniens. Etenim scriptionis illius genus, stylusque non simplex quidem, sed elatus, & pro sublimitate argumenti sublimis, qui rerum omnium, de quibus agitur, dignitati majestatique pulcre respondet. Porro hæc styli sublimitas obscuritatem peperit. Illa tamen non ex imperitia Dionysii, sed ex eo potissimum orta est, quod ipse hoc scribendi genere difficili & obscuro, ut ait Divus Thomas, sacra & divina religionis nostræ dogmata & mysteria infidelibus occultare voluerit.

Antiareopagitici vero censent nihil eodem Auctoris nostri stylo excogitari posse Areopagitæ, virique Apostolici orationi magis repugnans & contrarium. Tantæ nimirum molis est de unius ejusdemque Scriptoris stylo certam ferre sententiam! Quantum autem ab Apostolicæ orationis forma abhorreat, hi demonstrant ex mira illius luxurie, sæpius cothurnos & dithyrambos supergrediente. Nihil quippe Auctori nostro satis magnificum, inflatum, turgidum, hyperbolicum. Su-

perlativa ipsi non sufficiunt, sed ea tantum quantum potest, & auget & intendit. Voces usitatas, sacro nascentis Ecclesiæ usu consecratas, adspernatur, ac novas hactenusque inauditas, atque ad pompam effictas, in earum locum substituit. Horum omnium catalogum contexere Operæ pretium non est; ea siquidem uno intuitu in Corderii Onomastico, & observationibus, Dionysianorum Operum editioni adjectis, cuilibet cernere proclive est.

Neque dixeris argumentum, in quo Dionysius versabatur, hanc ab eo exegisse sublimitatem, qua sublimiores & Deo digniores ideas ac cogitationes hominibus traderet inspiraretque. Primùm enim id dici nequaquam potest de libro de Hierarchia Ecclesiastica, ubi ille disputat de sacramentis sacrisque ritibus, quæ quotidiano usu frequentabantur, quæque simplici popularique methodo tardioribus christianis, æque ac peritioribus debebant explicari. Deinde consilium Auctoris nostri, uti observavimus, erat his in libris clariori simpliciorique oratione ea christianis minus perfectis exponere, quibus Hierotheus præceptor ejus sublimiori & obscuriori perfectos imbuerat. Debuit igitur ille stylo scribere populari & plano, verbisque uti receptis & communibus.

Dices Dionysio forsitan idem accidisse, ac Tertulliano, aliisque Scriptoribus nonnullis, qui acrioris ingenii igne abrepti, libros suos stylo exaraverunt singulari, verbisque usi sunt inusitatis ac plane insolentibus. Verum quanto quumque igne incensum fuerit Dionysii Areopagitæ pectus; is certe tam immaniter à scopo non potuit aberrare, ut in libris, quos simplicioribus christianis minus-

que perfectis scribebat, tantam orationis sublimitatem & grandiloquentiam ubique adfectaret. Sed sic errare fallique solent male feriati homines, qui punienda temeritate libris suis eorum nomina inscribunt, quorum nec ingenium, nec scribendi modos umquam adsequi potuere. Quid quod neque Tertullianus, neque ullus umquam Scriptor ea verba, quæ Apostolorum christianorumque omnium usu consecrata erant, missa fecerunt; ut iis ubique alia penitus incomperta sufficerent. Auctor vero noster voces Episcopi, Presbyteri & Diaconi, quasi obsoletas repudiat, eisque semper subrogat verba ἱεράρχαι, ἱερεῖς & λειτουργοί: & sacros utriusque fœderis libros citando voces Scriptura, aut scriptura sacra, Evangelia, Scriptores sacri, vel Scriptorum nomina respuit, ac pro eis substituit verba *Theologia*, & *Theologi*, vel *divina illustratio*, & *divino numine adflati*, aut *sacri initiatores*. Nihil ergo in Auctoris nostri stylo, quod cum Tertulliani libris, multoque minus cum Apostoli epistolis componi queat, occurrere videtur.

Neque tandem orationis illius obscuritas ideo excusanda est, quod Dionysius Opera sua infidelibus & non initiatis censuerit esse occultanda. Nam cùm christianis rudioribus minusque perfectis scripserit, ea proculdubio nec inani obscuraque grandiloquentia, nec vocibus insolitis, & vano adfectatæ pompæ studio fabricatis, sed summa perspicuitate, verbisque omnium usu receptis, nullique incognitis conscribenda erant.

CAPUT XVIII.

De levioribus quorumdam Antiareopagiticorum argumentis, & postremis Areopagiticorum probationibus; an hic Auctor mendacii accusandus, & scripta ejus sint miraculis cohonestata.

QUÆDAM alia argumenta ab Antiareopagiticis adferuntur, quæ quia vel levissima sunt, vel veritati, certæque orthodoxorum doctrinæ & traditioni palam refragantur, iis excutiendis & recensendis lubentes supersedemus. Quid enim ut cætera taceamus; levius eo momento, quod plenis buccis concrepant, doctrinam de Angelorum Hierarchiis & ordinibus, quæ tam enucleate ab Auctore nostro explicatur, Dionysii sæculo fuisse incompertam. Nihil quippe de his ille docuit, quod ex scripturis sacris, ac maxime Pauli epistolis primitus non acceperit. Non imus quidem inficias illum pro ingenii sui viribus, ea quæ ex sacris fontibus hauserat, fusius enodasse, atque etiam amplificavisse. Sed nulli mirum videri debet hominem doctum & ingeniosum, multaque Platonicæ philosophiæ eruditione præditum, de cælestibus substantiis plura post divinas scripturas retractasse, iisque nonnulla addidisse, quæ ex sanioris Philosophiæ placitis desumta, sacris christianæ fidei accommodaverit dogmatibus.

Reliqua ipsorum argumenta leviora sunt, multoque minoris ponderis. Nemini ergo negotium facessere possunt, ac ea pleraque omnia ex his quæ in superioribus Dissertationibus passim tradidimus, sponte sua ruunt, & funditus evertuntur.

Sufficiet ergo validiora Antiareopagiticorum argumenta omnibus suis ponderibus ita examinasse; ut nihil eorum, quæ ad ea confirmanda vel infirmanda proferri posse credidimus, voluerimus esse prætermissum.

Sed prælium instaurant Areopagitici, ultimoque impetu in adversarios facto, urgent eos audacissimos esse, & prorsus temerarios, qui fraudis, falsitatis, puditissimique mendacii Auctorem nostrum reum agant, cujus scripta meram ubique spirant pietatem, gravitatem, sanctimoniam. Et certe quis virum illum doctum, tantisque ingenii dotibus præditum, eo cæcitatis & impudentiæ devenisse credat; ut tot tantisque rebus cum Dionysii ætate, ingenio, moribus styloque pugnantibus scripta sua consperserit.

At hæc omnia, clamant Antiareopagitici, victorum hominum vani cassique sunt impetus. Quis enim nesciat hujuscemodi Scriptoribus moris esse scripta sua, quæ ab ipsis falso viri sanctissimi nomine inscribuntur, ea pietate, gravitate & sanctimonia exornare, qua ab iisdem viris, quorum nomen mentiuntur, exornanda fore existimabant. Nec minus in eorum more positum, ut alii plura, alii pauciora, quæ ementiti Auctoris sui ingenio & temporibus adversentur, scriptis suis insererent. Sic nempe Deo ita volente, nonnumquam obcæcati sunt; ut illius, quem fingunt, ingenium scribendique modum non adsequuti, vel ea quæ illius ætate fieri deberent, ex sui temporis consuetudinibus ac disciplina metientes, vel ipsi iis quæ sua ætate agebantur, auctoritatem conciliare volentes, quædam scriptis suis aut prudentes aut incauti adjicerent, quibus eorum fraudes & men-

dacia ab oculatioribus tandem retecta sunt.

Quid vero, instant Areopagitici, nec Deo moris est, nec æternæ illius providentiæ Opera vana, & fictis mendaciis plena, veris cohonestare miraculis? Hilduinus tamen testis oculatus adfirmat Areopagitæ Opera, cùm variis infirmitatibus in tanti viri honorem applicarentur, multis divinitus honestata fuisse miraculis.

Sed cæteris omnibus firmius non est ultimum illud Areopagiticorum præsidium; quippe quod ipsis Hilduini verbis expugnari videatur. De his enim miraculis sic ille scribit: *Authenticos namque eosdem libros græca lingua conscriptos, quoniam œconomus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & cæteri missi Michaëlis legatione publica ad vestram gloriam compendio functi sunt; in ipsa vigilia solemnitatis sancti Dionysii pro munere magno suscepimus. Quod donum devotioni nostræ, ac si cælitus allatum à Deo, divina est gratia prosequuta; ut in eadem nocte decem & novem nominatissimæ virtutes in ægrotorum sanatione variarum infirmitatum ex notissimis, & vicinati nostræ personis contiguis, ad laudem & gloriam sui nominis orationibus & meritis excellentissimi sui martyris Christus dominus sit operari dignatus.* Hac Hilduinus narratione testatum facit decem & novem miracula eo die, quo Dionysiani libri in suum Monasterium adsportati sunt, fuisse quidem patrata; sed ea non eorumdem librorum virtute aut applicatione, sed orationibus & meritis excellentissimi sui martyris à Christo domino edita esse adseveranter adfirmat. Quamvis autem ea librorum Dionysianorum tactu contigissent, non inde tamen genuinum Dionysii Areopagitæ opus esse certo concludi po-

Epist. ad Car. Calv.

Matt. 9. 37. test. Nemo enim nescit Dæmonia ab his qui nec Christi discipuli, nec christiani erant, in ejusdem Christi nomine ejecta fuisse; atque ex vera tantum ardentique christianorum fide alia miracula à Deo sæpe sæpius impetrata.

CAPUT XIX.

Quo tempore hæc scripta secundum Antiareopagiticorum sententiam in lucem prodierint?

QUI rationibus hactenus à nobis allatis omnia Auctoris nostri Opera Dionysianos fœtus esse negant, quo tempore ea in lucem prodierint, diligenter inquirunt. Constat quidem illa ante Collationem Constantinopolitanam, anno, ut diximus, 533. habitam vulgata fuisse. Quamdiu autem eam præcesserint, magna inter Scriptores illos controversia est. Opinatur Dallæus Auctorem nostrum *omnino videri vel quinto præcipiti sæculo, vel etiam sexto vixisse, nec ante annum Domini circiter 520. fœtus suos edidisse.* Quod quidem ex eo probari posse putat; quia in memorata Collatione Hypatius catholicæ totius Ecclesiæ nomine, Severianis responderit hos libros Cyrillo, Athanasio, aliisque Patribus penitus fuisse incognitos. Sed leve omnino est istud probationis genus. Nam Collatio illa concilium œcumenicum non fuit, nec quidquam hisce de scriptis lege lata sancivit. Hypatius itaque totius Ecclesiæ nomine non loquutus est: sed ut in hujuscemodi concertationibus fieri amat, Severianis eorumdem scriptorum auctoritatem objicientibus ex tempore respondit, ea de quibus nihil hactenus audierat, ab antiquis Patribus non fuisse cognita. Præterea Severiani il-

Dall. de lib. suppos. Dionys. cap. 32.

la citarunt, non ut nova & recèns edita, sed ut genuinum Dionysii Areopagitæ Opus, jam ab ejus ætate in vulgus emissum. Hypatius vero, cæterique catholici, re maturius expensa, id verum esse ultro confessi sunt. At neque Severiani illud tanta confidentia adseverassent, neque catholici eorum subscripsissent sententiæ, si hæ lucubrationes à tredecim tantum annis, ut contendit Dallæus, prodiissent in lucem.

Quapropter alii eas longe his temporibus antiquiores esse adfirmant. Atque ut id probent, ostendunt primò eas Dionysio Areopagitæ tribui ab Ephræm Patriarcha Antiocheno his verbis: *Quoniam & simplex Jesus componebatur secundùm sanctum Dionysium Areopagitam*: ἐπειδὴ καὶ ἁπλοῦς, ἰησοῦς συνετέθη κατὰ τὸν τοῖς ἐν ἁγίοις ἀρεωπαγίτην Διονύσιον. *Apud Photium in Biblioth. cod. 229.* Atqui Ephræm Patriarcha Antiochenus creatus est, cùm Justinianus anno 526. ad imperii gubernacula accessit; & ipsemet Ephræm ante annum 543. excessit è vita. Dionysii etiam nomine non semel citantur ab Andræa Cæsariensi Episcopo, qui circa annum 500. libros suos edidit. *Comment. in Apocal. cap. 11. 13. & 45.* Is quippe in iis nullius Scriptoris, beato Cyrillo recentioris, protulit testimonium.

Aliud ejusdem antiquitatis argumentum, minus tamen certum, elicitur ex scholiis quæ Johannes Scythopolitanus, teste Anastasio Bibliothecario, in Dionysii Opera composuit. Nam contra hunc Johannem, qui concilii Chalcedonensis defensionem susceperat, scripsit Basilius Cilix, qui ut ait Photius: *Presbyter fuit Ecclesiæ Antiochenæ, quo tempore thronum ibi tenebat Flavianus, Romanique clavum imperii moderabatur Anastasius*, id est, circa annum 500. Verumtamen cùm idem Anasta- *In Bibl. cod. 107.*

sius primam scriptorum Dionysii mentionem à summis Pontificibus Gregorio magno, Martino, Agathone fieri testetur, ille proculdubio vel errore vel memoriæ lapsu falsus est; nec tanti proinde ponderis potest esse ejus auctoritas. Idem dicendum de Anastasio Sinaïta, qui ante finem sæculi quinti memoriæ prodidit Dionysium Rhetorem alia similiter scholia in easdem Dionysii Areopagitæ lucubrationes publicasse. Cæterum quantumvis uterque Anastasius peccasse dicatur; certum tamen esse debet eos nec finxisse nec divinasse scholia hujuscemodi fuisse aliquando ab his Scriptoribus edita. Qui autem scholia in Auctorem quemdam conscribunt, eum pro veteri & magni nominis viro habere solent. Diu ergo ante sæculum quintum Dionysiani libri pervulgati fuerunt.

In Odego.

Illud vero his accedit roboris & firmamenti quod Suidas [a] & Pachymeres [b] tradunt: *Aliquos externos Philosophos, præsertim Proclum contemplationibus Dionysii frequenter usum fuisse, atque adeo etiam meris ipsis dictionibus.* Si certæ fidei sint hæc testimonia, fatendum est contemplationes Dionysii Proclo illo, qui sub Leone Thrace medium circiter sæculum quintum libris conficiendis operam dedit, esse antiquiores. Quamobrem non jure prorsus immerito Morinus: *Saltem librorum istorum scriptio*, inquit, *initio quinti sæculi, & ante Concilii Chalcedonensis celebrationem adsignanda est, nec ulla ratione probabili ad inferius ævum revolvi potest.* Launoius vero tempore primæ Synodi Ephesinæ, & Erasmus Augustini ætate Auctorem nostrum vixisse arbitrantur.

[a] *In Collectan.* [b] *Proœm. in Opera Dionys.*

De sacris Ordinat. in hanc quæst. cap. 6. §. 12.

Narrat Nicephorus Juvenalem Hierosolymitanæ urbis Episcopum, Pulcheriæ Augustæ de cor-

Lib. 15. Histor. cap. 14.

pore Virginis Deiparæ interroganti respondentem, ea omnia Dionysii nomine citasse, quæ in libris ipsi adscriptis etiam nunc legere est. Sed quidam hujus Historiographi, quem fabulosissimum esse dicunt, auctoritatem elevare conati : *Verba*, inquiunt, *ex nostris Dionysianis descripta Nicephorus videtur ipse potius de suo adjecisse, ad Juvenalis narrationem confirmandam, quam ea Juvenali tribuisse*. His autem si objicias Nicephorum clare & perspicue adfirmare ipsissima Juvenalis verba à se fuisse descripta, reponunt illico : *Historicis Scriptoribus solemne esse, homines, de quibus scribunt, ea dicentes inducere, non quæ vere ac certò dixerunt, sed quæ illos ipsi dicere potuisse putant.*

Sed huic responsioni plura repugnare videntur. Primum enim de quocumque alio Scriptore, qui aliorum verba sermonesque transcribit, idem dici posset. Quod sane quam falsum sit & absurdum nemo non videt. Deinde Nicephoro non moris est homines ea dicentes inducere, quæ illos ipse dicere potuisse putabat, sed quæ ii vere ac certo dixerunt. Postremo Michael Glycas scribit in Annalibus sepulcrum Dei genitricis Mariæ, cùm adveniente Thoma, apertum fuisset, in illa præter *sepulcrales exuvias* nihil aliud repertum. Atque id quidem græcæ Nicephori narrationi omnino congruit, ubi vox græca non sepulcrum, sed sepulcrales exuvias significat.

Quid quod Hieronymus non minùs distinctè, quam Auctor noster novem Angelorum ordines posuit. Unde ergo hanc de Angelis doctrinam, nisi ex ejus libris mutuatus est ? Verum hæc conjectura non omnino felix esse videtur. Quis enim Hieronymum ex eodem ac Scriptor noster, sacra-

Apolog. 2. adverf. Rufin.

rum scripturarum fonte illam haurire potuisse inficiabitur? Quis etiam Auctorem nostrum, ut pote recentiorem, ex Hieronymo sua desumsisse pari jure adfirmare non poterit?

Probabiliorem forsitan inde accipies conjecturam, quod nonnulli hæc Auctoris nostri scripta Apollinari & Didymo, quarti sæculi scriptoribus, adsignaverint; ac proinde illa his temporibus jam in vulgus sparsa fuisse habuerint persuasum. Sed cùm nihil quod Apollinaris & Didymi erroribus atque doctrinæ sit consonum, in iis scriptis occurrat, tota certe errant via, qui ea Scriptoribus illis adjudicant. Si ergo in hoc tam immaniter aberraverunt, quidni & circa tempus, quo eadem scripta prodiisse opinabantur?

Hanc tamen temporis adsignationem veram esse, ac omnia Auctoris nostri scripta postremis Eusebii temporibus vulgata esse eo probant; quia in Gregorii Nazianzeni lucubrationibus plura à Billio, & alia quædam à Dallæo observata reperiuntur, iis quæ Dionysius scripsit, prorsus similia. Atqui Dionysius illa à Gregorio non est mutuatus; quippe qui ab aliis omnibus, inquiunt, Ecclesiasticis Scriptoribus plane diversus sit, & sui tantum similis: omnia quoque ad neotericam Platonistarum conformavit scholam; atque à sanctorum Patrum verbis & notionibus maxime abhorruit. Contra vero Gregorius quoties ad obscuriora quædam & magis Philosophica deflectit, toties ab aliis sua derivat, atque idcirco ex Philosophis & Dionysio nostro illa hausisse vero videtur simillimum.

Porro si roges cur venerabile illius nomen, orationi suæ magnum pondus adjecturum, non inseruerit,

ruerit, responsum accipies nomen illud ætate Gregorii non adeo venerabile fuisse. Tunc siquidem Auctor ille pro vero Areopagita nondum agnitus, vir tantum magnus, qui sub alieno nomine delitescebat, habebatur. Quid ergo mirum, si Gregorius proprio nomine eum non appellaverit, qui neminem ex catholicis, sed paganos dumtaxat, ac Symmachum, & Aquilam nominatim vocavit. Cæterum creditur illum his verbis citasse: *Quemadmodum & alius quidam ante nos pulcherrime & sublimissime philosophatus est.* Neque enim hîc audiendus est Elias Cretensis, qui ibi Athanasium laudari autumat. Nam huic opinioni & temporis ratio, & scriptionis genus plane adversantur. Verum enim vero Gregorius numquam Athanasium, quocum meliorem vitæ suæ partem transegerat, appellasset τινὰ τῶν πρὸ ὑμῶν, *quemdam qui ante nos vixit*. Hoc quippe loquendi genere Græci Scriptores hominem, vel priusquam nati essent, vel longe antequam scriberent, mortuum indigitant. Neque etiam Gregorius de Athanasio, quem ob styli sublimitatem in sua Oratione panegyrica non commendat, umquam dixisset: *Sublimissime philosophatus est.* At utrumque illud & scriptionis genus, & temporis ratio Scriptori nostro optime conveniunt. Illum ergo à Gregorio Nazianzeno ibi laudatum esse nemini non probabitur. *Orat. 38. in Theoph. & 42. in Pasch.*

Qui his convincuntur rationum momentis, opinioni illi quantum voluerint, subscribant, iis nec invidemus, nec reluctamur. Quominus tamen omnem illis præbeamus adsensum, illud potissimum ratio nos movet, quod argumentum illud quo scripta Auctoris nostri post natam Arii hæresim edita esse demonstrabatur, idem illud ipsum post

exortos Nestorii errores prodiisse evincit. In iis quippe hæresis contra Incarnationis Christi mysterium non minus aperte, quam omnes contra ejus divinitatem, & unam trium divinarum personarum naturam errores, proscribitur. Hæc etenim de incarnato Dei filio variis in locis legimus: *Dei principalis bonitas . . . . . nostrorum omnium vere facta particeps absque peccato, humilitatique nostræ unita, salvo proprietatum suarum statu, eoque prorsus inconfuso & inviolato.* In alio autem libro: *Verbum divinissimum . . . . . per inconfusam humanitatis nostræ adsumtionem.* Et in epistola 4. ad Caïum: *Quatenus erat Deus & homo, novam quamdam nobiscum conversando θεανδρικὴν ἐνέργειαν exhibebat.* Quid planius, quid dilucidius post sparsos Nestorii Eutichetisque errores à quovis Auctore umquam scriptum est?

De Eccles. Hier. cap. 3.

De Divin. Nomin.

Hinc non levi omnino conjectura colligere possumus, Scriptorem nostrum maximas cùm turbas ab hæreticis Nestorianis & Eutychianis cieri videret; tunc ut utrosque confunderet, ac pro viribus Ecclesiæ catholicæ partes tueretur, animum ad scribendum appulisse. Atque ut id ipsi cederet felicius, magnum & venerabile Dionysii Areopagitæ nomen scriptis suis præfixit. Ea ergo intra annum 431. quo Oecumenica Synodus Ephesina adversus Nestorianos, & 451. quo Chalcedonensis contra Eutychianos celebrata est, ab illo profecta videntur. Non continuo tamen publicam in lucem producta, & ab omnibus recepta, sed sensim sine sensu ita prodierunt; ut non ante memoratam superius Collationem Constantinopolitanam anno 533. in omnium venerint cognitionem. Illud porro in hujusce opinionis confirmationem

adduci poteſt, quod hæc ſcripta in his Conciliis Oecumenicis à nemine, neque etiam à Juvenale Hieroſolymitano, qui inter primos utriuſque Synodi Patres ſedebat, citata reperiantur. Nulla autem hujus ſilentii cauſa alia poteſt adferri, niſi quod Dionyſianæ lucubrationes tunc emergentes é tenebris, vix ulli ante concilium Chalcedonenſe nota fuerunt. Porro autem ſi quæras cur plura apud Auctorem noſtrum occurrant, cum his quæ Gregorius Nazianzenus ſcripſit, plane ſimilia, non abſurde reſponderi poteſt illa ab Auctore noſtro, qui ſæpius & ſua ab aliis accepiſſe, & aliorum opiniones referre dicit, in uſus ſuos, tacito Gregorii nomine, fuiſſe adſumta, ac reddita ſtylo ſuo, & inuſitatis loquendi modis.

Quibus autem hæc conjecturæ nec ſatis firmæ, nec omnino probabiles videbuntur, iidem fateantur neceſſe eſt hæc Scriptoris noſtri Opera Collationem Conſtantinopolitanam atque etiam initia ſæculi ſexti longo præcurriſſe temporis intervallo.

Caput XX.

De horum Operum utilitate, & aliis ejuſdem Auctoris lucubrantionibus deperditis.

Cum igitur tantæ antiquitatis ſint ea Opera, eo majori apud chriſtianos debent eſſe in pretio, quo plura ad eorumdem chriſtianorum utilitatem copioſe ſuppeditant. Enimvero in iis docemur quæ Scriptoris noſtri & deceſſorum ejus tempore fuerit doctrina fidei, & morum diſciplina. Quamvis enim in eo falſus eſſe arguatur, quod ea quæ do-

cet, Dionysii Areopagitæ ætate viguisse putaverit; constat tamen illa omnia debuisse ante ejusdem Auctoris nostri ævum in Ecclesia voce & scriptis doceri, atque usu plurimo recipi. Ex his ergo scriptis discimus quid iis omnibus temporibus Ecclesia docuerit de adorando Trinitatis mysterio, de Christi divinitate, & incarnatione, de Angelorum hierarchiis & ordinibus: quid tradiderit de Baptismi & Eucharistiæ administratione, de Liturgiæ seu Missæ celebratione, de consecratione Chrismatis, de sacris Ecclesiæ ministris, de Monachis, eorumque votis & professione, ac tandem de mortuorum exsequiis & sepultura. Porro autem cerimoniæ & ritus non ut recentes ac novi, sed ut veteres atque ab Apostolis derivati in nostri Auctoris scriptis referuntur. Quapropter qui eadem scripta Dionysio Areopagitæ vindicant, omnes illos ritus ab Apostolis profluxisse contendunt. Qui vero ea recentioris Scriptoris fœtum esse opinantur, negare non possunt plures ex iisdem ritibus à traditione Apostolica manasse: cæteros autem tum pedetentim institutos, cùm Ecclesiis pax & tranquillitas ab Imperatoribus christianis data est, atque ab ipsis templa, in quibus sacra publice fierent, ædificata fuerunt. Hinc liquido colligimus tales Missam celebrandi, & sacramenta administrandi ritus ab Auctore nostro describi, quales Constantini magni tempore & quarto sæculo observari cœperunt.

Magna horum Auctoris nostri scriptorum utilitas, triste aliquod aliorum quæ perierunt, nobis desiderium reliquit. In his numerantur, liber *de* [a] *Hymnis divinis*, liber [b] ἐν ταῖς θεολογικαῖς ὑποτυπώσεσι, *de informationibus divinis*, liber *de* [c] *Symboli-*

[a] *De cæl. Hier. cap. 7.*
[b] *De divin. nomin. cap. 1. 2. & 11. & lib. de Myst. Theol. cap. 12.*
[c] *De Divin. no-*

ca Theologia, liber *de* [d] *Anima*, liber *de* [e] *justo divinoque judicio*, liber *de* [f] *iis quæ sub intellectum & sensum cadunt*: & si divo Maximo fides habenda, liber *de* [g] *legali Hierarchia*, & liber *de* [h] *Angelicis ordinibus & proprietatibus*: sed postremus ille liber non alius esse videtur, ab ipso libro de Cælesti Hierarchia. Cæterum ea fuit eorum librorum jactura; ut nulla illorum mentio, nullumque exstet vestigium; nisi in iisdem Auctoris nostri Operibus, vel quod ipsorum fultum non sit testimonio.

min. cap. 1. 4. 9. 13. & de Myst. Theol. cap. 1. & epist. ad Tit.
[d] *De Div. nom. cap. 4.*
[e] *Ibidem.*
[f] *De Ecclesf. Hier cap. 1.*
[g] *Ibidem cap. 3.*
[h] *De Divin. nomin. cap. 4.*

CAPUT XXI.

De editionibus & versionibus eorumdem Operum, ac variis in ea Scholiis & observationibus.

JAM vero ut ad eorum editiones veniamus, typis græcis excusa sunt Basileæ anno 1539. Coloniæ 1577. Paris. 1565 Venetiis anno 1558. & apud Morellium anno 1562. Latinis simul ac græcis Parisiis anno 1615. & rursus ibidem 1644. & Antuerpiæ anno 1663. Quædam vero ex his Operibus separatim edita sunt, nimirum libri duo, alter *de mystica Theologia*, alter *de Divinis nominibus* Mars. Ficino interprete & explanatore Venetiis anno 1538. atque inter Opera ejusdem Ficini Basileæ anno 1576. Item *de Ecclesiastica Hierarchia* cum Latina versione Basil. anno 1539. Epistola ad Polycarpum inter epistolas SS. Patrum à Symphor. Champerio typis Ass. 1516. Eadem cum epistolis Ignatii & aliorum Ant. 1540. & Venet. 1546. Epistolæ duæ in Ortodoxographia. Omnia denique Opera latine in Bibliothecis Patrum antiquis,

ac in Coloniensi ex editione Lanselii, & in nostra Lugdunensi ex Corderiana rursus vulgata sunt.

Antiquissima horum Operum versio latina accurata est à Scoto Erigena aut Scotigena, qui eam ex manuscriptis græcis in Monasterium Sandionysianum, Carolo Calvo imperante, allatis, adornavit. Hæc versio cum aliis quibusdam nimirum Petri Sarrasini, Ambrosii Camaldulensis, & Marsilii Ficini edita est Coloniæ anno 1546. Eodem anno alia Clauseri studio Angentorati prodiit: atque eadem in urbe Perionius anno 1557. suam vulgavit, quæ anno 1585. Lugduni rursus prælo subjecta est. Illas exceperunt versio Lanselii, è Societate Jesu Presbyteri, Parisiis publicata anno 1625. ac demum Corderii Theologi, ejusdem Societatis Doctoris, quæ Antuerpiæ 1633. emissa est in lucem.

Porro autem vix alia reperias sanctorum Patrum Opera, quibus illustrandis & exponendis majorem Scriptores posuerint operam. Enimvero præter memoratas versiones, multi in has Auctoris nostri lucubrationes ediderunt scholia, notas, observationes, & paraphrases. Dionysius Rhetor, & Johannes Scythopolitanus sexto Ecclesiæ sæculo quædam in eas scholia conscripserunt: sed eorum in primis, quæ à Dionysio profecta sunt, jacturam patimur. Septimo sæculo divus Maximus, martyr celeberrimus, scholia etiam continua, & uberiora adornavit. Iis autem neque doctrina, neque ritus, aut disciplina ab Auctore nostro tradita explicantur: sed quædam in Auctores ab illo citatos observantur, quibus Maximus hæc scripta Dionysio Areopagitæ vindicare conatus est. In plurimis autem scholiis ea quæ in

textu Auctoris consideratione adtentiori legenda sunt, omnibus animadvertenda proponit. Quæ quidem omnia tanti martyris pietatem & sanctimoniam omnino spirant & redolent.

Pachymerius paraphrasim seu Comentarium in eadem Dionysii Opera scripsit, qui scholiis divi Maximi sæpius subjungitur. Postea vero Hugo à sancto Victore, Albertus magnus, divus Thomas Aquinas, Dionysius Carthusianus, & quidam alii nonnulla in quasdam ejusdem Auctoris lucubrationes scripserunt.

Præterea editionem eorumdem Operum latinam habemus Parisiis typis Henrici Stephani anno 1515. excusam, quæ versionem Ambrosii Camaldulensis, notas Fabri Stapulensis, & Commentarium Judoci Clichtovei complectitur. Porro Fabri scholia sæpius in vulgus prodierunt Argentorati anno 1498. & 1502. & Parisiis 1505. In iis autem Faber versionem Ambrosii Camaldulensis aut illustrat, aut corrigit: atque ut id præstaret integrius, græcis manuscriptis, quæ in Dionysiano Monasterio servabantur, usus est.

Notas omnium maximas divulgavit Corderius, supra memoratus, quas ipse Theologicas appellat. Et re quidem ipsa eæ ad Theologiam Scholasticam pertinent, atque in iis quibus librum *de Divinis nominibus* illustrare contendit, fusius uberiusque disputat.

CAPUT XXII.

Novæ quædam observationes.

Auctor Hebraicè nesciebat.

NULLI injucundum, nec forte inutile erit his observationibus quædam adjicere, quæ adtentione aliqua non plane indigna videbuntur. Primum enim Auctor noster Hebraicè nesciebat: quippe qui ubi nonnullas Hebraicorum verborum interpretationes adfert, subjungit continuò: *Hebraicè periti aiunt*, vel: *Hi qui Hebraicè norunt.*

De Cælest. Hier. cap. 7. De Eccles. Hieron. cap. 4.

De voce Presbyteri.

Præterea in incerto ahuc esse videtur, num hæ voces quæ in librorum inscriptionibus leguntur. τῷ συμπρεσβυτέρῳ Τιμοθέῳ Διονύσιος, ab Auctore ipso profectæ sint. Quî enim fieri potuit, ut in Operum suorum titulis adhibuerit πρεσβύτερος vocem, qua nullibi umquam in iisdem Operibus suis uti voluerit? Dissimulare tamen non possumus, easdem inscriptiones eodem modo in græcis ac latinis manuscriptis atque in editis exhiberi: sed in codicibus illis manu exaratis, quorum antiquissimi ætatem sancti Maximi non superant, voces hujuscemodi à librariis scriptoribus in titulos facile intrudi potuerunt. Verum has conjecturas nostras aliorum judicio libenter permittimus.

De capitum summariis.

Idem quoque dicendum de capitum summariis, ut vocant, sententiis, seu argumentis, quæ in manuscriptis & editis libris similiter occurrunt. Plura quippe capitum argumenta, ab iis quæ in textu pertractantur, repræsentandis adeo sunt aliena; ut à quovis alio potius, quam ab Auctore scripta esse videantur.

Arbitrantur nonnulli his in scriptis aliquam minorum Ecclesiæ Ordinum, sacro Diaconatu inferiorum, mentionem haberi. Iis tamen lectione, qua potuimus, accuratiore examinatis, nullum nobis eorum Ordinum vestigium ullibi apparuit. Non sumus quidem nescii mentionem ibi fieri Cantorum; sed peculiarem quemdam Ordinem ex iis in Ecclesia constitui, nullibi umquam Auctor noster tradidit. Et certe id cuilibet facile persuadebitur, si animo adtendat non alium Scriptoris nostri scopum esse, quam Ecclesiasticam hierarchiam, Angelicæ & cælestis instar, tres tantum in Ordines Episcoporum, scilicet, Presbyterorum & Diaconorum, à nobis supra commemoratos distinguendi. *De Ordinibus minoribus.*

Neque etiam omnes cerimonias & ritus, sicut Operis ejus consilium magis postulare videbatur, in sacramentorum administratione observari solitos commemorat. Etenim ubi differit de sacramento Confirmationis, post Baptismum administrando, nullum de manuum impositione verbum fecit. Nemo tamen nescit eam ab Apostolis eorumque successoribus fuisse adhibitam. Quidquod & ipse in libro *de Ecclesiastica Hierarchia*, in secunda cujusque capitis parte, ubi de hujuscemodi tantum ritibus disputat, nonnullos prætermisit, quos in tertia parte deinceps reducit in memoriam. *De ritibus prætermissis.*

De quibusdam quoque cerimoniis tractat, quæ in sua tantum Ecclesia, & nonnullis forsitan vicinioribus, erant in usu. Talis est ille tam singularis ritus, sacrum chrisma plumis duodecim cooperiendi. Illud etiam in Missæ celebratione peculiare videtur, quod recitatis defunctorum no- *De ritu singulari.*

minibus, fieret manuum lotio, consecrationi Eucharisticæ immediate præmittenda.

De mss. Regiis. Plures etiamnum exstant in Bibliotheca Regia horum Operum manuscripti codices græci, quorum præcipuus numero 2262. subnotatus, omnium antiquior est, & annorum 600. ætatem nobis præ se ferre videtur. Ex hoc codice solo, aliis, qui sequentibus numeris notantur, nec inspectis, nec examinatis, suam Morellius, uti putatur, editionem adornavit.

De mss. Colbertinis. Duos alios ex celeberrima Colberti Bibliotheca penes nos habuimus, quorum prior caractere elegantissimo exaratus, ætatem suam his verbis in calce illius adjectis, indicat, ἐπληρώθη ἡ παροῦσα Βίβλος μηνὶ ἰανουαρίῳ ζ ἰνδ. ε'. ἔτους ϛφ. id est: *Perfectus est hic liber mense Januario, feria septima, indictione 5. anno mundi 6500.* Hi duo characteres græci ϛφ in codice manuscripto inter se connexi, nihil aliud ibi significare videntur, quam annum mundi 6500, & Christi 992.

In hoc autem codice adjectæ sunt sancti Maximi notæ, ab his, quæ in editis prostant, plurimum discrepantes. Quas quidem variationes cùm omnes describere non possimus, id semel observasse sufficiat. Unde autem orta sit illa discrepantia, si roges, disce ex Anastasii testimonio, à nobis mox edendo, quo se scholia sancti Maximi & Johannis Scythopolitani à se invicem distinxisse adfirmat. Hinc enim colliges ea imperitiorum librariorum incuria potuisse facile in codice Colbertino aliisque pluribus præpostera perturbatione confundi. Posterior tandem codex Colbertinus à quodam Monacho, nomine Longino scriptus est anno mundi, ut ab eodem Longino

ſubnotatur, 6780. id eſt, Chriſti anno 1272.

Obſervabamus ſupra quoſdam græcos codices, Carolo Calvo imperante, in ſancti Dionyſii prope Lutetiam Monaſterium fuiſſe adſportatos: ſed lugendam eorum cum cæteris ferme omnibus ditiſſimæ ejuſdem Bibliothecæ manuſcriptis jacturam fecimus. Alius qui ibi nunc habetur, illuc ab Imperatore Manuele Palæologo miſſus eſt. Atque in hujuſce rei fidem hæc verba in fine ejuſdem libri, ſed manu recentiori ſubjecta ſunt. Τὸ παρὸν βιβλίον ἀπεστάλη παρὰ τοῦ ὑψηλοτάτου βασιλέως, καὶ αὐτοκράτορος Ῥωμαίων Κυροῦ Μανουὴλ τοῦ Παλαιολόγου εἰς τὸ μοναστήριον τοῦ ἁγίου Διονυσίου τοῦ ἐν Παρυσίῳ τῆς Φραγγίας ἢ Γαλατίας. ἀπὸ τῆς Κωνσταντινουπόλεως δι' ἐμοῦ Μανουὴλ τοῦ Χρυσολωρᾶ, πεμφθέντος πρέσβεως, παρὰ τοῦ εἰρημένου βασιλέως, ἔτει ἀπὸ κτίσεως κόσμου ἑξακισχιλιοστῷ ἐννεακοσιοστῷ ἑξκαιδεκάτῳ, ἀπὸ σαρκώσεως δὲ τοῦ κυρίου χιλιοστῷ τετρακοσιοστῷ ὀγδόῳ. ὅστις εἰρημένος βασιλεὺς ἦλθε πρότερον εἰς τὸ Παρύσιον πρὸ ἐτῶν τεσσάρων. *Hic liber Conſtantinopoli ad Monaſterium ſancti Dionyſii Pariſienſis in Francia ſive Gallia miſſus eſt à Celſiſſimo Principe & Imperatore Romanorum Domino Manuele Palæologo per me Manuelem Chryſoloram, legatum miſſum à dicto Imperatore, anno à creatione mundi ſexies milleſimo nongenteſimo decimo ſexto, ab Incarnatione vero Domini milleſimo quadringenteſimo octavo. Qui dictus Imperator priùs Pariſios venit ante quatuor annos.* — *De mſſ. Sandionyſiano.*

Duos pariter nacti ſumus codices Latinos manu exaratos, quibus verſio Johannis Scotigenæ, ac divi Maximi, Johanniſque Scotigenæ notæ & ſcholia exhibentur. Primus Bibliothecæ Regiæ eſt, ſecundus Colbertinæ: alter ab annis circiter 600. alter vero 400. deſcriptus. In utroque præmittuntur ejuſdem Johannis Scythopolitani, & A- — *De mſſ. Latinis.*

nastasii Bibliothecarii ad Carolum Calvum epistolæ, quibus ei versionis operisque sui reddunt rationem. Epistola Johannis sic inscribitur: *Gloriosissimo Catholicorum Regum Carolo Johannes extremus sophiæ studentium.* Anastasiana vero: *Præfatio Anastasii Apostolicæ sedis Bibliothecarii ad excellentissimum Regem & christianissimum Carolum Regem.* Ibi versionis à Johanne, quem Scotigenam vocat, editæ meminit. Imperatorem vero certiorem facit se ad eum versionem mittere græcorum Maximi & Johannis Scythopolitani scholiorum: quæ quidem quomodo à se invicem distinxerit, his verbis significat: *Ipsorum autem scholiorum seu parathefeon, quæcumque in calce sui signum vivificæ crucis habent, à Beato Maximo Confessore ac Monacho inventa narrantur: cætera vero sancti Johannis Scythopolitani Antistitis esse feruntur.*

De epistola undecima. Illud tandem sine observatione aliqua prætermitti non debet, quod neque in his omnibus codicibus sive græcis sive latinis, neque in omnibus fere editionibus, nisi in Bibliotheca nostra Lugdunensi, epistola undecima, Dionysii nostri nomine inscripta, decem aliis superioribus subnectitur. In ea Auctor Appollophani Philosopho, ad quem data est, de illius ad christianam fidem conversione plurimum gratulatur, & de solis defectione, quæ Christo moriente, contigerat, sermonem rursus instituit.

Hæc autem epistola non solum certissima evidentis suppositionis præfert indicia: sed nec ab eodem Auctore ac decem superiores, aliique libri Dionysiani, profecta esse videtur. Enimvero illa neç in manuscriptis, uti diximus, neç in melioris

notæ editionibus vulgata est. Deinde ab aliarum cum epistolarum, tum lucubrationum Dionysii nostri stylo prorsus abhorret. Denique divo Maximo Operum Dionysii diligentissimo indagatori plane penitusque incognita fuit. Etenim nullas in eam, sicut in cætera Dionysii Opera, edidit observationes. Quid quod & ipse Maximus Dionysium cùm solis eclipsin observaret, annum ætatis vigesimum quintum adtigisse meris conjecturis probare conatur. At nulla ipsi opus erat conjectura, si hæc epistola, ubi id aperte declaratur, in ejus manus aliquando venisset. Vero igitur videtur omnino simile eàm à male feriato quodam impostore ex septima Auctoris nostri ad Apollophanem epistola, in qua de memorata solis eclipsi disputat, post Maximi obitum fuisse compositam. Porro autem non alia quidem ratione eam scripsisse apparet; nisi ut eumdem Apollophanem christianæ religioni, ad quam Auctor epistolæ septimæ eum adducere tentaverat, nomen suum aliquando dedisse omnibus quocumque tandem modo persuaderet.

DISSERTATIO XI.

DE DECEM LIBRIS RECOGNITIONUM SANCTI CLEMENTIS ad Jacobum fratrem Domini, à Rufino Presbytero Aquileiensi in Latinum versis.

ARTICULUS PRIMUS.

Analysis horum librorum.

AUCTOR hujus Operis ab ipso libri primi exordio sibi nomen Clementi, Romam vero patriam fuisse dicit: narratque quo ipse modo, & à quibus in Christi cognitionem sit adductus. Ait autem se cùm frustra Philosophorum scholas, ut de immortalitate animæ, mundique creatione & duratione doceretur, frequentasset, ad Barnabam Christi discipulum, qui tunc Romam advenerat, sese contulisse. Hunc porro, ut ipse fatur, publicos ad populum sermones habentem offendit, eumque adversus Philosophos, rudem & impolitum illius dicendi morem irridentes, tuitus est, ac in domum suam postea deduxit. Inde illum in Judæam, magni Judæorum festi celebrandi causa, revertentem quindecim post diebus sequutus, Cæsareæ Stratonis consequutus est. Barnabas vero eum confestim duxit ad Petrum, à quo benignissime excipitur, jubeturque sermones & disputationes omnes, quas deinceps donec Romam pervenirent, habiturus erat, adtente audiat.

Spondet Clemens, rogatque Petrum, ut animæ nostræ in Christi judicium post mortem adducendæ immortalitatem, ac mundum finem aliquando accepturum esse sibi demonstret. Quæ quidem derepente Petrus tam dilucide probavit, ac insuper tanta claritate *quis esset verus Propheta*, ostendit; ut Clemens Christianam fidem amplexatus, librum *de vero Propheta*, quem Hierosolymam misit ad Jacobum, statim composuerit.

Die sequenti nunciis acceptis, Simonem magum indictam à se disputationem cum Petro post septem dies distulisse, Clemens, rogante Petro, quidquid hesterna die ab eo audierat, memoriter reddidit. Tum Petrus laudata ejus memoriæ tenacitate, ipsi quæcumque notatu digniora à creatione mundi ad extrema usque veri Prophetæ tempora evenerant, narravit, planumque fecit qua ratione primus & secundus Christi adventus prænuntiatus fuerit, & quem in locum animæ hominum post eorum mortem sint congregandæ.

Longam post hæc disputationem, quam omnes & singuli quique Apostoli cum Judæis in Hierosolymitano templo per octo dies inierant, integram totamque exponit, declaratque quomodo in fine illius, seditione orta, ipsi Hiericho secesserint. Inde autem Jacobus Petrum, ut Simonem, qui se Christum & virtutem summam excelsi Dei esse jactabat, confutaret, Cæsaream direxit. Ad extremum Clemens de iis omnibus quæ à Petro acceperat, actis gratiis, primum hunc librum absolvit.

Idem Clemens in SECUNDO LIBRO narrat, quod stata disputationis Petri adversus Simonem die, ipse Apostolus primis gallorum cantibus è lecto

surgens, & pauca quædam de vi consuetudinis maturius surgendi præfatus, ab Aquila & Niceta, quondam Simonis discipulis, tunc autem ad fidem Christianam conversis, quis ille magus, & quibus *moribus & actibus esset* certior fieri voluit. Sic itaque ad disputationem instructus, progreditur, *ad atrium domus in quo erat multitudo cum Simone congregata*. Ibi Apostolus post brevem de pace à Christo in mundum allata disputationem, Deum cœli & terræ creatorem esse invictis probavit argumentis; atque omnes Simonis objectiones, cum ex scriptura sacra, tum ex ratione petitas diluit & evertit. His adjecit, quod immensæ lucis æternitas ex Lege possit ostendi. Tunc Simon Apostolo respondit magna eum polliceri, spoponditque fore ut si die crastina factum esse mundum, & animas immortales esse demonstrare voluerit, ad disputationem ipse esset reversurus. His dictis Simon cum populi, qui secum venerat, tertia parte abiit: cæteri omnes Petrum, qui plurimos mirabiliter sanavit, ultro sequuti sunt.

Tertius liber secundam & tertiam Petri cum Simone disceptationem exhibet. Sed antequam ad earum priorem adgrederetur, summo mane de maximis coram confusa plebis multitudine disputandi difficultatibus, & de tribus sanctissimæ Trinitatis personis apud suos breviter disseruit. Orta luce, in eumdem hesternæ disputationis locum se contulit, ibique Simon postquam Apostolo magicas artes, queis tot populorum animos tam cito sibi conciliaverat frustra exprobrasset, ab ipso petiit, ut fidem *qua de immensitate lucis aterna* acturum se esse promiserat, jam liberaret.

Sed ad aliam quæstionem continuo digressus, postulat

postulat ab eo: *Cùm Deus fecerit omnia*, ut ipse aiebat, unde sit malum. Quod quidem cùm Petrus contra rectum disputationis ordinem postulari demonstravisset, tunc Simon unumquemque, *sicut fato ei decernitur* agi, quibusdam rationum momentis probare nisus est. Contra vero Petrus liberum hominis arbitrium certissimis argumentis adseruit. Post hæc ab ipso Simon quæsivit, *si visibile istud cælum resolvetur, cur ex initio factum est.* Et rursus ab eodem paulo post rogavit cur ille Deum, quem Scriptura invisibilem dicit, à justis tamen post eorum obitum, videndum fore adfirmaret. Quibus clare à Petro explicatis, iterum petit Magus utrum immortalis esset anima. Sed hujus quæstionis examine in diem crastinum dilato, populus projecit se ad pedes Petri, qui plures cum ægrotos, tum à dæmone obsessos, sanos remisit & incolumes.

Sequenti igitur die cùm Petrus ea quæ pridie disputata fuerant, comitibus suis recitasset, ad consuetum disputationis locum accessit. Ibi salutato populo, & paucis de ordine in disceptationibus tenendo præmissis, immortalitatem animæ ex iis quæ Deus unicuique homini post mortem redditurus est, primum demonstravit. Dehinc Simoni nonnulla variis argutiis contra objicienti, Apostolus respondit illum de hac animæ immortalitate *ex pueri violenter necati* imagine, quam in cubiculo suo interiori adservabat, posse fieri certiorem. His dictis *Simon conscientia percussus*, veniam à Petro, quem isthæc prophetico spiritu didicisse credebat, supplex poposcit. Sed ubi Petrus ea ab iis, qui cum eo vixerant, se accepisse palam professus fuisset; tunc Simon ira percitus, & variis

contumeliis Apostolum adficiens : *Fortuna*, inquit, *non veritatis ista est victoria.* Petrus vero ex iis quæ imprudens confessus erat, illum magum esse plane convicit. Quibus Simon commotior factus, repetitis conviciis seditionem frustra excitare tentavit. Nam ab adstante plebe ejectus, & ab omnibus derelictus, unum tantummodo habuit suæ fugæ comitem. Post hæc Petrus brevi sermone docuit & irrogatas ab hominibus injurias, & ipsos pravos homines patienter esse tolerandos. Denique pro populo precatus, omnes ut maturius die sequenti convenirent, admonuit.

Ipse vero ante lucem ortam, ut Nicetæ petitioni faceret satis, quid inter falsa & vera miracula esset discriminis, fuse ostendit. Primo diluculo idem Apostolus Simonem navim, ut Romam peteret conscendisse, & omnia magiæ suæ secreta in mare projecisse, certo accepit nuntio. Hæc populo jam coacto ille actutùm nuntiat, additque se quamvis fugientem Magum, ne hominum mentes depravaret, insequi cogeretur; apud eos tamen donec in fidei doctrina essent confirmati, commoraturum.

Per hoc temporis spatium sermones ad eos consolandos, & fidei doctrina morumque pietate imbuendos, singulis quibusque diebus habuit, Zachæum Episcopum, duodecim Presbyteros, quatuorque creavit Diaconos; duodecim sociis suis tres alios adjunxit; atque ex iis omnibus duodecim ad prædicandam Christi fidem, Simonemque debellandum præmisit, ac supra duodecim hominum millia sacris regeneravit baptismi aquis. Tribus demum elapsis mensibus Clemens, eodem Petro jubente, sermones quos ab eo concionante

Cæſareæ exceperat, decem redegit in libros, eoſque miſit ad Jacobum. Petrus vero Tripolim, ubi hyemaret, profectus eſt.

QUARTI LIBRI initio narrat idem Clemens quo itinere Petrus Tripolim venerit, quos in urbibus, per quas tranſiit, adduxerit ad Chriſti fidem, qua denique pompa Tripoli exceptus ſit. Altera poſt adventum ſuum die Petrus ſociis ſuis quæcumque poſt eorum diſceſſum egerat, ante lucem ortam retulit, ab iiſque ea omnia didicit, quæ à Simone Tripoli fuerant patrata. Prima autem luce, nuntiatur Petro eumdem Magum, de adventu ejus certiorem factum, in Syriam tendentem aufugiſſe; & populum frequentem ad januam, ut ſermones ejus audiret, ipſi avidiſſime præſtolari.

Quamobrem opportunum ille nactus locum, atque ex iis quos ab corporis ægritudinibus, vel à dæmonis poſſeſſione liberaverat, argumentum ducens, planum omnibus fecit ægrotationes morboſque hominum, iiſdem quibus à vero Dei cultu receſſerant, ad eos acceſſiſſe gradibus; ac tandem eo cultu penitus derelicto, atque idololatriâ, cujus ſicuti & magiæ originem pandit, introductâ, datam dæmonibus animas eorum poſſidendi facultatem. Subinde ſe ſuoſque ad verum ſummi Dei cultum reſtituendum miſſos eſſe auditoribus ſuis annuntiavit, ipſiſque quid inter falſas veraſque prophetias & viſiones, inter ſanationem vero aut falſo miraculo redditam interſit, patefecit. Denique illos ad veram religionem amplexandam, Apoſtolis Chriſti morem gerendum, vitamque pure & religioſe inſtituendam adhortatus, ut die ſequenti ad eumdem locum maturius ſe conferrent admonuit.

Exorta igitur die, idem ipse Petrus, præmissa oratione mentali, aliam quæ LIBRO QUINTO exhibetur, ad populum habuit concionem. In ea ob omnium oculos ponit hominem ad imaginem Dei factum, tamdiu in res terrenas habuisse dominatum, quamdiu ipse justitiæ legibus obtemperavit: ubi vero ab iis discessit, continuo fragilitati, passionibus, tentationibus, vexationibus dæmonum, miseriisque omnibus obnoxius factus est. Monet tamen parvo fidei grano morbos omnes posse sanari. Hanc igitur fidem ab omnibus amplexandam esse concludit, & vero Prophetæ, quem sicuti prænuntiatum fuerat, jam adventasse noverant, unice serviendum. Deinde malas dæmonis suggestiones, quas singillatim recenset, docet non esse audiendas. Dimissis porro omnibus, ad sua ille revertitur, ubi sociis suis concedit quodcumque libuisset, sciscitandi facultatem, & respondit ipse ad singula quæque eorum interrogata. Clemens vero cuncta quæ ab eo pronuntiata fuerant, in librum, quem misit ad Jacobum, accuratissime redegit.

SEXTUS LIBER aliam quoque Petri concionem continet. Is cùm tardius solito ob noctium brevitatem surrexisset, ad consuetum concionis locum perrexit. Atque ibi primò quomodo homines falsas opiniones deponere, & in veritatis verique Dei notitiam pervenire queant, explicuit. Manifestum deinde fecit, illos non quidem *quid sit Deus, sed quod non sit*, ac proinde Deum in idolis, humana arte fabricatis, non includi eos haud difficulter scire potuisse. At vero quia *omnia gignuntur ex aqua, quæ creata est ab initio per unigenitum, per quem pervenitur ad patrem*; exinde intulit geni-

talibus Baptiſmi, cujus neceſſitatem utilitatemque demonſtrare conatus eſt, nos aquis renaſci debere. Illos autem qui hoc regenerationis ſacramento initiati erant, commonefecit, ipſis non ſolum omnia opera bona, quæ hactenus egerant, continuo eſſe facienda; ſed ad ſublimiores perfectioris virtutis gradus ſemper eſſe adſcendendum. *Hæc* & *his ſimilia*, inquit Clemens, *cùm dixiſſet Petrus, dimiſit turbas.* Per tres autem menſes integros apud Tripolitanos, quorum plurimos adduxit ad fidem, eodem modo concionatus eſt. Poſt hæc Clemente aliiſque pluribus ſacro baptiſmate ablutis, Tripoli Maronem Epiſcopum, & duodecim Preſbyteros, ac quoſdam Diaconos creavit, atque inde tandem egreſſus, venit Antiochiam.

Septimi libri initio narratur Petrum cùm Tripoli Antaradum acceſſiſſet; ſocios ſuos, quorum major creverat numerus, duas quæ ipſum præcederent, diviſiſſe in turmas; atque uni Nicetam, Aquilam alteri præfeciſſe. Clemens vero gratiis Petro, quòd eum apud ſe retinuiſſet, actis; ipſi poſcenti quomodo patrem, & matrem ac fratres amiſiſſet, confeſtim declaravit. Die ſubſequenti Petrus in inſulam Aradum vitreas immenſæ magnitudinis columnas videndi gratiâ ſe contulit; ibique Clemens agnovit matrem ſuam Mathidiam, illuc naufragio expulſam, atque eleemoſynis victum quærentem. Illa vero cum uxore Petri cæteriſque omnibus Laodicæam ducitur, ubi à duobus aliis filiis ſuis, quibuſcum naufragium fecerat, agnita quoque eſt. Hi autem narraverunt ſe poſt naufragium Cæſaream delatos, & cuidam viduæ, cui nomen Juſtæ erat, venditos, ejus cura litteris & philoſophiæ cum Simone mago operam

dedisse, illiusque errores imbibisse; sed Zachæi ope, fide Christi ab ipsis suscepta, Petro fuisse oblatos. Quibus auditis, Petrus Mathidiam Baptismi gratiam postulantem, post unius diei jejunium eo regenerationis sacramento in mari initiavit.

Die subsequenti ut in LIBRO OCTAVO habetur, Petrus Clemente duobusque aliis fratribus comitantibus, lavat in mari, atque in secretum locum ad orationem secedit. Inde egredienti occurrit senex quidam pauper, *ex habitu operarius*, qui preces ad Deum perperam fundi, & *mundum non secundùm Dei providentiam gubernari ..... sed genesin esse quæ omnia agit & continet*, audacter adseruit. Fit interim magnus populi concursus, & Nicetas, data à Petro, qui seni respondere volebat, facultate, docuit mundum à Deo factum, & ab ipso quandoque solvendum, nec ex corpusculis insensibilibus & atomis, ut ferebat Epicuri sententia, sensibilia corpora, & mentes intellectuales fieri. Variis deinde argumentis probavit mundum *ab ipsa sapientia & ratione*, quando ipsi placuit, fuisse conditum.

Postridie cœtu in primarii cujusdam civis domum coacto, senex ea quæ Nicetas dixerat summatim repetit, atque adversus illa disputans, contendit quædam *injuste & inordinate* facta esse; ex iis autem quæ juxta ordinem fiunt, quædam ab alio, quam ab ulla mente fuisse creata. Contra vero Aquila ex his quæ secundùm ordinem fieri senex concesserat, agnoscendam esse Dei providentiam demonstravit. Porro ex iis quæ inordinate fiunt, luculenter ostendit, quod *ab origine mundi nihil eorum* fuit, sed ex impietate hominum

initium mala ſumſere. Denique cùm omnibus quæ ſibi objiciebantur, fuſe reſpondiſſet, ultimam ſenis objectionem, qua *omnia ex neceſſitate geneſis ſibi accidiſſe* dicebat, fratri ſuo Clementi, poſtera die ſolvendam reliquit. His dictis, Petrus nulli hominum, niſi ſoli vero Prophetæ, quæ Deo poſſibilia ſint vel impoſſibilia comperta eſſe dixit; nec quemquam ab illo Propheta hac de re, niſi variis philoſophorum ſubtilitatibus miſſis, ſincero veritatis amore ducatur, fore umquam docendum. Cæterum ad inveſtigandam veritatem id tantummodo requiri, ut homines num Propheta ille vera ſemper prædixerit, diligenter inquirant.

Ex LIBRO NONO diſcimus ſequenti die more ſolito diſputatum fuiſſe, utrum *nihil extra geneſin fieret*. Quamobrem Clemens variis rationum momentis demonſtravit hominem libero voluntatis arbitrio, quo quidlibet agere poteſt vel non agere, eſſe præditum. Senex vero arguit ex conſtellationibus, variiſque aſtrorum aſpectibus, quos accuratè recenſuit, homines vel bonos fieri, vel malos. Contra Clemens longa inductione, qua variæ nationes eaſdem ſemper leges & conſuetudines, quantumcumque aſpectus ſyderum varii fuerint, inviolate ſervaverunt, id impoſſibile eſſe convicit. Summam quidem argumenti illius vim & pondus agnovit ſenex: ſed ut id experientia ſua falſum eſſe perſuaderet, ſibi nomen eſſe Fauſtiniano confeſſus eſt, & quæcumque ſibi acciderant, breviter narravit. Inde ab uxore ſua Mathidia filiiſque ſuis agnitus, ii, dimiſſo populo, una cum Petro, in eadem, ubi diſputatum fuerat, domo remanſerunt.

DECIMUS LIBER docet quomodo Petrus exorto

sole, Faustinianoque adhuc dormiente, Clementem fratresque ejus de ineunda cum illo disputatione, erudierit, statueritque ipsi, ut ad amplexandam religionem christianam sese compararet, dandum esse unius anni spatium. Cùm autem Faustinianus è lecto surrexisset, ab iis quæsivit; an sit in substantia, & actibus bonum & malum. Huic quæstioni respondit Clemens, atque expositis ab eo de bono & malo stellarum aspectu principiis, probavit nullam inde hominibus imponi posse necessitatem. Porro autem cùm hæc utrimque disceptarentur, Petrus coactum videns populum, deinceps de idololatria, falsisque deorum numinibus jussit disputari. Quapropter Clemens originem idololatriæ pandit, dixitque vera falsorum deorum crimina, in primisque Jovis stupra & adulteria omnibus esse notissima, ac tandem etiamnum stare plura filiorum ejus, hominum nequissimorum sepulcra. Ad hæc Aquila respondit illas deorum fabulas à Philosophis, aliisque viris sapientibus allegorice fuisse explicatas. Sed Nicetas illi continuo respondit hæc deorum crimina à pictoribus, sculptoribus, poëtis non allegorice, sed reapse, & ad litteram poni ante omnium oculos. Nicetas tamen has allegoricas fabularum expositiones, rogante Clemente, est prosequutus. Tum Petrus scripturam sacram non eo sensu allegorico, sed alia, quam ipse docuit, methodo explicandam esse demonstravit. Deinde ad Fortunatianum conversus, ad profitendam religionem christianam, quæ nihil nisi sanctum & honestum præcipit, illum adhortatus est. Denique reddita ægrotis atque à dæmone obsessis sanitate, populum gaudentem lætumque dimisit.

Inter prandii apparatus Fortunatianus, annuente Petro, Appionem & Anubionem, qui Antiochia Laodicæam cum Simone venerant, invisit. Tum Simon ut ministri Cæsaris, qui eum ad necem querebant, Fortunatianum in locum suum morti traderent; ipsi magicis artibus faciem vultumque suum imposuit. Tam stupenda transformatione uxore filiisque obstupefactis promisit Petrus se Fortunatiano, postquam Simonis vultu ad errores ejus destruendos usus esset, pristinam faciem redditurum. Quamobrem eumdem Fortunatianum Antiochiam misit, quo turbas omnes à Mago adversùm se calumniis acerbissimis concitatas, simulatâ ejusdem veri Simonis pœnitentiâ sedaret. Quod quidem Fortunatianus variis fictionibus & mendaciis præstitit, ac postea vultus pristinus à Petro illi omnino restitutus est. Petrus subinde creatis Laodicææ Episcopo & Presbyteris, ac reddita ægris obsessisque sanitate, Antiochiam, qua Simon pulsus fuerat, contendit, atque illi urbem ingredienti omnis populus, & omnes majores natu, ac nobiles pœnitentiam agentes, iverunt obviam. Ipse vero de tot hominum conversione gratias Deo retulit, omnes ægrotos sanavit, atque intra septem dies duodecim millia hominum sacro abluit baptismate. Hos inter Theophilus vir primarius populi, ***Domus sua ingentem basilicam Ecclesiæ nomine consecravit, in qua Petro Apostolo constituta est ab omni populo cathedra.*** Denique Faustinianum baptismo initiari postulantem, Petrus indicto plebi jejunio, baptizavit, & quæcumque hactenus ei contigerant, omni populo exposuit.

Articulus II.

Quid veteres de his libris senserint.

Si Auctori hujusce Operis fides habeatur, Romanus ille fuit, è Cæsaris familia, nomine Clemens, cui pater Faustinianus, mater Mathidia, fratres Nicetas & Aquila, ipse præcipuus, carissimusque Petri discipulus, qui plures Apostoli conciones disputationesque scriptis tradidit, variosque redegit in libros. Hæc ille tanta fiducia tantaque adseveratione adfirmat; ut multi Scriptores varias ejusdem Operis sententias ipsius nomine, absque ullo scrupulo citare non dubitaverint. Primus inter eos nobis occurrit Origenes, qui hos libros sic laudat: *Tale aliquid dicit & Petrus apud Clementem, quoniam bona opera quæ fiunt à fidelibus in hoc sæculo eis prosunt, &c.* & alibi aliud fragmentum, superiore longe prolixius, exscripsit in hæc verba: *Et Clemens Romanus Petri Apostoli discipulus in hanc quæstionem & sententiam cum patre Laodiceæ in circuitionibus* ἐν ταῖς περιόδοις *loquutus*, &c. Ab Auctore autem Operis imperfecti in Matthæum idem titulus his libris præfigitur: *Petrus apud Clementem*; vel: *Sicut in Historia Clementis Petrus* exponit. His adjungi possunt Adhelmus, Venerabilis Beda, Auctor Chronici Alexandrini, Freculphus, Nicephorus, Georgius Cedrenus, & alii nonnulli, à quibus hoc Opus eodem insignitum est nomine.

Tractat. 35. in Matth. post init.

Philocal. c. 22. in fine.

Cap. 10. & 24.

Alii vero illud inter apocrypha rejiciunt. Ita Patres Concilii Romani sub Gelasio: *Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur sancti Clementis libri octo.* Pro *octo* Critici Scriptores pu-

tant legendum esse *decem*. Auctor Stichometriæ post Nicephori Constantinopolitani Chronographiam additæ: *Et quæ novi*, scilicet testamenti *sunt apocrypha: Itinerarium Petri versus 2700.* Agobardus: *licet idem libri sint apocryphi; pleraque tamen ex his testimonia inveniuntur à Doctoribus usurpata.* Humbertus Episcopus Sylvæ candidæ: *Clementis liber, id est, Itinerarium Petri Apostoli & Canones Apostolorum numerantur inter apocrypha.* Honorius Augustodunensis: *Clemens scripsit .... Itinerarium Petri & disputationem Petri, & Appionis, & multa alia, quæ inter apocrypha numerantur.* Ante eos vero Athanasius dixisse fertur: *Iterum libri novi Testamenti, quibus contradicitur, sunt Circuitus Petri*, &c.

Lib. de Judaïc. superstit. cap. 16.

In respons. ad Nicet. lib.

Lib. de Luminar. Eccles. cap. 15.

In synopsi.

ARTICULUS III.

Quid Eusebius, Hieronymus, & Epiphanius de his libris senserint.

Arbitrantur nonnulli Hieronymum eamdem de his libris tulisse sententiam, ubi dixit: *Libri autem è quibus unus Actorum ejus inscribitur, alius Evangelii, tertius Prædicationis . . . inter apocryphas scripturas reputantur.* Rursus verò ubi de ipsomet Clemente differit: *Et disputatio Petri & Appionis*, inquit, *quam Eusebius in tertio Historiæ Ecclesiasticæ volumine coarguit.* Et re quidem ipsa Eusebius in eodem quem Hieronymus citat libro hæc habet: *Quidam porro alia etiam Opera prolixa sub ejus nomine heri ac nudius tertius in lumen protulerunt, puta Petri & Appionis disputationes, quarum apud antiquos nulla omnino exstat mentio. Neque enim sincera rectæ fidei, ab Aposto-*

Lib. de Script. Eccles.

Eod. lib.

Lib. 3. Histor. cap. 38.

lis tradita, nota in illis expressa reperitur. Et Clementis quidem quæ genuina, & omnium consensu recepta sint scripta jam satis liquet. Unde Valesius his verbis *Petri & Appionis disputationes* libros Recognitionum ab Eusebio designatos opinatur. Quod si dixeris in iis non inveniri quas Eusebius dicit *Petri & Appionis disputationes*; respondet Rufinum, hujus Operis interpretem, alia penes se habuisse eorumdem librorum exemplaria, in quibus plura quæ in nostris occurrunt, non repræsentabantur.

In eumd. Euseb. locum.

Verumtamen quamdiu non exstabunt illa exemplaria, à nostris tantopere discrepantia, tamdiu incertum erit, utrum in eis, vel in aliis ejusdem Scriptoris libris hæ disputationes contineantur, aut tandem illæ solæ speciale aliquod volumen constituerint. Ut ut sit, videbitur forsan idem Eusebius libros Recognitionum nomine *Actus Petri* appellasse, cùm scripsit: *Librum vero qui Actus Petri dicitur, & Evangelium ejus nomine inscriptum, Prædicationis quoque & Revelationis ejusdem libros pro catholicis scriptis numquam habitos esse constat*; quandoquidem nec vetustiorum, nec recentiorum Ecclesiæ Scriptorum quisquam, desumto ex iis libris testimonio usus fuit. Non sumus quidem nescii, eos de quibus Eusebius disputat, libros, ab antiquis, ut paulo ante vidimus, Scriptoribus fuisse citatos. Attamen non inde continuò inferri debet, illum, non de Clementis, sed de alterius cujusdam libris loquutum esse. Nam ut prudenter observat Valesius, ibi erravit, & memoria lapsus est Eusebius; quippe qui eamdem Apocalypsin seu *Revelationem Petri* quam hîc ab antiquis citatam negat, alibi à Clemente laudari

Lib. 3. Histor. cap. 3.

teſtetur: *Clemens in libris Hipotypoſeon Petri Apocalypſin laudat.* Certum eſt præterea librum qui *Prædicatio Petri* inſcribitur, ab Origene & aliis nonnullis fuiſſe citatum. Potuit ergo Euſebius & in aliis duobus libris, quos commemorat, ſimiliter decipi. His tamen opponi poteſt quod ille de libris à Petro non autem à Clemente ſcriptis ibi loquatur. Cæterum ſi Euſebius in allatis locis libros Recognitionum Clementis laudat, illos genuinum Clementis opus eſſe penitus inficiatur. Si vero eorum non meminit, idem ex ejus ſilentio argumentum ducitur. Neque enim ille tam longas lucubrationes, quas à Clemente profectas eſſe noviſſet, tam alto potuit umquam præterire ſilentio.

Lib. 6. Hiſt. cap. 14.

Tom. 13. Expoſit. in Evangel. Johan.

Quibus autem accuratiori diligentia hoc Clementis Opus examinare licuit, ii certiorem de illo ferunt ſententiam. Hos inter Epiphanius memoriæ prodidit Clementem noſtrum de Petri Circuitibus aliquid revera ſcriptis tradidiſſe, ſed ejus ſcripta ab Ebionitis hæreticis adeo fuiſſe corrupta; ut paucis veris relictis, cætera ipſi falſo ſuppoſuerint: *Sunt & alii libri*, inquit, *quibus utuntur, velut Petri Circuitus à Clemente conſcripti* περιόδοις καλουμέναις Πέτρου. *Quo in libro, paucis veris relictis, cætera ſuppoſuerant; quemadmodum Clemens ipſe omnibus illos modis redarguit iis epiſtolis circularibus, quæ ab eo ſcriptæ, in ſacroſanctis Eccleſiis leguntur. Ex quibus conſtat longè ab iis quæ in Circuitibus illis ſub ejus nomine adulterina exſtant, illius fidem ac ſermonem abhorruiſſe. Etenim virginitatem Clemens docuit, iſti repudiant: ille Eliam, Davidem, & Samſonem, omneſque Prophetas commendat, Ebionitæ deteſtantur. Quare in Circuiti-*

bus istis suum ad institutum accommodarunt omnia, ac de Petro plurima mendacia confinxerunt. Cujusmodi est inter cætera illum castimoniæ causâ lavisse, quod isti facere consueverunt. Tum ab animatis omnibus, & carnibus reliquoque omni quod carne constet abstinuisse; quoniam ab iis tam Ebion olim, quam hodie Ebionitæ omnes abhorrent. Re autem vera, in his libris diligenter observatur Petrum manè lavisse. In his Petrus dixisse fertur: *Panis mihi solus cum olivis, & raro etiam cum oleribus in usu est.* In his denique Christus solus ubique verus propheta fuisse asseritur. Porro si Epiphanius nonnulla, quæ in his libris minime occurrunt, retulisse videatur, ille profectò in codices ab iis, quibus Rufinus suam edidit versionem, diversos incidisse dicendus est.

Lib. 7. Recognit.

Articulus IV.

Sententia Rufini & Photii de his libris.

Opinio ejusdem quoque Rufini est, hos libros à Clemente Romano Pontifice exaratos, eosque depravatos fuisse ab hæreticis: sed plura quam putat Epiphanius, integra, & ab ipso Clemente verè profecta, in iis suo tempore occurrisse testatur. Ejus verba licet paulo prolixiora; quia ad rem nostram non parum faciunt, hîc transcribenda esse putavimus: *Clemens,* inquit, *Apostolorum discipulus, qui Romanæ Ecclesiæ post Apostolos & Episcopus & martyr præfuit, libros edidit, qui græcè appellantur ἀναγνωρισμὸς id est,* Recognitio; *in quibus cùm ex persona Petri Apostoli doctrina quasi vere Apostolica in quam plurimis exponatur, in aliquibus ita Eunomii dogma scribitur, ut nihil aliud*

Lib. de Adulter. Lib. Origen.

quam ipse Eunomius disputare credatur, Filium Dei creaturam ex nullis exstantibus adseverans. Tum deinde etiam illud adulterii genus inseritur, ut naturam diaboli cæterorumque dæmonum non propositi voluntatisque malitia, sed excepta ac separata creaturæ produxerit qualitas, qui utique in cæteris omnem rationabilem docuerat liberi arbitrii facultate donatam. Sunt etiam nonnulla libris ejus inserta, quæ Ecclesiastica regula omnino non recipit. Quid quæso Apostolicus vir, immo pene Apostolus non ea scribit, quæ Apostoli dicunt? Cui Paulus Apostolus testimonium dedit dicens: Cum Clemente & adjutoribus meis cæteris, quorum nomina sunt in libro vitæ; & scribat hoc quod libris vitæ contrarium est? An id potius credendum est, quod supra diximus, quod perversi homines ad adsertionem dogmatum suorum, sub virorum sanctorum nomine tamquam facilius credenda inseruerunt ea, quæ illi nec sensisse nec scripsisse censendi sunt. In Præfatione vero suæ eorumdem librorum versionis hæc habet: *Sunt & quædam de ingenito Deo, genitoque disserta, & de aliis nonnullis, quæ, ut nihil amplius dicam, excesserunt intelligentiam nostram. Hæc ergo tamquam supra vires meas essent, aliis reservare malui, quàm minus plena proferre.* Quibus ille verbis posterioribus non obscure innuit, hæc omnia à se omissa, nec latine reddita. Varios insuper habuit manuscriptos codices, à se invicem longe diversos, atque in quibusdam nonnulla, ac ea præsertim quæ de transformatione vultus Faustiniani dicuntur, non occurrisse observat: *Puto, inquit, quod te non lateat Clementis hujus in Græci ejusdem Operis ἀναγνώσεων, hoc est,* Recognitionum *duas editiones haberi, & duo corpora esse librorum,*

in aliquantis quidem diversa, in multis tamen ejusdem narrationis, denique pars ultima hujus Operis, in qua de transformatione Simonis refertur, in uno corpore habetur, in alio non habetur. Monet denique epistolam Clementis ad Jacobum fratrem Domini, quæ huic Operi præfixa erat, à se fuisse prætermissam: *Epistolam sane in qua idem Clemens, ad Jacobum fratrem Domini scribens .... ideo huic Operi non præmisi....quia & tempore posterior est, & olim à me interpretata, atque edita.*

Photius vero qui plures etiam habuerat hujus Operis codices manu exaratos de eo sic definit: *Epistola præfigitur tamquam ad Jacobum fratrem Domini, & hæc neque eadem, neque ut ab eodem profecta, sed in libris nonnullis veluti à Petro Apostolo ad Jacobum missa: in aliis rursus tamquam à Clemente ad Jacobum ..... harum prior ostendit ipsummet Petrum res à se gestas conscripsisse, & Jacobo eas postulanti misisse: altera vero refert Clementem Petri jussu easdem res gestas litteris proditas, postquam ille jam ad immortalem commigrasset vitam, Jacobo transmisisse. Ex quo conjectura capitur fuisse res gestas S. Petri editas: at cùm temporis longinquitate periisset altera, illam Clementis solam perdurasse. In omnibus enim libris, quos quidem mihi videre contigit (non paucos illos certe) post diversas illas epistolas, atque inscriptiones idem omnino sine variatione hoc Operis initium reperi. Ego Clemens: & quæ ordine deinceps sequuntur. Refertum est autem hoc Opus absurdis nugis non sine plurimis ex Arii opinione in Filium blasphemiis .... liber tamen Actorum Petri perspicuitate ac gravitate, adhuc puritate & vehementia aliisque orationis dotibus, rerum item variarum doctrina*

tantum

tantum Constitutiones superat; nulla ut hos inter comparatio, ad sermonem quod adtinet, fieri debeat ... Hunc Clementem alterum à Petro urbis Romæ Episcopum fuisse quidam autumant, alii vero quartum; Linum enim & Anacletum inter utrumque Pontifices exstitisse; ac tertiò demum Trajani anno vitam finisse. Hinc colligas in omnibus Photii codicibus idem ac in editis nostris fuisse Operis hujus initium. Porro autem nullus, uti opinamur, sibi facile persuadebit Opus illud ab eruditissimo illo viro fuisse Clementi adjudicatum; quippe qui illud ipsum absurdis nugis, & Arianorum blasphemiis oppletum esse testetur.

ARTICULUS V.

Sententiæ recentiorum Auctorum de his libris, & quid de iisdem sit sentiendum.

Neque vero Scriptorum recentiorum sententiæ minus à se invicem dissident & variant, quàm antiquiorum. Quidam enim à Rufini opinione non longe abeunt; ut Lambertus Gruterus Venradius, qui de his libris sic sentit: *Quantum ad Recognitionum Clementinarum libros adtinet, eos vere Clementi nostro adscribo; tametsi corruptos esse agnoscam, ut dicetur infra.* Et certe quasdam ille notat corruptiones, quibus ea omnia subjungit, quæ de transformatione vultus Faustiniani ibidem leguntur. Quidam autem cum Bellarmino ad Epiphanii sententiam magis inclinant; atque hos libros ab hæreticis fœde corruptos esse adserunt. Sed communior aliorum hujusce temporis Criticorum opinio Clementem librorum illorum auctorem esse negat, adfirmatque illos ab aliquo se-

cundi sæculi Scriptore fuisse depravatos, eosque repletos esse fabulis, nugis, somniis, mendaciis, atque sermonibus disputationibusque ineptis, absurdis & ridiculis; ac denique in iis reperiri fragmentum ex libro Bardesanis Syri adversus Abydam Astronomum edito, totidem verbis transcriptum. Fragmentum autem illud ab his verbis incipit: *Denique primi Seres, qui initio orbis terræ*, &c.

Apud Euseb. Lib. 6. Præpar. Evangel.

Jam vero de his libris quid sentiendum, vel cui opinioni adhærendum sit, si rogetur, dicemus illos eo modo quo nunc, & à tot sæculis repræsentantur, ab Clemente Romano profectos non esse. Constat enim quæcumque de mutatione vultus Faustiniani & postea ibi narrantur, fictitia esse, & aperte falsa. Et certè vel sola mendacia, quæ Petro Apostolorum Principi ibidem tribuuntur, id invictissime demonstrant. Neque etiam cætera omnia quæ in reliquo Opere habentur, magis Clementi adjudicanda videntur. Nam iter Mathidiæ, illiusque cum filiis suis Niceta & Aquila naufragium; atque illi occursus fortuiti, quibus se invicem, ac patrem suum Faustinianum, Clementemque ipsum agnovisse feruntur, gratis ficta sunt & plane fabulosa. Fac tamen ea esse verissima, quid magis abhorret à verisimilitudine, quam verba & sermones, quos Petrus ad suos & ad populum habuisse perhibetur? Quam multæ enim, Deus bone! ibi occurunt nugæ, ineptiæ, fabulæ! Quam multa puerilia, perridicula, & insulsa! Quam multi errores atque mendacia? Ibi Petrus Dialecticum Sophistamque agit, Simone mago longe subtiliorem. Quid de ejus ratione vivendi, mane surgendi, disputationes instituendi & or-

dinandi, in urbes ingrediendi, atque ab iis qui baptizati non erant, se se separandi dici potest? Nonne hæc omnia Operis hujus suppositionem evidenter arguunt? Quid magis fabulosum, quam ea disputatio, qua singuli Apostoli, suo quique ordine, contra Caipham, Samaritanos, Scribas aliosque Judæos decertasse finguntur? Denique in toto Opere nullas deprehendimus, ejus cui adscribitur, nimirum Clementis Romani Pontificis, Apostolorum discipuli notas, nec ullos characteres. Quod quidem ex sola quam dedimus Operis illius analysi, cuilibet æquo rerum æstimatori facilè probabitur.

ARTICULUS VI.

Num aliquid à Clemente profectum in iis libris supersit; & quis eorum auctor, ac quo tempore sint scripti.

Verum, inquies, nihilne quod ab ipso Clemente profectum sit, toto in Opere reliquum est amplius? Ut huic quæstioni fiat satis, animadvertas velim, ex iis quæ protulimus, rationum momentis colligi, eos à vero longe aberrare, qui maximam hujus Operis partem (iis tantum quæ hæreticorum pravitate adjecta sunt, exceptis) Clementi nostro adjudicandam esse censent.

De Epiphanii autem sententia, quæ hæreticos pauca his in libris à Clemente scriptis intacta reliquisse pronuntiat, certi aliquid definire difficile est. Cùm enim epistolæ, quibus ille de sui Operis corruptione, ab hæreticis facta, conquerebatur, ad nos non pervenerint, divinare utique non possumus, quæ sint illa pauca; quæ hæretici integra reliquerunt. Quapropter nisi ea pauca clare

sigillatimque demonstrentur, nobis persuadebitur facilius nihil in toto Opere sanum, sed omnia corrupta esse, & depravata. Cæterum si Epiphanius pauca quædam suo tempore sincera & genuina compererit, ille in alios, ab iis, qui nunc supersunt, codices manuscriptos incidisse videtur.

Porro autem quamvis Auctoris, à quo Opus illud corruptum prodiit, nomen hactenus incognitum fuerit atque incompertum; quia tamen illud græce primùm composuit, eum græcum quemdam hominem fuisse vero certe est per quam simillimum. Is vero dialecticus fuit, disputator acerrimus, qui varias Philosophorum opiniones, Astrologiam, Mythologiam, omnes paganorum fabulas, allegoricasque earum intepretationes, ac varias tandem variorum populorum leges, mores, consuetudinesque apprimè callebat. Sed ille hæreticorum ac præcipue Ebionitarum erroribus omnino addictus erat, atque eos in suis lucubrationibus facilius ut propinaret, easdem ementito Clementis, Apostolorum discipuli, magno nomine inscribi voluit.

Denique quo tempore eosdem illos libros in lucem ipse emiserit, paulo proclivius est definire. Verum enim vero cùm Origenes non solum illos citaverit, sed longum etiam ex iis transcripserit fragmentum, certum est eosdem Origene ipso esse antiquiores. Non temere igitur secundo Ecclesiæ sæculo in vulgus prodiisse dicuntur. Quod quidem inde rursus confirmari potest, quod Bardesanes Syrus aliud quoque, uti diximus, fragmentum non minus prolixum, in suum adversus Marcionem librum transtulit. Nam Bardesanes ille hunc eumdem librum sub Soteris Pontificatu, paulo post secundum sæculum medium Antonino Im-

peratori nuncupavit. Jam ergo pervulgati erant illi Recognitionum Clementinarum libri.

ARTICULUS VII.

Num hi libri ad nos quales ab Auctore prodierunt, pervenerint; ac de eorum utilitate, titulis, & editionibus.

Cæterum ii quantumvis adulterini & corrupti; ad nos tamen quales ab Auctore suo scripti fuerant, non pervenere. Nulli siquidem nunc occurrunt eorum græci codices manuscripti, quos suo tempore frequentes fuisse Rufinus, Photiusque testantur. *In Bibliotheca 112. & 113.* Solam habemus hujus Operis latinam versionem Rufini, qui plures, ut monuimus, locos se omisisse, nec latine reddere voluisse, ingenue fatetur. Et re quidem vera Cotelerius in sua horum librorum editione ex tribus mss. Sorbonico, Thuaneo, & Candeleriano restituit fragmentum, quod illud ipsum esse putat, quo Auctor noster, teste Rufino, *de ingenito Deo genitoque* disseruit; atque ideo quod Arianis faveret, ab eodem Rufino de industria fuerat prætermissum. Præterea si eidem Rufino Photioque fides habeatur, hi libri ab Eunomianis & Arianis, primigenio illorum Auctore longe posterioribus, depravati sunt & adulterati.

Quapropter quamvis iidem libri maximæ sint antiquitatis, cautis tamen, prudentibusque oculis legendi sunt; quippe qui ab iis qui errores suos disseminare voluerunt, variis temporibus nequiter fuerint corrupti. Possunt tamen aliquibus non omnino imprudentibus, nonnihil utilitatis ex eo adferre, quod christianæ religionis apologia sint & defensio, qua fabulæ paganorum, idololatria,

cultusque falsorum numinum, atque eorum, qui astris influentibus fatalem homini necessitatem imponi dicunt, errores impugnantur & destruuntur. Nec etiam inutiles omnino iis esse poterunt, qui varias Philosophorum opiniones, varios diversorum populorum mores consuetudinesque, atque allegoricas fabularum explicationes voluerint addiscere.

His libris & in manuscriptis codicibus, & ab iis qui illos citarunt, varii tituli præfiguntur. Aliquando enim Clementis Recognitio, vel Recognitiones, Clementis Itinerarium, liber Itinerarius Prædicationis Petri, Clementis gesta, vel Historia, aut Chronica, vel Narratio: aliquando vero Petri Periodi, vel Circuitus, vel Itinerarium, vel Actus appellantur. Ii porro typis editi sunt ex duobus mss. cum variis summorum quorumdam Pontificum epistolis, curante Johanne Sichardo, anno 1526. Postea Lambertus Gruterus Venradius eosdem rursus typis excudit, atque in eis quædam se emendasse adfirmat. Verum cùm ille has emendationes non ex manuscriptis se hausisse dixerit, eas suis dumtaxat conjectutis videtur fuisse adsequutus. Ex hac tamen editione in Bibliotheca nostra Lugdunensi hi libri rursus emissi sunt in lucem. Cotelerius autem illos cum Operibus Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt, publicari voluit, hancque editionem ope sex mss. codicum, Sorbonæ nimirum, Thuaneo, Petri Candelarii, Regis, Petri Petiti & Carmelitarum Discalceatorum se adornasse testificatur. Alium præterea codicem ante annos quadrigentos exaratum ex Bibliotheca Colbertina penes nos habuimus.

ARTICULUS VIII.

De variis in hos libros notis & observationibus, & de aliis libris ab eodem Auctore editis.

Gruterus quædam in hos libros edidit scholia, quæ nec magni sunt momenti, nec utilitatis multæ. At Cotelerius doctiores utilioresque in hos libros scripsit notas & observationes, quibus Auctoris textus corrigitur, & elucidatur. Monet tamen *majorem Recognitionum partem, quod ad humanas potius disciplinas spectent, quam ad Theologiam, notis illustratum se non ivisse.* Non paucas tamen in res philosophicas edidit animadversiones. Neque forsan alia plura ab eo observata lectoribus minus essent jucunda & utilia, si à proposito Auctoris textu rarius digrederetur.

Unum his omnibus addendum, nempe Auctorem nostrum, si fidem aliquam mereatur, plures alios, ex iis quæ à Petro audierat, libros confecisse. *Lib. 1.* Hos autem ille accurate enumerat, librum *de vero Propheta*, librum *de Præfinitione Dei, decem* alios ab editis *Recognitionum libros*, quorum *Lib. 3.* singula promit argumenta: alios item libellos ex *Lib. 3.* Petri ad discipulorum suorum interrogata responsis compositos. Utrum tamen hi libri in lucem aliquando emissi fuerint, vel vana tantummodo mendacis Scriptoris ostentatione ficte fallaciterque venditentur, in dubium merito revocari potest. At si aliquando prodierunt in publicum, hi non minus quam illi, de quibus hactenus disputavimus, suppositititii sunt & adulterini.

DISSERTATIO XII.

DE OPERIBUS PATRUM In appendicem tomi primi Bibliothecæ Lugdunensis rejectis,

Caput Primum.

De Aristea Historia de LXXII. *sacra Scriptura Interpretibus.*

§. I.

Analysis hujus Historiæ.

Auctor hujus Operis, quod Philocrati nuncupatum est, nomen sibi fuisse Aristeæ testatur. In eo autem posteaquam inexhaustam Philocratis res quasque scitu dignas cognoscendi aviditatem plurimum commendavit, narrat quo pacto Demetrius Phalereus, Bibliothecæ Alexandrinæ, tunc ducentis & amplius librorum millibus refertæ, præpositus, Regi Ptolomæo Philadelpho præstantissimum legis Judaicæ librum, qui maximo tam locupletis Bibliothecæ foret ornamento, à Judæis impetrandum esse persuaserit. Ipse vero Aristæas hac data occasione, Regi suggessit, Judæos qui à patre suo Ptolomæo Lagi in captivitatem adducti fuerant, libertate prius esse donandos, quam liber ille à summo eorum Pontifice peteretur. Rex itaque dato confestim edicto, ac persoluto supra sexcentorum sexaginta millium talentorum pretio, Judæos omnes in pristinam li-

bertatem restitutos ad sua dimisit. Tum deinde accepto supplici Demetrii libello, litteras ad Eleazarum summum Judæorum sacerdotem, Aristeæ nostro, & Andreæ tradidit deferendas, quibus eumdem Eleazarum, ut legem Judaicam, & viros qui eam Græce redderent, ad se mitteret, enixe precabatur. His vero litteris magnificentissima, quæ hac in Historia graphice describuntur, addidit munera. Subnectit Aristeas brevem templi Hierosolymitani, vestium sacerdotalium, arcis & urbis Hierosolymitanæ, atque etiam provinciæ totius descriptionem. Memorat postea apud Judæos fuisse viros doctrina & eruditione præstantes, & ad quascumque legationes obeundas semper paratos. Ex his Eleazarus 72. ad Regem Philadelphum mittendos selegit, atque eos omnes Aristeæ socioque ejus Andreæ summopere commendavit. Quibus cùm consilium opemque ii sese laturos esse promisissent, tunc Eleazarus ipsis rogantibus fuse exposuit, cur animalia quædam in Moysis lege dicerentur immunda, iisque vesci omnibus omnino esset interdictum. Post quæ eos omnes cum muneribus ac legis Judaicæ libris, aureo charactere depictis, misit ad Philadelphum. Ad eum autem cùm se contulissent, & benignissime excepti, & per dies duodecim ad conquisitissimas ejus epulas vocati sunt. Philadelphus porro singulis diebus in fine convivii 72. senioribus unam singillatim proposuit quæstionem aut moralem aut politicam, quæ mira animi sagacitate à singulis quibusque ex tempore enodata est. His ita peractis, Demetrius illos, transmisso septem stadiorum aggere, deduxit in maris insulam, atque illic in secessu jucundissimo sacros divinæ legis libros, *singula*

inter se differendo, duobus supra septuaginta diebus græcos fecerunt. Postea vero Demetrius omnem collegit multitudinem Judæorum, quibus cùm facta Legis versio plausu mirabili probata fuisset, jussit idem Demetrius; ut pro eorum consuetudine imprecarentur, *si quis vel addere, vel mutare, transferre, delereve audeat quidquam ex iis omnibus, quæ scripta sunt.* Rex ipse divinæ Legis, quam pronus adoravit, exploratos à se sensus admiratus, petiit à Demetrio, cur neque Historicorum, neque Poëtarum ullus quidquam ex ea umquam delibaverit. Cui Demetrius respondit Deum *ob venerandam Legis institutionem*, iis ita obstitisse; ut Theopompus & Theodectus, qui id aliquando tentassent, alter mentis turbatione, alter cæcitate temeritatis pœnas dederint. Denique Rex interpretes maximis donatos muneribus, quibus & alia ad Eleazarum deferenda addiderat, remisit in patriam; data tamen prius ad eumdem Eleazarum epistola, quâ eum, ut illos, si quando ad se redire vellent, libenter dimitteret, summopere obsecravit atque obtestatus est.

§. II.

Varia de hoc libro Auctorum sententia, & cujus momenti sit illa quæstio?

Utrum autem hic liber ab ipso Aristea, cujus nomine inscribitur, verè profectus sit, tres sunt eruditorum hominum sententiæ. Prima est omnium antiquorum, ac plurium recentiorum, nimirum Usserii, Waltoni, utriusque Vossii, atque aliorum, qui eum verum & germanum Aristeæ opus esse arbitrantur.

Secunda vero paucorum quorumdam, qui ab

Aristea librum aliquem de 72. Interpretibus aliquando editum fuisse putant: sed cùm is fuisset deperditus, quidam male feriatus Scriptor illum, quem præ manibus habemus, ex Josepho, verique Aristeæ Historia, atque nonnullis aliis compilatum, falso Aristeæ nomine emisit in lucem.

Censent denique alii hunc librum spurium omnino & suppositititium esse, nec alium umquam à vero quodam Aristea compositum. Hæc autem sententia primum à Ludovico Vives proposita, ab aliis deinde probata, & adserta est; maxime verò à Scaligero, qui hunc librum adulterinum, & ab Judæis Hellenistis confictum esse propugnat. Scaligerum confutavit Waltonus, respondítque ejus argumentis, ac primæ opinionis defensionem suscepit. A partibus tamen Scaligeri stant plerique Protestantis Calvinianæque sectæ homines, quorum sententiæ non pauci ex catholicis subscripserunt. Denique Humfredus Hody dato Oxonii anno 1685. libello illam contra Isaacum Vossium tueri conatus est.

In libr. 11. Augustin. De Civit. Animadvers. in Chronic. Euseb. ad annum 1734.

Nulli porro mirum esse debet, si tanto ardore de hoc Aristeæ libro digladientur inter se viri eruditissimi. Enimvero si genuinus ille est, & vere ab Aristea profectus, maxima proculdubio debet esse versionis 72. Interpretum auctoritas; ut pote quæ procurante summo Judæorum Pontifice, ab hominibus græcæ & hebraicæ linguæ peritissimis diligentissime elaborata, atque ex manuscripto integerrimo, omnibusque numeris absoluto, & litteris aureis exarato adornata sit. Unde & illud non parvi quidem momenti consequitur, Hebraica exemplaria, quæ ab hac versione, proindeque ex codice Hebraico, ex quo illa prodiit, alicu-

bi discrepant, depravara ibidem fuisse & corrupta. Ea propter plerique versionis 72. Interpretum fautores nullum non movent lapidem, ut librum illum Aristeæ vindicenr. Contra vero ex iis qui codices Hebræos, solos sacri divinæ scripturæ textus puros & incorruptos fontes esse arbitrantur, nonnulli eumdem librum, ut spurium & adulterinum, plane penitusque repudiant. Ex iisdem tamen aliqui & veritatem Aristeanæ historiæ, & græcæ 72. Interpretum versionis auctoritatem agnoscunt & tuentur. Si qui autem in illa nævi occurrant, plerosque corruptæ græcorum exemplarium descriptioni tribuendos esse existimant. Hæc itaque quæstio, sepositis partium studiis & præjudiciis, eo accuratius nobis tractanda est, quod illa viris quibusdam doctissimis, ac potissimum Hebraicæ eruditionis peritioribus, ponderis alicujus esse videatur.

§. III.

Proponuntur argumenta eorum, qui hanc historiam Aristeæ tribuendam esse existimant.

Qui hanc Historiam ab Aristea scriptam esse opinantur, sententiam suam veterum omnium Scriptorum cum christianorum tum Judæorum auctoritate & testimoniis defendunt. Primùm enim Josephus totam versionis 72. Interpretum historiam brevius, quam Auctor noster descripsit, ac plura prolixaque, quæ etiamnum in ejusdem Auctoris nostri libro integra reperiuntur, fragmenta mutuatus est. Aristobulus verò Hebræus Philosophus, in libro quem Ptolomæo Regi inscripsit, eamdem versionem, regnante Philadelpho avo ejusdem Ptolomæi, adornatam esse testatur. Huic subjungunt Philonem Ju-

Lib. 2. Antiq. Jud.
Lib. 12. & lib. 2. cont. Appion.

Apud Euseb. Præpar. Evang. lib. 13. §. 12.

Lib. de vita Moysis.

dæum, qui eodem penitus atque Aristeas noster modo eamdem versionis illius historiam compendiose tradidit. Attamen, ut verum fateamur, nullam neque Aristeæ ipsius, neque Demetrii Phalerii, neque 72. seniorum fecit mentionem.

Ex Scriptoribus autem christianis qui hanc Historiam Aristeæ adscribunt, citantur Justinus martyr, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Hilarius, Epiphanius, Augustinus, aliique quam plurimi; præcipue vero Eusebius, qui plura non secus ac Josephus ex hoc Aristeæ libro desumsit fragmenta, atque iis locum unum ab eodem Josepho prætermissum, totidem verbis à se transcriptum adjunxit.

Apolog. 2. pro Christian. & Parænesis ad Græcos.
Lib. 1. Stromat.
Apologet.
Lib. de Ponder. & mensur.
De Civit. lib. 18. cap. 42.
Lib. 8. Præpar. Evangel. §. 9.
Lib. 5. Histor. cap. 9.

Hæc autem sententia, inquiunt Aristeanæ Historiæ defensores, tot tantisque doctissimorum atque antiquissimorum hominum præsidiis munita, novæ quorumdam recentiorum opinioni jure merito præferenda est. Et certe ii, inquiunt, non longe aberant ab Aristeæ tempore, multoque facilius, quam recentiores, ab coævis suppparibusque Aristeæ Scriptoribus, num genuinus esset ejus liber, potuerunt addiscere. Hos ergo omnes cujuslibet ætatis & eruditionis Scriptores falsos esse, ac neotericis dumtaxat hujusque ætatis hominibus lumen veritatis adfulsisse quis sibi persuadeat?

§. IV.

Primum argumentum contra Aristeæ Historiam expenditur.

Qui vero hanc Historiam supposititium opus esse autumant, ii sententiam suam variis, quæ hîc examinanda sunt, nituntur adserere rationum firmamentis. Ac primo quidem illud falsitatis arguunt, quod tradit illius Auctor suasionibus ac

curis Demetrii Phalerei, Bibliothecæ Alexandrinæ præpositi, Ptolomæo Philadelpho regnante, adornatam fuisse legis Judaicæ versionem. Etenim Phalereus cùm temporibus Ptolomæi Lagi, patris Philadelphi, in summum ejusdem Philadelphi incurrisset odium, initio regni illius mortuus est. Illud autem, inquiunt, luculento probatur Hermippi testimonio, quod apud Diogenem Laërtium ita habetur: *Hermippus eum tradit post Cassandri necem Antigoni metu, se ad Ptolomæum Soterem contulisse, multumque illic temporis moratum, inter cætera consuluisse Regi; ut filiis quos ex Eurydice susceperat, impartiretur regnum. Illo non obtemperante, sed ei quem ex Berenice genuerat, diadema tradente, ab hoc ipso post patris mortem fuisse adservatum in provincia, quoad aliquid de illo statuisset. Hîc ille mœstior vixit, ac veluti dormitans, ab aspide manum mórsus, ex hac vita migravit.* Porro Hermippus Smyrnæus erat, & regnante Ptolomæo Evergeta, Philadelphi filio, Philosophicam tradidit Historiam. Is porro nihil in citato à nobis loco de Cassandro vel Antigono narrat, quod veritati, quidquid Vossius reclamet, non sit omnino consonum, & confirmatum invictis vetustissimorum Auctorum testimoniis.

In vita Demetrii Phalerei.

Quapropter quidam inter Aristeanos celeberrimi, nihil in Hermippi aut Diogenis verbis occurrere dicunt, quod sententiæ eorum adversetur, aut secum facile conciliari non possit. Philadelphus enim pluribus annis cum patre suo Ptolomæo Lagi regnavit, tuncque longa sui adversus Demetrium odii dissimulatione, locum ei dedit græcam legis Judaicæ procurandi versionem.

Sed illud Antiaristeani ab omni veri specie prorsus alienum esse eo conficiunt, quod quæ de Bibliotheca Alexandrina, de captivorum redemtione, & de apparanda legis Mosaicæ versione in Aristeæ Historia legimus, ea omnia Philadelpho soli tribuantur. Huic etiam soli Demetrius epistolam seu libellum supplicem obtulit. Huic soli Eleazarus, & ille solus Eleazaro direxit litteras. Immo Eleazarus sua illum epistola sic alloquitur: *Si vales ipse, & Regina Arsinoe soror tua, & liberi, bene est*, &c. Unus vero ex 72. Interpretibus sic pro eodem Philadelpho vota nuncupat: *Rex te impleat Deus .... detque & efficiat, ut tu, uxor, liberi, amici habeatis*, &c. Cur ergo Eleazarus nec salutato, nec nominato Ptolomæo Rege, patre Philadelphi, eidem Philadelpho, sororique ejus, & liberis salutem impertit? Cur idem Eleazarus, & unus ex 72. senioribus non solum eidem Philadelpho, ac uxori, & liberis, sed etiam amicis fausta omnia & prospera optat, nullumque de Ptolomæo ejus patre, idem regnum, cujus participem eum fecerat, adhuc occupante, ne minimum quidem habet verbum? Quid vero quod ii qui hanc versionem sub Ptolomæo Lagi perfectam esse existimant, de Philadelpho ejus filio penitus siluere?

At, inquies; Ptolomæus Lagi Philadelpho, qui maximo Bibliothecæ suæ amore tenebatur, omnem illius curam, sollicitudinemque dereliquerat. Quid ergo mirum, si omnia quæ ad eam augendam ornandamque facta sunt, ipsi tribuantur soli, soloque ejus nomine peracta esse dicantur? Hinc in convivio unus ex 72. Interpretibus ipsi soli, uxorique ejus, & filiis fausta fortunataque omnia optat & precatur.

Contra verò, hæc omnia vana omnino & frivola esse clamant eorum adversarii. Philadelphus namq; puer adhuc, & admodum juvenis in regni partem à patre adscitus est, illeque duobus tantummodò annis cum patre regnavit. Demetrius ergo cum Bibliothecæ Alexandrinæ præfectus esset, tùm Philadelphus nec filios genuerat, nec habebat uxorem, atque omnium minime Arsinoen sororem suam, quam non nisi ætate provectus duxisse perhibetur. Invictum certè argumentum, si Philadelphus cùm in regni socium à patre adsumtus est, annos pubertatis nondum adtigisse plane demonstretur. Quis enim nesciat plerosque filios Regum, cum primùm conjugio apti sunt, duxisse uxores?

At inquiunt, provectiorem Philadelphi ætatem produnt tot illius elogia, hunc in librum passim congesta, quibus præclara illius facinora ita celebrantur; ut ipse omnes decessores suos longe superasse absque ulla dubitatione adfirmetur. Quod certè eum & grandioris ætatis, & patrem ejus vita jam functum fuisse non obscure demonstrant. Etenim quantumvis cæca sit hominum Regibus adulantium consuetudo, ac ut ita dicam furor; adolescentulus tamen, ex ephebis vix excedens, tantis non potuit exornari laudibus.

Addunt nonnulli plerosque Scriptores ingenue fateri versionem 72. Interpretum circa finem regni vitæque Philadelphi, vel saltem pluribus post patris ejus obitum annis fuisse perfectam. Sed hoc argumentum nisi validioribus rationum momentis confirmetur, eos non pulsat, qui initio Philadelphiani imperii eamdem versionem prodiisse perfracte contendunt.

Illud

Illud itaque validius est, quod de uxore, & liberis Philadelphi, ejusque laudibus traditur, quodque de Demetrii morte ex Hermippo scripsit Diogenes Laërtius. Quapropter utrique Hermippo & Laërtio opponit Waltonus Aristobulum Judæum Philosophum, qui memoratam Legis interpretationem, sub Rege Philadelpho, Demetrii cura adornatam esse testatur. Atqui Aristobulus, ut idem Waltonus ait, paulo post Aristeam floruit; quippe qui librum suum nuncupavit Ptolomæo Philometori, qui quartus post Philadelphum Ægypti Rex, centum circiter annis post vulgatam Legis versionem imperabat. Ab eo ergo vel ab aliis, qui rei gestæ interfuerant, edoceri potuit, qui fuerint ejusdem versionis auctores.

Apud Euseb. Præparat Evang. Lib. 9. & 13. & Clem. Alexandr. Lib. 1. Stromat.

Scimus quidem nonnullos hanc Aristobuli ut declinent auctoritatem, Opus illius quod ex ipsomet Aristeæ libello confictum esse adfirmant, arguisse suppositionis. Verum ii nullas inustæ adulterationis notas & characteres, sed meras adferunt conjecturas, quæ ad elevanda Clementis Alexandrini, atque Eusebii, in Aristobuli gratiam testimonia, infirmiores esse videntur. His itaque conjecturis longe præstat auctoritas Hermippi, qui cùm Aristobulo antiquior, & Demetrio suppar esse credatur, nihil nisi verum, & sibi omnino compertum protulisse censendus est.

Nec id quidem magni ponderis nobis videtur, quod urgent aliqui, vero non videri simile Ptolomæum Demetrio, illustrissimo Legislatori, & principi maximo, qui patria pulsus ad eum confugerat, commisisse Bibliothecæ suæ curam; quippe quæ quibusvis infimæ sortis hominibus, modo doctiores essent, delegari soleret. Nam iis facile

Ee

respondent eorum, adversarii, Ptolomæum non modo opibus honoribusque maximis auxisse Demetrium; sed ipsi etiam secundum in regno suo dedisse locum. At vero cùm his omnibus propter summam ejus eruditionem, Bibliothecæ suæ, qua nihil antiquius habebat, præfecturam addidit, sempiternum proculdubio dedit sui in eum amoris & benevolentiæ testimonium.

§. V.

Secundum argumentum ex navali prælio & Menedemi Philosophi commemoratione desumtum, expenditur.

Aliud falsitatis Aristeanæ Historiæ argumentum inde eruitur, quod Aristeas ipse, ac deinde Josephus, memorant Philadelphum, cùm 72. Interpretes excepit, in hæc verba erupisse: *Hac vero dies, per omne vitæ tempus, magna mihi semper in annos erit & celebris, in qua & vos mihi adfuistis, & evenit ut adversus Antigonum navali prælio victor evaderem.* Vanum est enim, & fictitium illud Philadelphi prælium, & à solo Auctore nostro excogitatum.

Vossius quidem illud ipsum esse putat, quod Diodorus Siculus scribit anno tertio Olympiadis 118. commissum fuisse à Ptolomæo, qui ob insignem victoriam à se reportatam, anniversarium sacrum & annua convivia instituisse memoratur. Sed hæc victoria non secus ac navale prælium gratis omnino finguntur. Nam Antigonus & Demetrius Ptolomæi hostes, re infecta, ac sine ullo prælio coacti sunt discedere.

Deinde quantumlibet verum fuerit illud prælium, felixque victoria, de iis minimè loquitur Aristeas, sed de navali prælio, quo Philadelphus

Antigonum vicerat: *Et evenit*, inquit idem Philadelphus, *ut adversus Antigonum navali prælio victor evaderem.* Hinc Usserius respondet nullum hujus prælii, à Philadelpho adversus Antigonum initi, nobis superesse vestigium. Sed hæc vana esse solent hominum frustra litigantium effugia. Illud enim Philadelphi certamen, quod propter victoriam tam insignem ab Scriptoribus, sicuti alia ejus prælia & victoriæ, celebrari debebat, inde non immerito probatur falsum & fictitium esse; quia illud nullis umquam scriptis consignatum legitur.

Denique contra historiæ veritatem Menedemus Erithræus Philosophus ab Auctore nostro traditur tunc apud Philadelphum fuisse, cum 72. Seniores versionem suam adornarent. Etenim is Platonis primum auditor, anno ætatis suæ 84. aut potius 94. Philadelphiani vero regni nono mortuus est. At quis sibi persuaderi patiatur virum provectæ adeo ætatis, ex regione tam remota, sese contulisse ad Philadelphum? Et certe ille ad Ptolomæum Lagi, patrem Philadelphi, legatus venerat, nec deinceps in Ægyptum rediisse perhibetur.

§. VI.

Argumentum tertium ex iis, quæ incredibilia videntur, elicitum, examinatur.

Fidem quoque omnem superare dicunt, id quod in eadem Historia memoratur, Philadelphum Regem ethnicum tanto pretio, tantoque sumtu, sive in redimendis captivis, sive in muneribus largiendis profuso, comparasse unicum parvæ molis volumen, in Bibliotheca sua reponendum. Certe tota illa Bibliotheca, quamvis Bibliotheca-

rum omnium longe ditissima, non tanti umquam, quanti unicus ille liber constitisse videtur.

At inquiunt, quid ibi supra eorum fidem, qui ex indubitatæ fidei Scriptoribus didicerint, quanta antiquissimorum Regum & principum, atque in primis Philadelphi fuerit munificentia, quantisque donis plurimas civitates sibi demeritus sit. Testatur enim Philo tantam fuisse illius gloriam ob *relicta per civitates regionesque magnificentiæ* monumenta; ut etiam suo tempore in proverbium abierint Opera Philadelphica, tamquam omninum sumtuosissima. Nihil ergo mirum, si ille cùm Judæos quoque sibi devincire vellet, hac sibi data sacri libri petendi occasione, dona tam magnifica ipsis ultro contulerit. Sed alias, inquies, paganus homo suis. Judæos donis cumulandi occasiones habere poterat, quam despectæ vel incognitæ sibi Judaïcæ legis librum ab eorum Pontifice accipiendo.

Lib. 2. de Vita Moys.

Illud vero minus forsitan alienum à vero censebitur, Aristeam ethnicum hominem longam Eleazari de immundis animalibus, in lege Judaïca prohibitis, expositionem ita memoriter retinuisse; ut omnem illius sermonem, ac citatum etiam scripturæ sacræ locum totidem verbis reddiderit. Enimvero id Eusebio minime incredibile visum est. Is quippe eamdem expositionem, prout ab Aristea reddita est, totam integramque descripsit; nec ibi minimum quid contra Aristeæ fidem occurrere umquam suspicatus est. Et certe cùm Aristeas de his animalibus in Lege prohibitis Eleazarum interrogaverit, hinc plane colligitur legem Moysis ipsi non fuisse omnino incognitam. Hinc etiam nulli mirum esse debet, si potuerit Aristeas unum aut alterum breve scripturæ sacræ

Lib. 8. Præparat. Evangel. §. 9.

testimonium memoriæ suæ fideliter commendare. Cæterà vero, idem Aristeas non ipsa Eleazari verba, sed sermonis explicationisque illius sensum se reddidisse non obscure significat.

§. VII.

Excutitur argumentum quartum, ex iis elicitum quæ inepta & fabulosa in ea narratione esse dicuntur.

Porro autem multa hoc in libro arguuntur inepta, ridicula, ficta, fabulosa, ac nimio in legem Mosaicam zelo, à male feriato quodam Judæo excogitata. Ac primo quidem illud plane inurbanum, & à Eleazaro Pontifice indignum censent, quod ille 72. viros ad Regem Philadelphum dimissurus, ejusdem Regis legatis: *Jurejurando adfirmat se se hujusmodi homines minime missurum, si propria quadam ingruat necessitas.* Siccine ergo Eleazarus, vir summæ gravitatis & sapientiæ, loquutus est coram legatis Philadelphi, qui tot nominibus Judaïcam gentem sibi devinxerat, qui Judæos, amplius quam centum millia captivos, manumiserat, qui tot donis munificentissimis Eleazarum & templum Hierosolymitanum ornaverat? Neque magis urbanum est, quod continenter Eleazarus adjecit: *Sed ob commune civium commodum, pro quo omnia pati possit, nihil negare audere.* Non ergo propter Philadelphum; sed propter commune civium commodum eos se dimittere simpliciter & candide fatetur. Numquid hæc prudentis viri inurbanitas eo excusabitur, quod Aristeas innuit illum his verbis significasse: *Quo animo erga tales viros afficeretur?* De his judicet æquus rerum urbanarum æstimator.

Ineptum vero illud prorsus esse dicunt, quod

Lege in græcum sermonem conversa, atque ab omnibus Judæis approbata: *Jubet Demetrius, ut pro eorum consuetudine imprecentur, si quis addere, vel mutare, transferre, delereve audeat quidquam ex iis omnibus quæ scripta sunt.*

At quid ibi ineptum, inquiunt Aristeani, si Demetrius Judæorum, quibus nihil umquam Lege sua antiquius fuit, precibus victus, iis quasdam pro more suo imprecationes fieri permiserit?

Attamen urgent Antiaristeani, inepte ad Demetrii auctoritatem, quæ nulla in Judaïcum populum erat, confugisse Judæos, qui jure suo has imprecationes poterant, debebantque decernere.

Præter has ineptias addunt quædam reperiri fabulosa, ex Judæi cujusdam cæco in legem suam amore capti cerebro nata. Tale est illud quod Demetrius narrat Theopompum & Theodectum, quod aliquid ex ea Moysis lege in usus paganos convertere voluerint, alterum mentis turbatione, alterum luminis privatione divinitus punitos. Tale etiam illud quod Rex Philadelphus ethnicus adseritur librum ejusdem Legis, græce redditum adorasse, & præ gaudio lacrymas fudisse, ac tandem promisisse quot annis diem adventus 72. seniorum se solemniter celebraturum.

Verum Philadelphus, inquies, sicut olim Artaxerces, hanc Legem Dei cœli esse persuasum habuit; atque ea persuasione, ac mira ejusdem Legis admiratione permotus, potuit ea omnia præstare, quæ ab Aristea memorantur. Sed hæc, clamant Antiaristeani, improvidorum credulorumque hominum sunt responsiones. Quamvis enim Philadelphus eam legem divinam esse credidisset, numquid idcirco probabile fiet non solum sum-

mos ab hoc pagano Rege delatos eidem Legi adorationis honores; sed diem quoque adventus 72. seniorum ab ipso fuisse celebratum? Quid porro minus vero simile, quam ea de Theopompi & Theodecti mirabili ultione fabula?

§. VIII.

Leviora quædam Scaligeri & aliorum quorumdam argumenta excutiuntur.

Scaliger nonnullique alii adversus Aristeæ Historiam alia quædam adferunt argumenta, quæ cæteris etiam rigidioribus Antiaristeanis, levissimi vel nullius ponderis esse videntur. Primum enim illud Scaliger à veritate omnino censet abhorrere, quod ibi legimus ex singulis Tribubus ad Legem Moysis græce reddendam, senos viros, qui singuli suo quisque nomine appellantur, fuisse selectos. Etenim, inquit, decem Tribus in Mediam tempore Ezechiæ fuerant deportatæ. Quomodo ergo seni homines ex unaquaque Tribu, quæ amplius non exstabat, poterant ab Eleazaro seligi? Neque dixeris ex iisdem Tribubus aliquos in patria remansisse, vel illuc tempore captivitatis rediisse. Nam iis omnibus qui remanserunt, aut redierunt, nullus certus locus adsignatus est: sed cum relictis duabus Judæ & Benjamin Tribubus confusi sunt & permixti. Non potuit ergo Eleazarus senos ex qualibet duodecim Tribuum ita ad manum & in numerato habere; ut eos omnes simul & semel, nullaque interposita mora ad Philadelphum mitteret.

Hanc quam Scaliger urget objectionem, Humfredus Hody, acerrimus Antiaristeanæ Scaligerianæque opinionis propugnator, nullam esse putat.

Certum quippe est plures ex quacumque Tribu vitos in Judæa remansisse. Immo Chrysostomus, Euthymius & alii Pharizæos ex omnibus duodecim Tribubus ortos esse docent. Ex his autem viri doctrina & gravitate cæteris omnibus longe præstantiores summo eorum Pontifici ignoti esse non poterant. Si vero Auctori nostro fidem aliquam habeas, tales viri discreti erant ab aliis, & legationibus obeundis destinati. Nihil ergo mirum si Eleazarus senos ex qualibet Tribu invenerit, ad legem Moysis græce reddendam paratissimos.

Ridet Petavius, nec immerito, plumbeum aliud Scaligeri telum, quod ille ex fæce Rabinica contra Aristeæ Historiam contorquet. Contendit namque idem Scaliger non solemnitatem sed angariam, id est, jejunium ad summam Legis, græcum in sermonem conversæ, exsecrationem fuisse institutum. Sed Josephus Hebraicæ linguæ utique non imperitus è contrario testatum facit eamdem versionem Eleazaro Pontifici fuisse jucundissimam, & ab omnibus approbatam. Nulla ergo ulli eò sæculo inde conflata invidia. Verum cùm Judæi ex eadem interpretatione se posthæc à christianis redargui & convinci cernerent, ægre id tulerunt, ac successu temporis illas instituerunt angarias, quas suis post modum inseruere Kalendariis.

Arguit rursus Scaliger tres epistolas Demetrii, Philadelphi & Eleazari eodem stylo scriptas esse, ac proinde ab eodem impostore fictas, & Aristeæ suppositas. Valesius vero falsitatem Historiæ Aristeanæ inde probat, quod epistola Demetrii Phalerii plane insulsa sit, & barbaris vocibus

plena; cùm tamen constet Demetrium, ut pote Atheniensem, eloquentissimum fuisse.

Verumtamen neque Josephus, neque Eusebius hanc insulsitatem, & barbaras voces umquam deprehenderunt, nec judicarunt eamdem epistolam Demetrio, eloquentissimo Atheniense, esse indignam. Quod porro tres illas epistolas eodem stylo scriptas esse causatur, quid mirum si in tam paucis, brevibusque epistolis, de una eademque re potissimum tractantibus, non magna sit styli varietas & dissimilitudo?

Cæterum existimat Vossius Aristeam ipsa epistolarum verba, quibus dictatæ fuerant, non transtulisse, sed stylo suo earum reddidisse sensum. Quî tamen fieri potuit; ut Aristeas, qui ex regiis Actis omnia LXXII. Interpretum responsa mutuatus fuerat, ex iisdem epistolas illas noluerit describere? Certè illa Vossii ad levissimam objectionem responsio non magni utique est ponderis.

Nec majoris momenti est argumentum ductum ex Vitruvii verbis, quibus tradit Philadelphum suam ad Pergamenorum Regum instar Bibliothecam instruxisse, eique præfecisse grammaticum quemdam, nomine Aristophanem. Atqui, inquiunt, Rex ille Pergamenus, cujus vestigiis Philadelphus institit, Eumenius erat: nec is nisi post Demetrii mortem Pergami imperavit. Falsum ergo quod scribit Aristeas Demetrium Philadelphianæ Bibliothecæ fuisse præpositum. Unde Suidas græcam legis Hebraicæ interpretationem anno tantum 33. regnantis Philadelphi editam esse tradit, ac tum temporis Zenodotum Alexandrinæ Bibliothecæ præfuisse adfirmat.

At vero quæ fides habenda his Scriptoribus, qui

non solum de Bibliothecæ Alexandrinæ præfecto secum ipsi pugnant: verum etiam ex his unus licet antiquissimus, & Augusti temporibus scripserit, exoticus tamen est & latinus; alter vero græcus quidem, sed undecimo tantum Ecclesiæ sæculo natus? Numquid eorum auctoritas Aristobuli, Josephi, aliorumque antiquissimorum Scriptorum testimonio anteponenda est? Cæterum Bibliotheca Alexandrina ante Aristophanem & Zenodotum Demetrii curæ potuit demandari.

Quod autem scribit Vitruvius Philadelphum eamdem Bibliothecam ad Pergamenorum Regum instar non ante 33. regni sui, ut Suidas quoque dicit, annum ædificasse, illud firmis rationum argumentis, quibus Aristobuli, Josephi, & Eusebii auctoritas infirmaretur, munire debebant. Suidam enim ac in primis Vitruvium multa contra Chronologiæ veritatem peccasse nemo diffitetur.

Antiaristeani porro illud maximi ponderis esse censent, quod ex Heptastadio, cujus Auctor noster meminit objectant. Contendunt enim illud post Demetrii Phalerei tempora, ut testatur Ammianus Marcellinus, à Cleopatra fuisse constructum, ac proinde falsam esse omnem Aristeæ Historiam.

Lib. 22.

Verum quam levis vanaque sit hæc objectio, docet Humfredus Hody, aliàs acerrimus Aristeanæ Historiæ inimicus. Is quippe idem illud Heptastadium Philadelpho Rege antiquius esse fatetur, & demonstrat. Ac primùm quidem auctoritate Julii Cæsaris luculenter probat illud ipsum ante Cleopatræ tempora exstitisse, atque inde Ammianum erroris aperte convincit. Deinde ostendit Pharum, qui Heptastadio recentior est, ab ipso Philadelpho fuisse conditum, & idcirco nullam esse

Lib. contr. Histor. Arist. cap. 20.

Comment. Bell. Civil. lib. 3.

ex eodem Heptastadio deductam objectionem.

§. IX.

Quo tempore Aristeanæ Historia scripta sit, ac de ejus codicibus manu exaratis & editis.

Ex his quæ hactenus disputavimus, liquido intelligitur plura adversus Aristeæ Historiam congeri argumenta, quæ nullius sunt roboris, & solo eidem Historiæ contradicendi studio depromta. Fatendum tamen quædam etiam in medium adferri, quibus falsitas illius demonstrari videtur. Quapropter si qui hisce rationibus convicti, quid de ea statuendum sit, rogaverint, respondebimus non modo Josephum, sed etiam Eusebium nonnullos, ex quibus ea quæ supra memoravimus testimonia transcripserunt, penes se habuisse hujus Historiæ codices. Eusebius enim unum ex eadem Historiæ exhibet prolixum fragmentum, quod apud Josephum minime reperitur, nec aliunde quam ex Aristeæ codice desumi potuit. Josephus vero ad Aristeanos codices, quos in omnium manibus esse credebat, lectorem remittit. Immo Philo Judæus, fatente Humfredo Hody, suum quoque lectorem ad eosdem codices remittere videtur. Unde evidenter colligitur Historiam illam Aristeanam ante Christi ortum emissam fuisse in vulgus Floruit etenim Philo intra annos post Christum natum quinquaginta.

Contendit autem idem Hody eamdem Historiam paulo ante divinam Christi nativitatem scriptam fuisse à Judæo aliquo, qui cæco religionis suæ amore incensus, græcam legis Mosaicæ versionem commendare, nec sine miraculo factam fuisse omnibus persuadere volebat. At vero cùm Epiphanius quædam ex eadem Historia depromat, quæ

ab Josephi Eusebiique excerptis plurimum discrepant, censet idem Hody alium Hellenistam Judæum ex Aristeana Historia aliam effinxisse, ex qua Epiphanius ea quæ narrat, mutuatus est.

Sed vereor ut hæ docti hominis conjecturæ omnibus omnino non probentur. Enimvero perspicuum est Epiphanium ea quæ de hac versionis Historia acceperat, suo stylo suisque verbis tradidisse. Et certe nec ille ex eadem Historia totidem verbis illa se descripsisse ullibi adfirmat. Quapropter vero videtur similius eum huic Historiæ, & Ptolomæi epistolæ, quam stylo suo reddidit, nonnulla vel ex antiquiore quodam Scriptore adjecisse, vel certe eum, cùm Josephi aut aliorum codices ad manum non haberet, narrationem illám retexendo, quibusdam in locis lapsum esse memoria.

Ut ut sit, certe Aristeana Historia eam, quam Hody adsignat, ætatem superare videtur. Philoni enim Judæo persuasissimum fuit illam veram esse, proindeque vetustissimam. Cui ergo probabile fiet virum illum eruditissimum tantum incidisse in errorem; ut Historiam adulterinam, heri & nudius tertius divulgatam, pro vera & antiquissima habuerit?

Deinde Aristobulus in libro quem nullus hactenus, uti diximus, ipsi suppositum esse evicit, non aliter, quam Aristeas, hanc versionem factam esse memorat. Atqui liber ille ab eo centum circiter annis, post editam eamdem legis Judaicæ versionem, in lucem emissus est.

Denique qui Aristeanam Historiam falsam esse autumant, ii nullum Hermippi auctoritate, ex qua omnes fere eorum probationes derivantur, majus proferunt opinionis suæ argumentum. At eidem Hermippi auctoritati opponuntur plurima

antiquissimorum Patrum, à nobis supra laudatorum, nec non Josephi, ac Philonis, atque in primis Aristobuli testimonia, quæ certe apud cordatos homines non minoris, quam unius Hermippi, debent esse ponderis & momenti. Et sane Aristobulus ille ab Philadelphi tempore non ita remotus erat; ut ipse certior fieri non potuerit, num ea Judaicæ legis versio, quæ debuit omnium, præsertim Judæorum celebrari laudibus, vere fuerit à tot interpretibus, tantisque sumtibus concinnata atque perfecta.

Cæterum quibus Aristeanæ Historiæ veritas his argumentis non probabitur, ii fateantur necesse est eamdem Historiam tum à Judæo aliquo fuisse confictam, cùm post plurium annorum curriculum ab edita Legis Judaicæ græca versione, minus notum erat quo pacto, & à quibus illa fuisset profecta, & juris facta publici.

Exstant porro etiamnum in Bibliotheca Regia ac Colbertina quidam hujus Aristeanæ Historiæ manuscripti codices, papyracei, & pergaminei; sed manus non adeo vetustæ. Typis autem edita est, Matthia Palmerio interprete, Parisiis anno 1512. 1575. & 1610. Basileæ verò anno 1536. & 155. Rursus autem in hac ultima urbe prodiit græce cum latina versione Matthiæ Gabritii, anno 1561.

Dehinc anno 1578. latine excusa fuit Coloniæ, curante Jacobo Middendorpio, qui Commentaria atque etiam adnotationes parum admodum ad textus Auctoris sui elucidationem spectantes vulgavit. Eadem porro Historia typis græcis & latinis Francofurti anno 1619. mandata fuit, ac tandem in Bibliothecis Patrum latine edita, in ultima Lugdunensi rejecta est in Appendicem.

CAPUT II.

DE LIBRO QUI DE DUODECIM Patriarcharum Testamentis inscribitur.

ARTICULUS PRIMUS.

Analysis hujus libri.

IN hoc libro exhibentur ultima duodecim Patriarcharum, filiorum Jacob verba, quæ ipsi jam jam morituri ad filios, atque ex eisdem nonnulli, nimirum Ruben & Joseph ad fratres quoque suos habuisse dicuntur. In his autem Ruben primus omnium, & major natu, testamentum suum à confessione incesti, quod ipse cum Bala, concubina patris sui, commiserat, orditur. Tum deinde ostendit quas inde pœnas Deo dederit, & quam ad eluendum scelus suum egerit pœnitentiam. Hinc filios suos ad mulierum adspectum vitandum, & fugiendam fornicationem adhortatur: ibique nonnulla de Christo venturo obiter perstringit.

Simeon vero aperit quanta in Joseph fratrem suum exarserit invidia, quantumque inde punitus sit, ac peccati sui ipsum pœnituerit. Ea propter admonet filios suos, ut ab invidia sedulo caveant, atque in simplicitate cordis, & fraterna caritate constantissime perseverent. Denique ex libro Enoch futura eorum peccata, & Christum venturum prænuntiat.

Levi tradit se à Deo duabus donatum fuisse visionibus, quarum prima cælos, in quibus justi

præmiis, injusti vero suppliciis afficientur, se vidisse profitetur: in secunda se sacerdotalibus vestibus indutum & sacerdotem in æternum constitutum fuisse declarat. Posthæc ex libro Enoch filiis suis annunciat in quæ lapsuri essent peccata, & plura prædicit de Christo, ac de eorumdem filiorum suorum dispersione, exsilio, captivitate.

Judas narrat quantum valuerit corporis viribus ac robore, & quam præclara in præliis facinora ediderit. Addit Esau in prælio à Jacob occisum, & se non solum cum Thamar nuru sua concubuisse, verùm uxorem quoque duxisse Chananæam: at utriusque criminis pœnitentiam se egisse. Inde filios commonefacit, ut fugiant ebrietatem & fornicationem, eisque subinde narrat quo pacto Angelica visione didicerit, quantum mulieres viris essent noxiæ. Postremo ipsis quæ peccaturi essent, & futurum Christi adventum prædicit.

Postquam Isachar plura de nativitate sua edisseruit, se ita & in simplicitate ambulasse, & coluisse agriculturam declarat; ut nullum umquam peccatum ad mortem admiserit. Quapropter filios suos ad simplicitatem & agriculturam plurimùm adhortatur.

Zabulon se etiam non peccasse adserit, & plura de venditione Joseph commentus, ostendit se venditionis illius, & peccati fratrum suorum non fuisse reum. Subdit vero se primum *fecisse scapham navigare in mari*; atque ex variis, quos ipse ceperat, piscibus se egenis stipem erogasse. Quamobrem filios suos excitat ad misericordiam, concordiam, & perfectam inter se caritatem. Tandem futura eorum scelera, & futuram Christi Domini incarnationem, adductis ex libro Enoch pluribus testimoniis prænuntiat.

Dan fatetur se de venditione & morte Joseph, cui manus adferre voluerat, gaudio fuisse perfusum. Idcirco docet filios ab ira esse cavendum, atque ibi nonnulla de mendacio fugiendo leviter adtingit. Denique quæ ipsi perpetraturi essent scelera, & fore ut Christus homo fieret, ex libro Enoch vaticinatur.

Nephtali multa quidem de parentibus Balæ fabulatur, ac filios suos deinde monet; ut Deum colant, & in bono perseverent. Ex libro autem Enoch, atque ex visionibus suis prædicit fore ut in peccata ipsi prolaberentur, cooririrenturque tempestates, ac Christus tandem adsumta humana carne nasceretur.

Gad ubi plura de venditione Joseph commentitia tradidit, confitetur se eum odio habuisse tam implacabili; ut ipsi necem consciscere voluerit, sed de his & pœnituisse, & pœnas luisse. Quocirca filios suos ad odium fugiendum, & fovendam fraternam caritatem adhortatur, ac nonnullas demum de Christo fundit vaticinationes.

Aser filios suos duas esse vias docet, unam boni, mali alteram; hanc fugiendam, illam amplexandam. Testatum deinde facit, se in illa boni via semper ambulasse, atque filios suos ut idem iter ineant, serio commonet. Denique his annuntiat fore ut ipsi peccarent, ac dispersi vagarentur, Christusque postea veniret.

Joseph explicat quo pacto à fratribus suis, qui eum perdere decreverant, sit venditus, & postmodum emptus à Putiphare. Ponit etiam ob oculos quantis artibus, blanditiis, minisque, ante & postquam conjectus fuisset in carcerem, uxor Putiphari castitatem ejus tentaverit: quanta denique

suis

ſuis ipſe fratribus etiam poſt Jacobi mortem impertiverit bona. Hinc filios ſuos ad ſobrietatem, caſtitatem, longanimitatem, & fraternam dilectionem plurimum excitat, ac tandem ex ſomniorum viſis & futuram tribulationem, & Chriſtum fore venturum haud dubitanter adſerit.

Poſtremò Benjamin hortatur filios ſuos, ut Joſephi, viri ſancti, inſiſtant veſtigiis, Deum timeant, diligant proximum, præceptis Dei obediant, ac mentem ſuam conſervent puram & immaculatam. Illis autem ipſis ex libro Henoch prædicit futura eorum crimina, Chriſtum venturum, velum templi ſcindendum, homines omnes à mortuis excitandos, & in judicio univerſali ſiſtendos. Denique ſicut & alii Patriarchæ filiis ſuis mandaverant, ita & ille ſuis præcipit, ut ex Ægypto in Hebron oſſa ſua, quæ ibi cum patribus ſuis ſepeliantur, adſportent & condant in tumulo.

ARTICULUS II.

Demonſtratur hunc librum ſuppoſititium eſſe & adulterinum.

Hic liber nullius auctoris nomine inſcriptus, proſcribitur ab omnibus, adſeriturque eum figmentis, fabulis, erroribuſque plenum eſſe, & ſcaturire mendaciis. Quin immo plura ibi cum ſacro Scripturæ textu pugnantia deprehendimus.

Primum enim id textui divino adverſatur, quod Ruben de ſuo cum Bala, & Judas cum Thamar inceſtu fabulantur. Item quæ de quorumdam Patriarcharum, Simeonis, verbi gratia & Zabulon ætate ſtatuitur. Ea denique quæ Simeon & Levi de pœnis, quas ob Dinæ ſororis ſuæ raptum à Si-

chimitis repetiere, & quæ Gad de venditione Joseph finxisse legimus.

His adde omnes fere Patriarchas ibidem induci apocryphum librum Henoch, eumque corruptum citantes. Verum enimvero si Augustino fidem habeas, codices libri Henoch duplicis generis fuerunt, alii veri & genuini, alii corrupti & adulterati. Atqui Auctorem nostrum in hos tantummodo incidisse certum videtur. De his autem ita Augustinus: *Scripsisse quidem nonnulla divina Henoch, illum septimum ab Adam negare non possumus, cùm hoc in epistola canonica Judas Apostolus dicat. Sed non frustra non sunt in eo canone Scripturarum, qui servabatur in templo Hebræi populi, succedentium diligentia sacerdotum; nisi quia ob antiquitatem suspecta fidei judicata sunt, nec utrum hæc essent, quæ ille scripsisset, poterat inveniri... Unde & illa quæ sub ejus nomine proferuntur, & continent istas de gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines patres, rectè à prudentibus non judicantur ipsius esse credenda; sicut multa sub nominibus aliorum Prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum ab hæreticis proferuntur.* Auctor vero noster istas de gigantibus fabulas mira fiducia semel atque iterum publicat & adserit. Hinc ergo & illum corruptos libri Henoch codices citasse, & librum ejus falsum esse & suppositititium non obscure colligitur.

Lib. 15. de civit. cap. 23.

ARTICULUS III.

De antiquitate hujus libri, & utrum à quodam Christiano Scriptore profectus sit.

Constat itaque Opus illud adulterinum esse, &

ab ignoto parente, qui nomen ſuum edere auſus non eſt, in vulgus emiſſum. Porro autem illud antiquiſſimum cenſeri debet, ſi ab Origene, ut quidam arbitrantur, laudetur his verbis: *Teſtamentum duodecim Patriarcharum quamvis non habeatur in canone; talem quemdam ſenſum invenimus, quod per peccantes ſinguli Sathanæ intelligi debeant.* Et rurſus circa initium ſæculi ſexti à Procopio Gazæo: *Teſtamento, aiunt, atteſtatur ei Deus, quod diu eam, cùm adhuc eſſet virgo, Judas habuerit, luxeritque iniquitatem ejus.* At porro Opus tantæ antiquitatis eſſe ſuppoſititium nulli certe mirum videbitur, cùm ab antiquiſſimis, temporibus, ut paulo ante ex Auguſtino vidimus, exſtiterint male feriati ſcriptorum librorumque corruptores & adulteratores.

Homil. 15. in Joſue.

Comment. in cap. 38. Geneſ.

Loco. cit.

Illud autem à chriſtiano quodam compoſitum eſſe ea plane evincunt, quæ ſinguli fere omnes Patriarchæ de Chriſto venturo, humana carne induendo, & pro hominum ſalute cruci adfigendo prædicant. Cæterum Scriptor ille librum hunc non ea ſolum mente compoſuit, ut Chriſtum celebraret; ſed in primis ut Lectores ſuos ab iis peccatis, in quæ Patriarchas lapſos eſſe dicit, omnino deterreret, atque eos ad omnem iis virtutibus, quibus eoſdem Patriarchas ornatos eſſe dicit, dandam operam adhortaretur.

Articulus IV.

De hujus libri, græce primum ſcripti, codicibus, verſione & editionibus.

Hic liber græce primum ſcriptus eſt, atque in Bibliotheca regia duo illius codices græci manu

exarati adservantur. Horum alter pergamineus est ab annis 500. vel 600. descriptus; alter papyraceus priore longe recentior.

Robertus vero à *Grossa testa*, vulgari lingua *Grokede*, Episcopus Lincholniensis eum circa annum 1242. quo floruisse perhibetur, latine reddidit. Hujus autem versionis codicem manuscriptum invenimus in Bibliotheca Colbertina, sed recenti manu exaratum. Alium quoque ibidem offendimus, in quo fragmenta ejusdem libri sub hoc titulo exhibentur: *Hæc sunt Testamenta* XII. *Patriarcharum in quibus sunt apertissimæ atque pulcherrimæ Prophetiæ de Christo, quas transtulit magister Robertus, dictus Grossa testa, vel Grossum caput, Lincholniensis Episcopus de græco in latinum.* Posthæc latina illa versio typis excusa est anno & rursus Parisiis apud Martinum juvenem anno, 1549. atque iterum ibidem anno 1575. 1589. & 1610. Basileæ vero, anno 1550. ac tandem in omnibus Patrum Bibliothecis. Utrum autem liber ille ex Typographia græce prodierit, nobis incompertum. Et certe id scire parum aut nihil interest: cùm hujuscemodi libri figmentis fabulisque anilibus, ac Scripturæ sacræ contrariis oppleri, in lucem numquam emitti debuerint, vel perpetuis tenebris sint damnandi.

CAPUT III.
DE OCTO LIBRIS SIBYLLINORUM ORACULORUM.

§. I.

De Sibyllæ nomine, ejusque Etymologia; num quædam feminæ exstiterint eo nomine insignitæ, & quot eæ fuisse dicantur.

NOMEN Sibyllæ quibusdam ortum videtur à duobus verbis græcis, σιοῦ, Æolice autem σιοῦ Dei, & βούλη consilium, ita ut Sibylla idem sit ac σιοῦ βούλη, id est, consilium Dei. Placet aliis simplicem esse dictionem, quam quidam ex voce hebraica, nonnulli vero ex latina, jam dudum obsoleta, desumtam arbitrantur. Alii denique nomen illud Sibyllæ Phrygiæ proprium esse volunt, atque ex ea ad alias feminas, vaticinia fundentes, derivatum.

Verum ut ut sit de illius Sibyllæ vocabuli etymologia; certum est, quidquid garriant Socinus ejusque discipuli, quasdam olim exstitisse feminas, eo nomine appellatas. De his enim apud paganos & christianos innumera exstant, sole meridiano clariora & illustriora Scriptorum vetustissimorum, & omni exceptione majorum testimonia, nimirum Platonis, Aristotelis, Diodori Siculi, Strabonis, Plutarchi, Æliani, Pausaniæ, Stephani, Jamblici, Justini martyris, Clementis & aliorum plurium, quorum verba in Bibliotheca nostra Lugdunensi non indiligenter citata reperies.

De Sibyllarum autem numero major est inter doctos homines dissentio. Quidam enim unam tantum agnoscunt, quam alii Daphnem, alii Men-

to vel Artemin vocant. Hanc dicunt Tiresiæ filiam, in Thebarum vastatione captam, missamque Delphos, anno circiter ante Trojanum excidium vicesimo septimo. Nonnulli duas exstitisse Sibyllas tradunt, alteram è Trojano agro oriundam, Erophilam nomine, alteram Symmachiam Erythream, & quandoque Phrygiam, vel Cumanam appellant. His nonnulli Delphicam adnumerant, atque ex ea, ut pote Trojano bello antiquiore, Homerum plura mutuatum esse opinantur.

Varro autem, Christo Domino paulo vetustior, cuique nonnulli Scriptores nobilissimi, & plurimi recentiores adstipulantur, decem Sibyllas numerat. Harum agmen ducit Samatha, quæ à quibusdam Persica vel Chaldeana dicitur. Secunda Lybica, tertia Delphica; quarta Cumana, & à nonnullis Italica vocatur, quinta Erythrea, cujus nomen celeberrimum, quæque eadem ac Persica nonnullis esse videtur. Sexta Samia, cui & nomen Bitho impositum dicunt. Septima Cumana, ab ea quam memoravimus longe diversa & illustrior. Octava Hellespontica, nona Phrygia; ultima denique Albunia, quam Tyburtinam esse sibi persuadent.

Porro autem quidam Scriptores ex Sibyllis, hactenus memoratis, plures inter se miscent & confundunt. Alii vero alias obtrudunt, ab iis omnibus longe diversas: sed ingenue fatendum est has eo esse obscuriores, quo illæ, quas recensuimus, celebriores fuerunt, & omnibus notissimæ.

§. II.

Variæ de Sibyllinis oraculis sententiæ.

Major ac fere tota de Sibyllis controversia in

eo versatur, utrum octo Sibyllinorum oraculorum libri, stricta oratione compositi, & in nostris editi Bibliothecis, à Sibyllis superius enumeratis, vel ab earum quibusdam sint profecti. Triplex autem de hac quæstione est Scriptorum opinio.

Prima enim sententia haud dubitanter adfirmat hos libros, græce & latine editos, verum & germanum esse Sibyllarum opus, ab iis ante Christi nativitatem editum, aut certe à Scriptoribus & Notariis publicis ex earum, carmina & oracula sua fundentium, ore exceptum, atque in libros deinde redactum.

Secunda opinio id plane penitusque inficiatur. Contendit autem quasdam revera exstitisse Sibyllas, quæ magicis artibus, & diabolico spiritu fata Romanæ Reipublicæ dumtaxat, nihilque de Christo, aut christiana religione umquam prædixerint. Quapropter omnes versus de Christo venturo, de ejus morte, & judicio extremo, aliisque religionis christianæ mysteriis, qui iis adscribuntur, spurios esse censet atque adulterinos. At quis eorum Auctor dicendus, non una est omnium hujusce opinionis Defensorum sententia. Quidam enim illos omnes versus ab aliquo Scriptore christiano profectos esse dicunt annis circiter 138. post Christi ortum. Alii vero eosdem partim à Judæo aliquo ante Christi adventum, partim ab Christiano quopiam post ejus nativitatem diversis temporibus, falso Sibyllarum nomine, in lucem emissos esse arbitrantur.

Tertia denique opinio inter utramque media definit ea tantummodo Sibyllarum carmina & vaticinia pro veris & sinceris esse habenda, quæ citantur ab antiquissimis Ecclesiæ Patribus, &

Scriptoribus paganis, ac certo eorum testimonio confirmantur. Cætera vero ab impostoribus & maleferiatis hominibus intrusa atque adjecta esse censet, eaque plane rejicit & repudiat.

§. III.

Plurima in Sibyllinis libris esse inepta impostorum additamenta.

Plurima autem in Sibyllinis libris, qui editi habentur, esse additamenta, à falsariis quibusdam in eos perverse & impudenter intrusa, firmissimis, ut videtur, rationum momentis demonstratur. Enimvero testantur Tertullianus atque Augustinus nullum umquam fuisse Scriptorem, Moyse antiquiorem. Quod quidem Eusebius non suo dumtaxat suffragio approbat, sed aliis variorum Auctorum testimoniis evincit. Atqui in tertio Sibyllinorum Oraculorum libro prænuntiatur Moysis ortus, & populi Israëlitici ab Ægyptiorum servitute liberatio. Quid quod & Sibylla Erithrea se nurum Noë prædicat. *Ejus ego nurus*, &c. At certe id non magis verum est, quam quod subjunxit se cum marito, socero, leviris & gloribus in Arca tempore diluvii fuisse inclusam.

Apolog. cap. 19. Lib. 18. de civit. cap. 38. & 39. Lib. 10. præparat. Evang. cap. 9. & seq.

Præterea Hieronymus scribit integram & illibatam semper fuisse Sibyllarum omnium virginitatem. Contra tamen in quarto Sibyllinorum Oraculorum libro Sibylla adulteria & stupra sua commemorat:

Lib. adversf. Jovinian.

Mille mihi lecti, connubia mille fuerunt, &c.
Denique in primo libro historia primæ & secundæ mundi ætatis ea claritate & perspicuitate describitur, qua illam ex libris Moysis depromtam esse quivis facile intelligat.

His adde plurima in iisdem libris deprehendi non solum contra Topographiæ & historiæ fidem, verum etiam nonnulla, quæ numquam evenerunt, ibidem ut certo futura, prænuntiari. Et primo quidem contra Topographiæ fidem mons Ararath, ubi Arca quievit, in Phrygia constituitur, & Gog & Magog, Scythiæ populi, Æthiopicis adnumerantur.

Contra vero sacri textus historiam traditur Noë diebus tantum 41. in arca fuisse commoratum, & fabulæ Tiranum ibi decantantur, tamquam verissimæ & fidei indubitatæ.

Postremo falsitatis arguuntur quædam vaticinia, illic adserta de Italis sub Asiaticorum jugum mittendis, de Josue, ut Judaicum imperium restitueret, à mortuis excitando, & de excidio Romanæ urbis, certo quodam tempore futuro.

Multa alia in illis libris reperies insulsa falsariorum additamenta, quæ cùm omnibus passim obvia sint, injucunda eorum & inutili enumeratione supersedemus.

§. IV.

Examinatur argumentum ex Ciceronis auctoritate desumtum, quo Sibyllarum oracula ab antiquissimis Ecclesiæ Patribus citata, ab iis vere profecta esse eorum defensores probare conantur.

Verum obscurior & longe difficilior est quæstio, utrum ea Sibyllarum oracula, quæ ab antiquissimis Ecclesiæ Patribus, atque etiam antea ab ethnicis Scriptoribus citanrur vel indicantur, eadem sint ac illa quæ Romani olim summa cura, & superstitiosa sollicitudine adservari, ac gravissimis pœnis in prævaricatores constitutis, occultari præ-

ceperunt. Qui rem ita se habere, & hæc oracula Sibyllarum genuina esse censent, ii sententiam suam variis probationum argumentis munire & confimare conantur.

Primum autem argumentum desumunt ex auctoritate Ciceronis, qui de Sibyllæ oraculis hæc tradit. *Sibyllæ versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur. Quorum interpres nuper falsa quadam hominum fama dicturus in senatu putabatur, eum quem revera Regem habebamus, appellandum quoque esse Regem, si salvi esse vellemus. Hoc si est in libris, in quem hominem, & in quod tempus est? Callide enim, qui illa composuit, perfecit ut quodcumque accidisset, prædictum videretur, hominum & temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis; ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur. Non esse autem illud carmen furentis, cùm ipsum poëma declarat; est enim magis artis & diligentiæ, quam incitationis & motus: tum vero ea quæ* ἀκροστιχὶς *dicitur, cùm deinceps ex primis versus litteris aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis, quæ Ennius fecit. Id certe magis est adtenti animi, quam furentis. Atque in Sibyllinis ex primo versu cujusque sententiæ primis litteris illius sententiæ carmen omne prætexitur. Hoc Scriptoris est, non furentis: adhibentis diligentiam, non insani. Quamobrem Sibyllam quidem sepositam & conditam habeamus; ut id quod proditum est à majoribus, injussu senatus ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas potius quam ad suscipiendas religiones.* His verbis invehitur Cicero in Sibyllarum vaticinia. Nec mirum sane. Is quippe cùm reipublicæ & religioni suæ esset addictissimus, & imminentem utriuſ-

Lib. 2. de Divinit.

que ruinam Sibyllinis oraculis cerneret prænuntiari, ea fictitia & ſuppoſititia vel ſaltem ſeponenda & condenda eſſe contendebat. Verum quanto Sibyllinis oraculis inimicitior eſt Cicero, tanto validius ad ea adſerenda protulit teſtimonium. Ex ejus quippe verbis liquido colligitur non ſolum Sibyllas prædixiſſe deponendas eſſe religiones, & Regem creandum ; ſed in eorum etiam verſibus quamdam occurriſſe ἀκροστιχίν. Atqui illa vaticinia, atque ea ἀκροστιχὶς in libris Sibyllarum editis reperiuntur. At enim quamvis nulli Sibyllinæ acroſtichidis verſus apud Ciceronem legantur ; illos tamen cum iis qui vulgati ſunt, eoſdem eſſe non obſcure demonſtratur ex Auguſtino, aliiſque Patribus, ac potiſſimum ex Conſtantini Magni ad ſanctorum cœtum, id eſt, ad Patres Nicæni concilii oratione, ubi & integri deſcribuntur, & eos eſſe, quos Cicero laudat, indubitanter adſeritur. *Apud Euſeb. in vita Conſtantin. cap. 19.*

Sed negant Antiſibylliſtæ Ciceronem aut quemvis alium Scriptorem ethnicum ullam illius acroſtichidis, quæ in libris Sibyllarum hactenus editis occurrit, feciſſe mentionem. Nam Cicero, inquiunt, illius dumtaxat acroſtichidis meminit, cujus primus verſus acroſtichidem ſequentium ita continebat ; ut poëma illud duplici artificio eſſet elaboratum : *Atque in Sibyllinis,* ait Orator, *ex primo verſu cujuſque ſententiæ, primis litteris illius ſententiæ carmen omne prætexitur.* Addit Gallæus Ciceronem teſtatum facere omnia Sibyllina oracula acroſtichidibus expreſſa eſſe. At cùm in Sibyllinis libris una tantum ſit acroſtichis, eaque breviſſima, inde ille certo, ut putat, concludit argumento nec acroſtichidem illam à Cicerone citari, nec libros Sibyllarum ſinceros eſſe & germanos.

Contra tamen pugnant Sibyllistæ, nec Ciceronem de alia quam simplici acrostichide, qualis est ea, quæ in libris Sibyllinis exhibetur, intelligi posse constanter adfirmant. Sed ingenue fatendum est nec clarum nec omnino incorruptum esse Ciceronis locum, ut pote quem varii Operum illius editores varie legendum esse existimant. Porro autem si mendosa sunt Oratoris verba, ex his quæ præcedunt, & sana sunt, sensus eorum elici debet. Illa vero sic se habent: ἀκροστιχὶς *dicitur, cùm deinceps ex primis versus litteris aliquid connectitur.* Quod quidem simplici acrostichidi optime adtribui posse videtur.

Major forsitan ex Dionysii Halicarnassæi testimonio oritur difficultas. Is enim qui tempore Augusti Imperatoris, & paulo post interfectum Ciceronem floruit, de Sibyllarum oraculis loquitur in hunc modum: *In quibus inveniuntur quædam supposititia, quæ deprehenduntur acrostichidum quas vocant, discrimine.* Quid autem aliud his verbis sibi vult, nisi postquam prima Sibyllinorum carminum exemplaria igne periissent, in posterioribus libris, Romam undique adsportatis, varias fuisse acrostichides. Incertum ergo est, num ea, de qua agimus, ἀκροστιχὶς ex genuinis Sibyllarum Operibus sit transcripta.

Lib. 4. antiquit. Rom.

At inquies, Constantinus Magnus apud Eusebium illam ipsam ex Sibyllis vere profectam esse adseverat. Sed ex hac Constantini adsertione nihil certi evinci posse clamant Antisibyllistæ. Idem quippe Constantinus ibidem non minus adseveranter tradit: *Ciceronem cùm hoc carmen legisset, latino sermone illud interpretatum esse, ac suis Operibus inseruisse.* Contra verò Cicero quid in il-

Apud Euseb. in vita Constant. cap. 19.

lo contineretur carmine, se nescire profitetur. Numquid ergo ea quæ numquam vidit, latinum in sermonem ipse interpretatus est? Et certe carmen illud latine redditum, in Ciceronis Operibus non occurrit. Quid quod & Patres Eusebio Constantinoque antiquiores, quantumvis Sibyllinorum oraculorum commendatores maximi; nullam tamen memoratæ à Constantino acrostichidis, qua ad eorum causam expressius nihil fingi poterat, ullibi fecerunt mentionem.

Sed urget Sibyllista: Ecquis, inquit, sibi persuadeat Constantinum Magnum coram Patribus Nicænis, Eusebioque ipso annuente, ausum fuisse tanta fiducia adseverare hanc acrostichidem latino sermone ab Oratore donatam; nisi eam in aliquibus ejusdem Ciceronis libris sic redditam legisset? Potuit ergo illa acrostichis in latinum versa reperiri in deperditis quibusdam Ciceronis libris: sed cùm inde Orator postea ab Julii Cæsaris fautoribus ptemeretur, tunc voluit aliquam adversus ejusdem acrostichidis γνησιότητα injicere suspicionem. Utrum autem hac responsione sicut Constantini Imperatoris honori, ita veritati consulatur, judicent æquissimi rerum æstimatores.

§. V.

Expenditur aliud argumentum ex Virgilii auctoritate petitum.

Aliud argumentum præcedenti omnino simile ducitur ex quarta Virgilii ecloga, ubi hæc cecinit:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies cælo demittitur alto, &c.

Verum enimvero quamvis Poëta, ut Asinio Pollioni adularetur, Sibyllinum illud vaticinium ad ipsum Pollionem, Saloniumque ejus filium, atque etiam, ut nonnullis placet, ad Augustum Cæsarem detorqueat; videtur tamen persuasum ita habuisse illud idem carmen non ab alio prodiisse, quam à Sibylla Cumana; ut id à nemine in dubium revocari existimaverit. Atqui illud oraculum à Virgilio citatum & in libris nostris Sibyllinis inveniri, & de Christo Domino intelligendum esse docent cùm Scriptores plurimi, doctrina & eruditione celebres, tum in primis Constantinus Magnus, in ea quam paulo ante citavimus, ad Patres Nicænos Oratione. Ibi enim longa eclogæ Maronis expositione ostendit, eum de Christo tam aperte loqui; ut Sibyllam cùm vaticinium suum funderet, neminem præter ipsum prænunciasse nullus inficiaretur.

Hæc itaque Virgilii auctoritas non parum neotericos Antisibyllistas torsit, atque ut eam vel elevent, vel infirment nullum non movent lapidem. Quapropter datam Maroni componendæ eclogæ occasionem pandere, omnesque Constantini Magni explicatus non sine risu & fastidio confutare & explodere nituntur. Longum esset ac plane inutile eas omnes utriusque partis explicationes earumque confutationes, quarum pleræque ad propositum nostrum nihil faciunt, proferre & expendere. Quapropter ad veritatem in his quæ offunduntur tenebris, quantum fas est, eliciendam satis superque esse videtur, si novas Antisibyllistarum explicationes paulo scrupulosius examinemus.

Aiunt itaque Maronem suo carmine nihil cane-

re aliud, nisi quod gentili ejusque superstitioni conveniat, redoleatque cultus idolorum. Quid tum? respondent Sibyllistæ; illud ne ullo prohibet modo, quominus Virgilius genuina citaverit Sibyllæ oracula, eaque in sensus suos detorserit?

At inquiunt eorum adversarii, Constantinus atque alii Scriptores carmina Maronis præter ejus sensum & mentem Christo Domino accommodant. Esto, ii omnes Scriptores mentem Poëtæ non fuerint adsequuti. Quid inde? Num idcirco Poëta versus Sibyllinos non citasse censendus est? Minime gentium. Atqui ad Sibyllistarum institutum sufficit, ut ea Sibyllæ oracula, tamquam genuinum illius opus, à Marone laudata fuerint.

Quid præterea quod Virgilius oracula Sibyllina de Pollione & Salonio ejus filio ita interpretatur; ut inde quivis haud difficulter intelligat, ea de Christo Domino posse etiam explicari. Atque id quidem est indicio nec penitus incerto, nec obscuro, eadem vaticinia de Christo primitus fuisse edita, ac deinceps à Marone iis aptata viris, quibus ipse vanis adsentationibus voluit adulari.

Et verò, urgebunt Sibyllistæ, quamvis Judæi à vero longe aberraverint, cùm pleraque Davidis ac Prophetarum de Christo oracula, de aliis quibusdam Regibus, aut privatis hominibus intelligenda esse dixerint; hæc tamen falsa eorum interpretatio nulli umquam fuit impedimento, quominus eadem oracula de Christo vere sint pronuntiata, ac recte de eo ab aliis omnibus explicentur.

Quid porro, urgent Sibyllistæ, quis umquam prædixit fore aliquando hominem, qui cæterorum hominum peccata, immo scelerum vestigia absterg-

geret, atque deleret, nisi vel Sibylla, vel alius divino spiritu actus Propheta. Atqui Virgilius illud oraculum à Sibylla editum fuisse constanter ad severat:

Hoc duce si qua manent, sceleris vestigia nostri
Irrita, perpetuâ solvent formidine terras.

Hoc ergo vaticinium quod vana adulatione, fictaque persuasione Pollioni accommodat, vere ex Sibylla, quam ipse citat, profectum esse credidit.

Neque dixeris Maronem reliquosque paganos hæc, quæ citant, vaticinia potuisse ex Judæis, vel etiam ex sacris nostris codicibus, græcum in sermonem conversis haurire. Etenim illud in quæstione non ponitur, unde Maro aut pagani ea vaticinia desumere potuerint, sed unde revera illa desumserint. At cùm Virgilius testetur se Sybillæ Cumanæ oracula citare, ea proculdubio ex ejusdem carmine, sive à se, sive ab aliis quibusdam inspecto, debuerat accipere.

Urgent vero Antisibyllistæ aiuntque: nullibi Virgilius se versus aliquos ex Sibyllinorum oraculorum libris exscripsisse dixit. At vero, reponunt Sibyllistæ quid sibi vult ille, cùm scribit:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas, &c.

Nonne clare & perspicue dicit auream ætatem, quam in sua ecloga describit, eam esse quæ Sibyllino carmine fuerat prænuntiata? Certe quæ ex antiquis & superioris ætatis Scriptoribus decerpunt Auctores, ea non aliter, neque verbis clarioribus plerumque ex iis se desumsisse testificantur. Ergo quæ Maro à Sibylla Cumana, de aurea ætate decantata se retulisse prodit, ea vel ipse suismet oculis legerat, vel ab aliis certò se didicisse arbitratus est.

Instant tamen nihilque remittunt Antisibyllistæ, objicien-

objicientes nec Virgilio nec cuilibet alii, nisi Decemviris, atque ex Senatusconsulto ad Bibliothecam Palatinam, ubi Sibyllini libri adservabantur, patuisse aditum. Virgilius ergo Sibyllina oracula legere non potuit. Porro autem quamvis ipsi ejusdem Bibliothecæ fores apertæ fuissent, ex Sibyllinis tamen oraculis ea dumtaxat carmina legere potuit, quæ post combustos primos eorum codices, illuc undique adsportata fuerunt. At ea notha erant & spuria, nec aliud nisi Romani imperii fata, donec annus Platonicus, & aureum sæculum rediret, complectebantur.

Verum præterquam quod omnes ferme Virgilii interpretes ex Sibyllinis versibus, ab ipso citatis, Christi Domini vitam & imperium prænuntiata esse concedunt; certum insuper ac omnino exploratum esse videtur, Poëtam non secus ac cæteros ævi sui homines, persuasum plane penitusque habuisse, post crematos primos Sibyllarum codices, vera adhuc ac genuina quædam exstitisse illarum oracula. At talia, inquiunt, à Marone citantur. Quæ quidem cùm facili & nativo sensu de Christo explicari queant, inde conficitur, eumdem Christum à Sibyllis vere fuisse prænuntiatum.

Plura quidem alia ethnicorum Auctorum ac in primis Taciti, Livii, Suetonii aliorumque testimonia huc poterant facile congeri. Verum ex iis omnibus eadem atque ex jam citatis cum Ciceronis, tum Virgilii verbis in Sibyllinorum oraculorum defensionem, vel confutationem conficiuntur argumenta. Quapropter ne supervacanea & inutilis earumdem rerum repetitio tædium sæpius adferat, ab iis & recitandis atque examinandis supersedendum esse satius judicavimus. *Lib. 11. c. 4. in Vita August.*

Nobis tamen hîc temperare non possumus, quin obiter observemus plura ab illis Scriptoribus citari nomine Sibyllarum oracula, à Decemviris ad Reipublicæ utilitates, vel dominantium voluntatem conficta, quæ neque ab eis umquam prodierant, neque in earum libris tam diligenter adservatis reperiebantur. Denique iidem libris Sibyllinis præfecti eorum vaticinia, uti post Ciceronem prudenter monet Augustinus, ut poterant seu volebant quandoque interpretabantur: *Aditum est*, inquit sanctus Doctor, *ad libros Sibyllinos. In quo genere oraculorum, sicut Cicero in libris de Divinatione commemorat, magis interpretibus, ut possunt, seu volunt, dubia conjectantibus, credi solet.* Sed cave inde cum incredulis impiisque Socinianis inferas, nullas fuisse Sibyllas, nullaque earum oracula.

Lib. 3. Civit. cap. 17.

§. VI.

Excutitur argumentum ex Justini Martyris testimonio desumtum.

Scriptoribus paganis Sibyllistæ subjungunt Auctores christianos, tam antiquos, quam recentiores, qui plura Sibyllarum vaticinia ex vulgatis eorum libris tamquam vera & germana laudaverunt. Hos inter eminet Justinus Martyr, qui floruit medio sæculo secundo, imperante scilicet Antonino, cui suam pro christianis obtulit Apologiam. Ille enim in secunda ad eumdem Imperatorem Apologia, atque etiam in Parænetica ad Græcos Oratione, non solum quædam ex his Sibyllarum libris depromit testimonia, sed eosdem etiam libros & antiquissimos, & in omnium manus venisse, atque etiam ab eorum lectione frustra christianis hominibus interdictum fuisse testatur. Sic autem martyr

ille sanctissimus ex interpretatione Lagi, ab ipso Gallæo citata: *Opera*, inquit, *& instinctu malorum dæmonum mortis supplicium adversus librorum Hystaspis, aut Sibyllæ, aut prophetarum lectores constitutum est; ut per timorem homines ab illis, quominus scripta ea legentes, rerum bonarum notitiam percipiant, sed in servitute eorum retineantur, absterreantur. Quod certe quidem efficere, & ad finem suum perducere nequiverunt. Non enim absque timore tantum hujusmodi scripta legimus, verum etiam vobis ad inspiciendum, quæ eis traduntur, ut videtis, offerimus, grata acceptaque omnibus fore scientes. Atque hoc etiam si paucis persuaserimus; maximum tamen inde feremus lucrum. Nam ut boni Agricolæ amplam à Domino capiemus mercedem.* In Exhortatione vero ad Græcos: *Credite, sicut dixi, antiquissimæ & prisca admodum Sibyllæ, cujus libri in universo exstant orbe*, &c. His atque aliis, quæ in Bibliotheca nostra citantur, Justini verbis Sibyllistæ adversarios suos falsi errorisque in eo convincere se posse confidunt, quod ii libros Sibyllinos labente tantum sæculo secundo in lucem prodiisse adfirment. Quis enim sibi in animum inducat Justinum virum, teste Photio, eruditissimum, à veritate ita descivisse; ut libros vix ac ne vix quidem publicatos, à pluribus sæculis editos fuisse omnino persuasum habuerit. Quid quod & hos libros suo tempore, in universo orbe exstitisse constanter adseverat. At illi proculdubio non uno eodemque momento in universo orbe potuerunt divulgari. Ergo longe ante secundum Ecclesiæ sæculum sparsi sunt in vulgus.

Neque objicias Justinum ad varios errorum scopulos offendisse, nec magni proinde ponderis esse

illius de Sibyllis testimonium. De Justini enim erroribus nulla impræsentiarum habetur quæstio, de qua alibi plenius disputabimus. Fac tamen erraſſe Justinum, ac sæpius erraſſe. Quid ergo? Numquid quia alicubi erravit, idcirco ubique, & potissimum ubi de Sibyllinis libris disseruit, erraſſe dicendus est? Numquid de rebus ad memoriam cognitionemque spectantibus idem ac de moralibus, & aliis ad religionis christianæ fidem spectantibus dicendum: Qui peccat in uno, factus est omnium reus? Quis umquam hæc somniavit? Potuit ergo Justinus in aliis sæpius hallucinari, & de Sibyllarum tamen vaticiniis nihil proferre, nisi veritati penitus consonum.

Et vero qua fronte idem Justinus, atque etiam Athenagoras paganis Sibyllinorum versuum antiquitatem & veritatem objicere poterant, quos iidem pagani probe scivissent recentissimos esse, & nudius-tertius, ac duobus fere post Christum sæculis editos? Uterque proculdubio, eodem telo, quod in adversarios contorquere volebant, se ipsum imprudentissime confodisset.

Deinde Imperatores cùm tanta severitate, ne hi libri à christianis legerentur, prohibuere, cur eosdem libros iisdem edictis nothos, adulterinos, recentissime compositos, atque ab eis qui Romæ olim adservabantur, plane diversos esse non pronunciaverunt? Nihil certe ea declaratione facilius, aut efficacius ad elevandam explodendamque Pseudo-sibyllinorum oraculorum cum auctoritatem tum antiquitatem.

Huic argumento respondent Antisibyllistæ quidam, libros Sibyllarum tempore Justini non eam, qua nunc exstant, formam habuisse: sed quædam,

inquiunt, tunc passim venditabantur eorum nomine oracula, quorum pleraque ante Christi ortum, Legatis Romanorum, illa conquirentibus, ab ipsis Judæis fuerunt divendita. Posthæc vero Christiani quidam reliqua omnia, quæ in Evangeliis de Christi nativitate, baptismo, morte cæterisque vitæ illius circumstantiis legerant, tamquam à Sibyllis vere prædicta, pervulgaverunt. Immo Blondellus quæcumque Sibyllarum nomine circumferuntur, ea omnia à Christianis confictа esse contendit. Quæ cùm Justinus incaute offendisset, illa nimis avide arripuit, nec debito eorumdem carminum examine instituto, vel potius neglecto, ab aliis sibi imponi passus est.

Cæterum brevius uno verbo respondent, erraſſe Justinum martyrem, atque etiam Athenagoram, ac Theophilum Antiochenum, & alios quoscumque, qui versus Sibyllarum nomine inscriptos, ab illis vere decantatos esse sibi persuaderi permiserint. Quapropter statuunt servandam esse Augustini regulam, qua tradit quod in Patrum Operibus auctoritati divinarum scripturarum congruit, cum laude eorum accipiendum: quod autem ab illis discrepat, cum pace eorum respuendum. *Lib. contr. Crescon. Grammat.*

At porro quantumlibet Justinus aliique Sibyllina oracula, tamquam verum & sincerum Sibyllarum opus, objicientes erraverint; hinc tamen liquido conficitur, paganos Justino ipsi cæterisque christianis illud vitio sæpius vertisse, quod falsos spuriosque Sibyllarum versus pro veris & genuinis semper obtruderent. Quocirca Lactantius: *His testimoniis*, inquit, *quidam revicti, solent eo confugere, ut aiant non esse illa carmina Sibyllina, sed à nostris conficta & composita:* Constantinus vero Im- *Lib. 4. de vera Sapient. cap. 15.*

Constantini Orat. ad sanctor. Cœtum. cap. 19.

peratior apud Eusebium: *Sed multi homines*, ait, *non credunt, idque confitentes fuisse Sibyllam vatem Erythream: suspicantur autem quemdam nostræ religionis, non expertem poëticæ Musæ, ista carmina composuisse, & esse suppositicia.* Celsus denique objiciebat Origeni: *Nunc vero hujus carminibus inseruistis multa maledica.*

Quantum ad id quod ex Imperatoribus arguitur, in memoriam, inquiunt, revocandum est, jam à Tarquinii tempore lectionem librorum Sibyllinorum paganis omnibus fuisse vetitam. Quamobrem si Justini tempore illa rursus prohibita est, nova interdictio non fuit, sed repetitio prioris, quæ ad paganos spectabat æque ac christianos. Porro autem Imperatores objectam à Justino, aliisque christianis librorum Sibyllinorum veritatem ex eorumdem inspectione confutare idcirco non curaverunt; quia christianos omnes tanto habebant despicatui, ut eorum causa libros Sibyllinos, quibus nihil ipsis antiquius sacratiusque erat, adeundos esse non putaverint.

Verum Sibyllistæ utramque illorum responsionem levissimam esse præfracte adfirmant. Primum enim non omnes pagani, sed quidam juxta Lactantium, aut si velis, *Multi homines* secundùm Constantinum, objectam Sibyllinorum carminum auctoritatem cùm non possent evertere, eo consueto victorum hominum effugio nisi sunt declinare, atque hos libros corruptos adulterinosque esse frustra perperamque dixerunt. Nam Lactantius ipse eodem loco, ab Antisibyllistis citato, temerariam eorum, qui eosdem libros suppositionis arguebant accusationem, sic refellit: *Quod profecto non putabit, qui Ciceronem, Varronemque legerit, alios-*

Loc. citatis.

que veteres, qui Erythream Sibyllam, cæterasque commemorant, ex quarum libris ista exemplaria proferimus, qui auctores obierunt, antequam Christus nasceretur. Neque minus apposite Constantinus loco iisdem laudato eosdem accusatores castigat. Origenes denique petulantem Celsi audaciam his verbis comprimit: *Denique nescio quid ei venit in mentem .... adseverans nos multa ejus versibus maledica inseruisse, non tamen indicans quæ sint illa quæ inseruimus; indicasset autem si quæ habuisset incorruptiora exemplaria.*

Ex his autem paganorum adversus Christianos de Sibyllinorum oraculorum veritate atque etiam integritate, conflictu & disputationibus luculenter evincitur, illos omnes ac præsertim christianos nulli pepercisse labori & diligentiæ; ut quales essent ii libri suismet oculis, aut certis auctoribus manifeste comperirent. Hinc probabile omnino videtur ex iis saltem aliquos sive dolo & arte, sive imperio ac potestate Sibyllinos libros adivisse, vel ut inspicerentur præcepisse; quo falsa, si quæ essent, à veris secernerentur; ac ea dumtaxat laudarentur, quæ genuina essent, & fidei omnino indubitatæ. Illud enim in hominum more positum semper fuit; ut quo acriores de re aliqua disputationes ii instituunt, eo majorem in veritate indaganda ponant operam.

Cæterum frustra huc adducuntur variæ Imperatorum de christianis eorumque doctrina irrisiones & alta quædam despectio. Nulla siquidem umquam major Sibyllinos versus adeundi fuit necessitas, quàm cùm christiani tum temporis acrius urgerent eorum adversus paganos auctoritatem. Tunc enim agebatur de summa religionis, de pagano-

rum scilicet cultu evertendo, & christiana religione introducenda; de republica funditus destruenda, & creando Imperatore. Cur ergo ut quondam sæpius, ita tunc non inspecti sunt libri Sibyllini; nisi quia certa & constans erat omnium opinio, quidquid ex illis christiani adduxerant, verum esse & genuinum earumdem Sibyllarum opus?

Illud autem in confirmationem adferri potest, quod ex eodem Justino Martyre jam insinuavimus, varia Sibyllinorum carminum exemplaria, ut idem ille testatur, per universum terrarum orbem divulgata, in omnium venisse manus. Quid enim inde aliud colligas; nisi ea carmina, quæ de Christi vita & morte agebant, longe antequam Justinus Apologiam suam edidisset, immo ante ipsam Christi nativitatem descripta, & meritissimo jure ipsis adjudicata fuisse Sibyllis.

Contra vero, Antisibyllistis mirum nullomodo videtur, si tam cito illa Sibyllinorum versuum exemplaria publici facta sint juris. Quis enim, inquiunt, nesciat quam curiosi sint homines, & rerum novarum avidi, atque in primis prædictionum? Norunt omnes usu sæpius venire; ut libri ejuscemodi, atque etiam innumera libelli cujusdam famosi apographa per maximas vastissimasque civitates paucorum dierum, immo horarum spatio disseminentur.

Deinde verba Justini hyperbolica sunt, nec aliud significant, quam plurimis cùm paganis tum christianis cognita fuisse oracula Sibyllarum Non enim Justinus ea ad Indos, Gallos, Anglos, Scythas, Antipodas suo tempore pervenisse opinabatur.

Sed clamant Sibyllistæ nihil hac responsione frigidius videri & ineptius. Justinus quippe persua-

ſum omnino habebat antiquiſſima eſſe Sibyllarum oracula, & à multis retro ſæculis in lucem emiſſa. Ulla ergo abſque hyperbole id quod veriſſimum exiſtimabat, adſeruit, illa in omnes terræ partes, in quibus aut religio cultuſque divinus cordi erat, aut libri publicari ſolebant, cognita fuiſſe & pervulgata. At illa non ſecus ac famoſus quidam libellus in una urbe quantumvis vaſtiſſima paucis diebus in omnium manus non venerunt: ſed longo tempore opus fuit; ut ea deſcriberentur, & in omnes deferrentur orbis terræ partes. Denique cùm Juſtinus paganos ad horum librorum lectionem tam confidenter provocaret, ipſi proculdubio ne & cauſa ſua ignominioſe caderet, ac paganis omnibus ſe ridendum proponeret, comperta omnino & explorata eſſe debuit ſumma illorum antiquitas. Non poteſt ergo Juſtinus erroris argui; niſi & ipſi continuo ignominioſa temeritatis intolerandæ nota inuratur.

§. VII.

Argumentum ex Lactantii, Conſtantini Magni, aliorumque Patrum auctoritate ductum perpenditur.

Sibylliſtæ auctoritatem Juſtini luculentiſſimo Lactantii teſtimonio mirum in modum confirmari poſſe arbitrantur. Is ſiquidem non firma dumtaxat perſuaſione credidit, eos quos citavit, Sibyllæ verſus veros genuinoſque eſſe: ſed illorum etiam veritatem contra paganos quoſdam adſerit & vendicat. Quin immo adſeverat ſe eoſdem verſus ex codicibus ante Chriſti ortum exaratis protuliſſe: *Ex quarum libris iſta exemplaria proferimus, qui Auctores obierunt, antequam Chriſtus naſceretur.* Idem quoque evincitur ex auctoritate Con- *Lib. 1. de vera Sapient. cap. 15.*

stantini Magni, qui similia habet in Oratione ad œcumenicæ synodi Nicænæ Patres, à nobis superius citata. Ibi enim addit: *Sed veritas ipsa in propatulo est omnibus, cùm hominum nostrorum diligentia temporum seriem adeo accurate collegerit; ut jam nemo suspicari possit post adventum & condemnationem Christi carmen illud esse compositum, falseque divulgari, quasi Sibylla hos versus diu ante vaticinando profuderit.* At si tanta diligentia ad horum versuum antiquitatem & γνησιότητα investigandam adhibita sit, nonne vero plane simillimum videtur Constantinum Magnum ad ipsa Sibyllarum exemplaria, quæ Romæ adservabantur adiri præcepisse; ut de eorum veritate & integritate ipse aliique omnes certiores fierent? Neque enim ille ad adstruendam veritatem minoris fuit auctoritatis & diligentiæ, quàm Maxentius Tyrannus, qui ad dæmonum cultum confirmandum, eadem oracula jussit perlustrari.

In Orat. ad sanctorum Cœtum apud Euseb. cap. 19.

Zozim. lib. 2. Hist.

Sed hæc præstantissimorum virorum auctoritas adversarios Sibyllarum non magis, quam Justini testimonium commovet. Aiunt enim Lactantium ac Constantinum in hoc errasse, quod carmina Sibyllarum undique à Romanorum Legatis conquisita, Romamque adsportata, eadem esse crediderint, ac illa quæ incendio Capitolii perierunt. Dionysius autem Halicarnassæus ea longe inter se diversa, & plura supposititia fuisse affirmat. Addit Gallæus multa Sibyllarum nomine venditata, quæ hausta à Prophetis antiqui fœderis, ante Christi ortum à Judæis vel ab iis quibus aliquod cum iisdem Judæis fuerat commercium, conficta fuerant. De his ergo recte Lactantius: *Obierunt*, inquit, *antequam Christus nasceretur.*

Neque dixeris Ciceronem Varronemque testes ab Lactantio & Constantino citari. Nam rursus utrumque falsum esse respondent. Cicero quippe sicuti & Varro nihil ex Sibyllarum vaticiniis, nisi prophanum, minimeque ad Christum & christianæ religionis mysteria pertinens, memoriæ prodiderunt.

Verum præterquam quod opinio Gallæi, qua Judæos Sibyllina quædam vaticinia ante Christi adventum confinxisse contendit, pugnat cum Blondello, qui omnes Sibyllarum versus, hactenus editos, à christianis post ejusdem Christi nativitatem compositos esse adfirmat; inde uterque ac cæteri Antisibyllistæ confutantur, quod Dionysius Halicarnassæus non singula quæque, sed aliqua tantum Sibyllarum carmina falsa & notha esse pronuntiet. Et vero Lactantius & Constantinus constanter adseverant ea quæ ex Sibyllis protulere, ex genuinis earumdem Operibus fuisse desumta. Nulli autem credibile fiet Lactantium summæ eruditionis virum, contra paganos disputantem, & Constantinum coram Nicænis Patribus perorantem, id tanta fiducia adseruisse; nisi adhibitâ prius omni diligentiâ, quænam Sibyllina vaticinia ab Dionysio Halicarnassæo vel spuria, vel germana dicerentur, examinassent. Probabilius certe videtur illos de iis examen instituisse eo accuratius, quo sollicitius cavere debuerunt; ne falsi & turpis hallucinationis & ille quidem à paganis, iste vero à Nicænis Patribus rei agerentur. His etenim paganis & Nicænis Patribus incognita esse non poterant nec Sibyllarum oracula, nec quid de iisdem oraculis ab Halicarnassæo scriptis esset traditum.

Supervacuum autem foret & inutile huc addu-

cere alia Patrum, quantâlibet eruditione & doctrinâ præstantium, testimonia, quibus nonnulla quædam oracula Sibyllis adtribuuntur. Fatentur enim Antisibyllistæ & obstinate contendunt, omnes Patres, Scriptoresque christianos, quotquot vaticinia adscribunt Sibyllis, rem ipsam ad severiores Criticorum regulas non examinasse; sed rumoribus publicis, atque iis qui vaticinia illa Sibyllarum nomine publicaverant, facilius aures dedisse, ac præbuisse consensum. Nec desunt Antisibyllistæ quidam, qui Patrum omnium auctoritatem, quæ iis odiosa semper fuit & molesta, audactet respuentes, hunc errorem in eorum tarditatem & oscitantiam refundere non verentur. Ex
Pag. 314. his autem Gallæus: *Beatus Justinus*, inquit, *omnium Patrum primus fuit, qui Sibyllina oracula allegavit ad confirmationem christianæ veritatis. Hunc postea cæteri Patres sunt sequuti, nullo instituto examine, utrum bene aut male illa oracula laudavit. Patres qui illo auctore, fidem adhibuere supposititiis oraculis, sunt Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Auctor Constitutionum Apostolicarum, Lactantius, Constantinus Magnus Imperator, Eusebius, Optatus, Hieronymus, Augustinus, Prosper, Palladius, Sozomenus, Junilius, aliique B. Justino freti, ejusque auctoritati decepti.* Hæc Gallæi verba idcirco retulimus; ut omnes non solum uno intuitu videant, qui qualesque fuerint, qui fatentibus Antisibyllistis, illa vaticinia Sibyllis adjudicaverint: verum etiam quo quisque intelligat, quam parvi Gallæus, & qui viam ei stravit Blondellus, faciant tot tantorumque Patrum auctoritatem. Poterant quidem ab eorum hac in quæstione recedere sententia, sed

numquam à debita eis reverentia recedendum eſt. Neque certe ii omnes incuriæ & negligentiæ arguendi erant, cùm plures hanc quæſtionem ſuis omnibus ponderibus, ac ſingulari diligentia examinaſſe videantur. Denique aiunt auctoritatem Sibyllarum ante Juſtinum ab Herma fuiſſe laudatam.

§. VIII.

Argumenta Antiſibylliſtarum examinantur.

Jam vero perpendendum eſt quibus Antiſibylliſtæ freti rationibus, oracula Sibyllarum nomine edita, ipſis abrogant, ac fœtus adulterinos eſſe contendunt. Primo arguunt Sibyllas mulieres fuiſſe mente alienatas, actaſque rabido furore, & diabolico ſpiritu, ac inſanarum atque amentium more ita fundentes oracula; ut quid ipſæ dixiſſent, aut ſcire umquam aut meminiſſe non potuerint. At tales profecto non fuerunt nec homines divinitus inſpirati, nec Prophetæ, qui olim in veteri Teſtamento, vel poſtea in novo futura prædixerunt.

Secundo una ex Sibyllis mille ſceleribus, atque etiam adulteriis ſe contaminatam fuiſſe prodit:

——Nam quæ ſcelera ante patravi,
Prudens, & ſtudio pecccandi perdita feci.
Mille mihi lecti, connubia mille fuerunt,
Jureque jurando quoſvis perjura ligavi.

Tertio ex iiſdem Sibyllis altera cùm ſe nurum Noe, ac cum eo, ac viris, ſoceris & leviris ex aquis diluvii in Arca ereptam jactitat, proculdubio mentitur impudentiſſime.

Denique Sibyllæ in his libris plures contra orthodoxam fidem errores docent & prædicant, atque homines totis viribus ad idolorum cultum alliciunt, protrahunt, compellunt.

At certe nemo dixerit Deum hujusmodi feminis concessisse prophetiæ dona, quibus clarius evidentiusque, quam cæteri omnes antiqui fœderis Prophetæ, singula quæque Christi Domini & viventis & morientis facta prænuntiarent.

Verum omnia hujusce argumentationis tela eos non feriunt, qui libros, nomine Sibyllarum hactenus vulgatos, adeo fœde corruptos esse censent; ut nihil in eis germani & sinceri reliquum sit, nisi vaticinia ab ethnicis Scriptoribus, aut à Patribus antiquissimis citata. Ea enim oracula non ab insanis mulieribus, rabido furore, & spiritu diabolico actis pronuntiata fuerunt.

Neque urgeas mulieres illas quid prædicerent, ignorasse. Esto enim illa omnia nescierint. Nonne idem aliquibus veteris Testamenti Prophetis contigit? Audi, quæso, Danielem de se ipso loquentem: *Et ego audivi, & non intellexi. Et dixi, Domine mi, quid erit post hæc? Et ait: Vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones usque ad præfinitum tempus.* Et prius: *Et stupebam ad visionem, & non erat, qui interpretaretur.*

Cap. 12. ✝. 8. & 9.

Cap. 8. ✝. 27.

Instabis, Danielem non fuisse virum sceleribus atque impudicitiis infamem, nec ullum umquam ab eo in idololatriæ crimen inductum. Id quidem & Sibyllistæ verissimum esse fatentur. Sed numquid, inquiunt, eadem fuit Balaami, Saulis, Caïphæ, aliorumque quorumdam prophetarum castitas & sanctimonia? Numquid Balaam neminem umquam induxit in cultum idolorum? Quis autem ex omnibus Prophetis adventum Christi clarius & apertius quam Balaam aliquando prænuntiavit? Certe divus Thomas, ad quem Gallæus nos remittit, exemplo Baalam invictissime probat, confirmat-

que Auguſtini teſtimonio etiam prophetas dæmonum, non ſuo, ſed divino ſpiritu adflante, vera aliquando prædixiſſe.

Hinc Gallæus ſummo hujus argumenti pondere oppreſſus: *Non tamen vellemus negare*, inquit, *nonnumquam accidiſſe, ut reprobi, & Deo exoſi, vera fuerint vaticinati, uti conſtat exemplis Balaam, Caiphæ*, &c. Cur ergo idem Gallæus toties repetit, & ad ſingula quæque Patrum fere omnium, verſus Sibyllinos citantium, teſtimonia reſpondet, Sibyllas proptetea quod diabolico, ut ait, ſpiritu eſſent actæ, & innumeris ſceleribus conſpurcatæ, nulla potuiſſe umquam fundere oracula? Sed audiamus quid de Prophetis Deo exoſis negaverit: *Negamus, ait, & non admittimus illos prophetaſſe motu talis ſpiritus, quo Prophetæ fuere incitati.* Eſto, Balaam & Sibyllæ eodem ſpiritus motu, quo Prophetæ veteris Teſtamenti, non fuerint incitati. Quid inde? Numquid falſa fuit aut obſcurior aliis prophetarum divinorum oraculis Balaami de Chriſti adventu prædictio? Nullo plane modo. Fruſtra ergo Gallæus hanc ob cauſam Sibyllina vaticinia repudiat & explodit.

Pag. 531.

Ibidem.

Addamus, ſi lubet, fruſtra objici hanc Sibyllinorum carminum perſpicuitatem, aut evidentiam, quippe quam ex ſolo rerum eventu homines acceperunt. Nam ut pulcre, atque ad inſtitutum noſtrum omnino appoſite Lactantius inquiebat libro ſupra laudato: *Non dubito, quin illa carmina prioribus temporibus pro deliramento habita ſint, cùm ea nemo intelligeret. Demonſtrabant enim monſtruoſa quædam miracula, quorum nec ratio, nec tempus, nec auctor deſignabantur.*

Neque rurſus objicias vulgata Sibyllarum ora-

cula scatere mendaciis, erroribus, variisque contradictionibus. Nam ea omnia in illis oraculis, quæ à Patribus antiquissimis citantur minime reperies. At de iis solis inter nos quæstio nunc habetur. Scimus quidem non defuisse viros doctos & ingeniosos, qui plures errores, contradictiones, & mendacia Sibyllis falso adtribui probandum susceperint: sed neque illorum rationes, neque responsiones quibus singula adversariorum suorum argumenta diluere nituntur, hîc examinare opus est. Sufficit enim semel observasse errores, mendacia & contradictiones, quæ adversus libros Sibyllinos objiciuntur, mera esse otiosorum hominum additamenta, quæ à Sibyllis, ut supra demonstravimus, numquam profecta sunt.

§. IX.

Alia Antisibyllistarum argumenta expenduntur.

Aliud Antisibyllistarum argumentum inde elicitur, quod Romani, ut Dionysius Halicarnassæus testatum facit, nihil seu religiosum seu sacrum tam diligenter custodierint, quam Sibyllina oracula. Quapropter ubi primum à Tarquinio Rege empta sunt, iis custodiendis Duumviros per annos 72. aut potius 113. tum deinde Decemviros per annos 283. usque ad Capitolii incendium, ac tandem Quindecimviros præfecerunt. Ab eorum vero inspectione pœnis adeo severis interdictum est; ut Marcus Attilius, qui illos Petronio describendos tradiderat, culeo insutus, & in mare projectus, statutas parricidis pœnas dederit.

Lib. 4. antiq. Rom.

Præterea tempore belli Marsici & Socialis, hoc est, Sillæ temporibus, Scipione & Norlano Coss. annis, ut aiunt 83. ante Christi nativitatem incenso

censo Capitolio, iidem libri omnes igne perierunt. Unde rursus Dionysius Halicarnassæus: *Hi libri*, inquit, *manserunt incolumes usque ad bellum Marsicum in templo Jovis Capitolini sub terra in arca lapidea servati à Decemviris.* Post refectum vero illud templum, missi sunt Legati, qui libros Sibyllinos undique conquisitos *ab hominibus quoque rudibus transcriptos* Romam, ibidem rursus adservandos, detulerunt. *In quibus*, ut subdit idem Halicarnassæus, *inveniuntur quædam suppositititia, quæ deprehenduntur acrostichidum, quas vocant, discrimine. Sequor autem hîc Terentii Varonis auctoritatem qui illa prodidit in libris Rerum divinarum.* Denique Stilico, imperantibus Honorio, & Theodosio Juniore, eos omnes libros cremari præcepit. *Lib. 4. antiq. Rom.* *Ibidem.* *Ibidem.*

Ex his, inquiunt Antisibyllistæ, liquet Sibyllinos libros à nullo umquam homine inspectos, nisi ab eorumdem custodiæ præfectis, qui illos numquam nisi ex senatusconsulto, nec nisi adhibita summa cautione adire potuerunt. Unde concludunt quidquid ex Sibyllarum oraculis à Cicerone, Virgilio, aliisque laudatum est, illud omne ex adulterinis libris, vel ex rumore publico haustum fuisse.

Contra tamen pugnant Sibyllinorum Operum adsertores, aiuntque iis probationibus nequaquam evinci oracula Sibyllarum neque ab ullo umquam homine, nisi à viris eorum custodiæ præpositis, fuisse inspecta, neque ulli etiam aut voce recitata, aut scriptis quocumque tandem modo tradita, aut cum aliquo communicata. Enimvero si Petronius ea oracula, tradente Attilio, descripsit, numquid ea quæ à Petronio descripta fuerant, ita perierunt; ut nullus umquam illa legerit, aut rursus transcripta

Hh

sibi servaverit? Nullusne ex Decemviris ea umquam memoriter colligere, aliisque tam secreto describenda tradere potuit; ut inflictas Attilio pœnas nequaquam pertimesceret? Nemo certe nescit quantum in his quæ vetita sunt, ac præsertim in iis quibus nonnulla maximi momenti prænuntiari dicuntur, audeat effrenis hominum & curiosa res futuras cognoscendi aviditas.

Deinde qui rerum potiebantur, ii vel adepta potestate, vel conciliata sibi Decemvirorum benevolentia, viam ad eos libros adeundos sibi haud difficulter parare potuerunt; ac de iis quæ imperio rebusque suis portenderentur, fieri certiores.

Quid vero quod Lactantius testatur solos Cumanæ Sibyllæ libros fuisse occultatos: *Horum*, inquit, *omnium Sibyllarum & feruntur & habentur, præterquam Cumanæ, cujus libri à Romanis occultantur, nec eos ab ullo, nisi Quindecimviris inspici fas est*. Omnia ergo Sibyllarum præter Cumanæ carmina in omnium erant manibus. Neque etiam ipsa Cumanæ oracula custodiæ tam arctæ mancipata fuerunt; quin Cicero & Virgilius nonnulla, uti vidimus, ex iis aliquando in medium protulerint.

Lib. 1. de vera & falsa Relig. cap. 6.

Antisibyllistæ vero aiunt Lactantium loqui de suppositítiis Sibyllarum carminibus, Romam, uti monuimus, post refectum Capitolii templum allatis, vel eum in communem aliorum de Sibyllinis oraculis errorem impegisse. Et certe produnt quidem Historici quanta vigilantia, quantaque sollicitudine primi ac genuini Sibyllarum codices fuerint adservati, quasque & quam severas Attilius temeritatis suæ pœnas solverit: at nullus umquam memoriæ tradidit eos cum ullo alio fuisse ali-

quando communicatos aut à quopiam descriptos.

Urgent nihilominus Sibyllistæ, quamvis omnia Sibyllarum carmina in Capitolii templo servarentur; non inde tamen posse concludi illa maximo ejusdem templi incendio periisse. Nam ea, ut citatus ab adversariis Dionysius scribit, servabantur in cella subterranea & lapidea, quæ nullo umquam incendio absumi potuit.

At, inquiunt Antisibyllistæ, cur ergo Augustus Legatos, qui eadem Sibyllina oracula perquirerent, in tam varias misit orbis terrarum partes? Nulla certe alia de causa eos misisse videtur; nisi ut eorumdem oraculorum, quæ igne perierant, damnum resarciret.

Quin immo respondent Sibyllistæ, duæ aliæ fuerunt eorumdem perquirendorum causæ. Primo, ut numerus librorum Sibyllinorum, qui Romæ asservabantur, quique Romanis maximo erant in pretio, augeretur. Secundò, ut innumera quæ Sibyllarum nomine sparsa erant in vulgus, à genuinis earumdem oraculis discriminarentur. Unde Suetonius: *Quidquid fatidicorum librorum græci latinique sermonis nullis vel parum idoneis auctoritatibus vulgo ferebantur, supra duo millia contracta undique cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito.* Quibus sane verbis non obscure significatur quosdam, imperante Augusto, exstitisse veros Sibyllarum versus, veraque vaticinia. *In August.*

Contra vero clamant Antisibyllistæ, quod si Augusto imperante, primi genuinique Sibyllarum versus à Tarquinio emti exstitissent, ii soli, aliis omnibus explosis & repudiatis, veri & sinceri declarari debuerunt. Frustra ergo Augustus Impera-

tor tantam operam jussisset impendi in iis conquirendis Sibyllarum codicibus, qui cùm ab primis Romæ adservatis diversi essent, eo ipso pro nothis & spuriis haberi debebant.

Sed rursus insurgunt Sibyllistæ, contenduntque auctoritate Scriptorum & christianorum & paganorum, atque etiam Dionysii ipsius Halicarnassæi, præter eos, quos Tarquinius emerat, alios quosdam qui Christi adventum, & alia nonnulla ad ejus mortem & vitam pertinentia, prænuntiabant, exstitisse genuinos Sibyllinorum versuum codices.

Contra vero urgent Antisibyllistæ, quidquid genuini Sibyllarum libri complectebantur, illud omne ad idolorum cultus, neutiquam vero ad christianam pertinuisse religionem. Quotiescumque enim ex Senatusconsulto Decemviri ad eos adierunt, toties aliquid ad ritus paganos, vel ad sacrificia falsis numinibus peragenda, imperatum esse responderunt. Atque hoc probari quidem potest ex omnibus & singulis Livii, aliorumque paganorum Scriptorum testimoniis, quæ in Bibliotheca Lugdunensi simul collecta referuntur.

At porro aiunt eorum adversarii, quamvis ex libris Sibyllinis plura ejuscemodi depromta esse dicantur; inde tamen non evincitur nullas præterea in iis fuisse de Christo christianæque Religionis prædictiones. Et re quidem vera nullus adserere audeat, nihil aliud in eis comprehensum, quam quæ de paganis ritibus à Livio, aliisque nonnullis, ex iisdem libris prolata fuerunt. Quin immo non pauci Scriptores, à nobis superius citati, nonnulla ex iisdem libris de Christo, christianaque religione & laudaverunt & genuinum adseruerunt esse Sibyllarum opus.

Neque dixeris nulli probabile visurum easdem feminas & idololatriam prædicasse, & prænunciasse Christi adventum, easque jussisse & Deo sacrificari & Belial. Enimvero etsi Balaam idololatriam cultusque paganos non solum sectaretur, sed eos quoque aliis hominibus prædicaret, atque ad idololatriam cæteros vellet compelli; ipse tamen futurum Christi ortum non minus, quam quælibet Sibylla, certò & aperte prænunciavit.

§. X.

Conclusio hujusce disputationis.

Ex his porro quæ hactenus disputavimus, constat variam admodum fuisse Sibyllinorum oraculorum fortunam. Nec minus evidens est pleraque ex iisdem oraculis spuria esse & adulterina, paucissima vero sincera, legitima, & integra. Enimvero præter solam acrostichidem, de qua tamen sub judice lis adhuc esse videtur, si quæ vera & genuina supersint, ea ab antiquissimis Patribus nec ad verbum nec speciatim fuerunt citata, atque illa ipsa in editis tanta confusione cum falsis & supposititiis permixta sunt; ut ab illis vix umquam possint à quoquam certò & evidenter secerni. Negari tamen non potest quædam vera ac genuina à quibusdam Sibyllis edita fuisse vaticinia, ex quibus antiquissimi Ecclesiæ Patres christianæ Religionis veritatem adversus paganos invicte adseruerunt & tutati sunt.

Quod spectat ad carmina adulterina, & Sibyllis falso adscripta, qui ea accurate examinabit, is facile in iis varias variorum Auctorum ex stylo ipso, atque ex rebus plurimis, quæ ibi decantantur, deprehendet notas & characteres. Inde autem

liquet frustra eos operam impendisse, qui in investiganda horum carminum ætate tamdiu desudarunt, quique eam sese indiciis haud incertis designare posse gloriantur. Verior enim videtur eorum opinio, qui censent adulterina illa Sibyllarum carmina, ab Auctoribus variis, diverso tempore, variisque occasionibus composita fuisse, ac in eum tandem, quem nunc videmus, ordinem subsequutis temporibus, & forsitan recentioribus compacta ac redacta.

Illud autem ex codicibus eorumdem carminum manuscriptis, quos certe bene multos variarum ætatum pluribus ex Bibliothecis habuimus, liquido confirmari potest. Nullus quippe codex omnes simul & semel, uti exhibentur in editis, versus Sibyllinos complectitur. Unus enim Sibyllæ Tiburtinæ prophetiam exhibet, alius Romanæ vaticinium : hic versus de die judicii, ille prophetiam de Christo ; atque ita alii peculiare aliquod cujusdam Sibyllæ opus, aliis omnibus omissis, privatim repræsentat.

MONITUM
DE HISTORIA ANTE-DILUVIANA BEROSI.

HÆc Historia in Patrum Bibliothecis edita quidem non fuit : sed ejus Censura, quam Gaspar Varrerius Romæ anno 1565. publicaverat, in Coloniensi ac nostra Lugdunensi typis novis excusa est. De illa igitur Historia, ne actum aga-

mus, novam à nobis nihil necesse est institui disputationem. Apertam etenim illius falsitatem & suppositionem tam clare & perspicue demonstravit idem Varrerius; ut qui de illa nunc disputet, aut quæstionem movere velit, nullus inveniatur. Porro hæc Historia prodiit in vulgus, Venetiis anno 1543. Dehinc Johannes Annius anno 1612. Parisiis novam adornavit illius editionem. At cùm eamdem Historiam verum ac genuinum Berosi Chaldæi opus esse probare conatus est, oleum prorsus perdidit, & operam.

TESTIMONIA VETERUM
DE BARNABÆ EPISTOLA.

CLEMENS *Alexandrinus lib. 2. Stromatum Editionis Parisiensis pag. 373.* Εἰκότως οὖν ὁ ἀπόστολος Βαρνάβας, ἀφ' οὗ, φησὶν, ἔλαβον μέρους, ἐσπούδασα κατὰ μικρὸν ὑμῖν πέμψαι· ἵνα μετὰ τῆς πίστεως ὑμῶν τελείαν ἔχητε καὶ τὴν γνῶσιν. τῆς μὲν οὖν πίστεως ἡμῶν εἰσιν οἱ συλλήπτορες φόβος καὶ ὑπομονή· τὰ δὲ συμμαχοῦντα ἡμῖν, μακροθυμία καὶ ἐγκράτεια. Τούτων οὖν, φησὶ, τὰ πρὸς τὸν κύριον μενόντων ἁγνῶς, συνευφραίνονται αὐτοῖς σοφία, σύνεσις, ἐπιστήμη, γνῶσις. Merito igitur Barnabas Apostolus: Ex ea parte, inquit, quam accepi, studui pauca ad vos mittere; ut cum fide vestra perfectam etiam habeatis cognitionem. Fidei ergo nostræ adjutores sunt timor & tolerantia; quæ autem nobiscum pugnant, æquanimitas & continentia. His ergo, inquit, in iis quæ ad Dominum pertinent, caste manentibus, unà cum eis lætantur sapientia, intelligentia, scientia, cognitio.

Ibid. pag. 375. Καὶ Βαρνάβας ὁ ἀπόστολος, οὐαὶ οἱ συνετοὶ παρ' ἑαυτοῖς, καὶ ἐνώπιον αὐτῶν ἐπιστήμονες, προστάξας ἐπήγαγεν, πνευματικοὶ γενώμεθα, ναὸς τέλειος τῷ Θεῷ· ἐφ' ὅσον ἐστὶν ἐφ' ἡμῖν, μελετῶμεν τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ, καὶ φυλάσσειν ἀγωνιζώμεθα τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, ἵνα ἐν τοῖς δικαιώμασιν αὐτοῦ εὐφρανθῶμεν. Et Barnabas Apostolus cùm præposuisset, Væ qui sunt intelligentes apud seipsos, & coram semetipsis scientes, subjunxit: Efficiamur spiritales, & templum Deo perfectum: in quantum est in nobis, meditemur timorem Dei,

& ejus præcepta servare contendamus; ut in illius justificationibus lætemur.

Ibidem pag. 410. Ὅπως δ᾽ ἡμεῖς τοῦ διαβόλου τὰς ἐνεργείας καὶ τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα εἰς τὴν τοῦ ἁμαρτωλοῦ ψυχὴν ἐπισπείρειν φαμὲν, οὐ μοι δεῖ πλειόνων λόγων, παραθεμένῳ μάρτυν τὸν ἀποστολικὸν Βαρνάβαν· ὁ δὲ τῶν ἑβδομήκοντα ἦν, καὶ συνεργὸς τοῦ Παύλου· κατὰ λέξιν ὧδέ πως λέγοντα· πρὸ τοῦ ἡμᾶς πιστεῦσαι τῷ Θεῷ, ἦν ἡμῶν τὸ οἰκητήριον τῆς καρδίας φθαρτὸν καὶ ἀσθενὲς, ἀληθῶς οἰκοδομητὸς ναὸς διὰ χειρός· ὅτι ἦν πλήρης μὲν εἰδωλολατρείας, καὶ ἦν οἶκος δαιμόνων, διὰ τὸ ποιεῖν ὅσα ἦν ἐναντία τῷ Θεῷ. τὰς ἐνεργείας οὖν τὰς τοῖς δαιμονίοις καταλλήλους ἐπιτελεῖν φησι τοὺς ἁμαρτωλούς· οὐχὶ δὲ αὐτὰ πνεύματα ἐν τῇ τοῦ ἀπίστου κατοικεῖν ψυχῇ, λέγει· διὰ τοῦτο καὶ ἐπιφέρει· προσέχετε ἵνα ὁ ναὸς τοῦ κυρίου ἐνδόξως οἰκοδομηθῇ. πῶς; μάθετε· λαβόντες τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, καὶ ἐλπίσαντες ἐπὶ τὸ ὄνομα, γενώμεθα καινοὶ, πάλιν ἐξ ἀρχῆς κτιζόμενοι. Quomodo autem diaboli operationes & spiritus immundos in peccatoris anima seminare dicimus, non mihi pluribus verbis opus est, si adduxero testem Barnabam Apostolicum (erat autem is ex septuaginta discipulis, & Pauli adjutor) his verbis dicentem: Antequam Deo crederemus, erat cordis nostri domicilium corruptioni obnoxium & imbecille, vere templum manu ædificatum: plenum siquidem erat idololatria, & erat domus dæmonum, quod faceret quæcumque Deo contraria sunt. Igitur operationes dæmonibus convenientes perficere ait peccatores, non autem ipsos spiritus in infidelis anima habitare; unde subjungit: Attendite ut templum Domini magnifice ædificetur. Quomodo? Discite: Accepta remissione peccatorum, & sperantes in nomen Domini, efficiamur novi, iterum ab integro creati.

Ibidem pag. 306. Αμέλει μυστικῶς ὁ Βαρνάβας, ὁ δὲ θεὸς ὁ τοῦ παντὸς κόσμου κυριεύων, φησὶ, δώη καὶ ὑμῖν σοφίαν καὶ σύνεσιν, ἐπιστήμην γνῶσιν τῶν δικαιωμάτων αὐτοῦ, ὑπομονήν. γίνεσθε οὖν θεοδίδακτοι, ἐκζητοῦντες τί ζητεῖ ὁ κύριος ἀφ᾽ ὑμῶν, ἵνα εὕρητε ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως τοὺς τούτων ἐπιβούλους. ἀγάπης τέκνα καὶ εἰρήνης γνωστικῶς προσηγόρευσεν. Mystice profecto Barnabas: Deus qui est universi Dominus, inquit, det etiam vobis sapientiam & intelligentiam, scientiam, cognitionem justificationum ejus, tolerantiam. Efficiamini ergo docti à Deo, inquirentes quid à vobis requirat Dominus, ut inveniatis in die judicii, horum insidiatores. Dilectionis & pacis filios appellavit ex cognitione.

Idem lib. 5. Stromatum pag. 571. Εμπαλιν δὲ ἐπιτρέπει διχηλοῦν καὶ μηρυκώμενον ἐσθίειν, μηνύων, φησὶν ὁ Βαρνάβας, κολλᾶσθαι δεῖν μετὰ τῶν φοβουμένων τὸν κύριον, καὶ μετὰ τῶν μελετώντων ὃ ἔλαβον διάσταλμα ῥήματος ἐν τῇ καρδίᾳ, μετὰ τῶν λαλούντων δικαιώματα κυρίου καὶ τηρούντων, μετὰ τῶν εἰδότων ὅτι ἡ μελέτη ἐστὶν ἔργον εὐφροσύνης καὶ ἀναμαρυκωμένων τὸν λόγον κυρίου. τί δὲ τὸ διχηλοῦν; ὅτι ὁ δίκαιος καὶ ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ περιπατεῖ, καὶ τὸν ἅγιον αἰῶνα ἐκδέχεται. εἶτα ἐπιφέρει· βλέπετε πῶς ἐνομοθέτησεν ὁ Μωσῆς καλῶς. ἀλλὰ πόθεν ἐκείνοις ταῦτα νοῆσαι ἢ συνιέναι; ἡμεῖς δικαίως νοήσαντες τὰς ἐντολὰς λαλοῦμεν, ὡς ἠθέλησεν κύριος. διὰ τοῦτο περιέτεμε τὰς ἀκοὰς ἡμῶν καὶ τὰς καρδίας, ἵνα συνιῶμεν ταῦτα. ναὶ μὴν οὐδ᾽ ἂν λέγῃ, οὐ φάγῃ τὸν ἀετὸν, τὸν ὀξύπτερον, καὶ τὸν ἴκτιναν, καὶ τὸν κόρακα. οὐ κολληθήσῃ, φησὶν, οὐδὲ ὁμοιωθήσῃ τοῖς ἀνθρώποις τούτοις, οἳ οὐκ ἴσασι διὰ πόνου καὶ ἱδρῶτος πορίζειν ἑαυτοῖς τὴν τροφὴν, ἀλλ᾽ ἐν ἁρπαγῇ καὶ ἀνομίᾳ βιοῦσιν. Rursus autem permittit vesci iis, quæ habent fissam ungulam, & quæ ruminant, significans, inquit Barnabas, oportere adhærere iis qui timent Dominum, & in corde me-

ditantur eam, quam acceperunt verbi distinctionem, iisque qui loquuntur & servant justificationes Domini, iis item qui sciunt quod meditatio est opus lætitiæ, & qui verbum Domini ruminant. Quid vero est quod fissas seu duplices habet ungulas? Quod justus & in hoc mundo ambulat, & sanctum exspectat sæculum. Deinde subjungit: Videte quam pulchre legem Moyses tulerit. Sed undenam illis in mentem venit, ut hæc cogitarent? Nos jure præcepta intelligentes loquimur, ut Dominus voluit: propterea aures nostras & corda circumcidit, ut hæc intelligamus. Certe cùm dicit, non vesceris aquila, accipitre, & miluo & corvo: non adhærebis, inquit, neque similis eris hominibus his, qui labore & sudore nesciunt sibi parare victum, sed in rapina vivunt & iniquitate.

Idem lib. 2. Stromatum pag. 389. Ἀλλὰ καὶ Δαβὶδ, καὶ πρὸ Δαβὶδ ὁ Μωσῆς τὴν τριῶν δογμάτων τὴν γνῶσιν ἐμφαίνουσιν διὰ τούτων· μακάριος ἀνὴρ ὃς οὐκ ἐπορεύθη ἐν βουλῇ ἀσεβῶν· καθὼς οἱ ἰχθύες πορεύονται ἐν σκότει ἐν τοῖς βάθη. οἱ γὰρ λεπίδα μὴ ἔχοντες, ὧν ἀπαγορεύει Μωσῆς ἐφάπτεσθαι, κάτω τῆς θαλάσσης νέμονται. Οὐδὲ ἐν ὁδῷ ἁμαρτωλῶν ἔστη· καθὼς οἱ δοκοῦντες φοβεῖσθαι τὸν κύριον, ἁμαρτάνουσιν ὡς ὁ χοῖρος· πεινῶν γὰρ κραυγάζει, πληρωθεὶς δὲ τὸν δεσπότην οὐ γνωρίζει. Οὐδὲ ἐπὶ καθέδραν λοιμῶν ἐκάθισεν· καθὼς τὰ πτηνὰ εἰς ἁρπαγὴν ἕτοιμα. παρήνεσε δὲ Μωσῆς οὐ φάγεσθαι χοῖρον, οὐδὲ ἀετὸν, οὐδὲ ὀξύπτερον, οὔτε κόρακα, οὐδὲ πάντ' ἰχθὺν, ὃς οὐκ ἔχει λεπίδα ἐν αὐτῷ. Ταῦτα μὲν ὁ Βαρνάβας. Sed & David, & ante David Moyses, per hæc trium dogmatum ostendunt cognitionem. *Beatus vir qui non ambulavit in consilio impiorum:* sicut pisces ambulant in tenebris in profundo. Qui enim squamas non habent, quos prohibet

Moyses tangere, pascuntur in profundo maris. *Neque in via peccatorum stetit:* sicut ii qui cum Dominum videantur timere, peccant ut porcus, qui esuriens quidem clamat, repletus autem non agnoscit Dominum. *Neque in cathedra pestilentiæ sedit:* sicut volucres paratæ ad rapinam. Hortatus est autem Moyses ne vescerentur porco, nec aquila, nec accipitre, neque corvo, neque quovis pisce qui non habet squamas. Hæc quidem Barnabas.

Idem libro 5. Stromatum pag. 577. Ἀλλὰ καὶ Βαρνάβας ὁ καὶ αὐτὸς συγκηρύξας τῷ ἀποστόλῳ κατὰ τὴν διακονίαν τῶν ἐθνῶν τὸν λόγον, ἁπλούστερον, φησιν, ὑμῖν γράφω ἵνα συνίητε. εἶθ' ὑποβὰς, ἤδη σαφέστερον γνωστικῆς παραδόσεως ἴχνος παρατιθέμενος λέγει· τί λέγει ὁ ἄλλος προφήτης Μωσῆς αὐτοῖς; ἰδοὺ τάδε λέγει κύριος ὁ θεὸς, εἰσέλθετε εἰς τὴν γῆν τὴν ἀγαθὴν, ἣν ὤμοσεν κύριος ὁ θεὸς, ὁ θεὸς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ· καὶ κατακληρονομήσατε αὐτὴν γῆν ῥέουσαν γάλα καὶ μέλι. τί λέγει ἡ γνῶσις; μάθετε. ἐλπίσατε, φησιν, ἐπὶ τὸν ἐν σαρκὶ μέλλοντα φανεροῦσθαι ὑμῖν Ἰησοῦν· ἄνθρωπος γὰρ γῆ ἐστι πάσχουσα· ἀπὸ προσώπου γὰρ γῆς ἡ πλάσις τοῦ Ἀδὰμ ἐγένετο. τί οὖν λέγει εἰς τὴν γῆν τὴν ἀγαθὴν τὴν ῥέουσαν γάλα καὶ μέλι; εὐλογητὸς κύριος ἡμῶν, ἀδελφοὶ, ὁ σοφίαν καὶ νοῦν θέμενος ἐν ἡμῖν τῶν κρυφίων αὐτοῦ. λέγει γὰρ ὁ προφήτης· παραβολὴν κυρίου τίς νοήσει, εἰ μὴ σοφὸς καὶ ἐπιστήμων καὶ ἀγαπῶν τὸν κύριον αὐτοῦ; Quin etiam Barnabas, qui ipse quoque prædicavit verbum unâ cum Apostolo in ministerio Gentium ait: Simplicius vobis scribo ut intelligatis. Deinde paulo inferius, jam adducens manifestius vestigium traditionis, quæ est ex cognitione, dicit: Quid eis dicit alius Propheta Moyses? Ecce hæc dicit Dominus Deus: Intrate in terram bonam, quam juravit Dominus Deus, Deus Abraham, & Isaac

& Jacob : & possidete eam terram fluentem lacte & melle. Quid dicit cognitio? Discite. Sperate, inquit, in Jesum qui in carne manifestandus est vobis. Homo siquidem est terra quæ patitur; ex facie enim terræ fuit Adami formatio. Quid ergo dicit, In terram bonam fluentem lacte & melle? Benedictus Dominus noster, fratres, qui sapientiam & intelligentiam posuit in nobis occultorum suorum. Dicit enim Propheta: Parabolam Domini quis intelliget nisi sapiens, & sciens, & diligens Dominum suum?

Idem libro 6. Stromatum pag. 646. Ἐξηγούμενος δὲ τὸ ῥητὸν τοῦ προφήτου Βαρνάβας ἐπιφέρει· πολλῶν πυλῶν ἀνεῳγμένων, ἡ δικαιοσύνη αὕτη ἐστὶν ἡ ἐν Χριστῷ, ἐν ᾗ μακάριοι πάντες οἱ εἰσελθόντες. Prophetæ autem dictum exponens Barnabas infert: Cùm multæ portæ sint apertæ, justitia ipsa est quæ est in Christo, quam qui ingressi sunt, beati omnes illi sunt.

Sed hîc Barnabam pro Clemente lapsu memoriæ citasse contendunt. Nam ea leguntur cap. 48. Epistolæ 1. Clementis ad Corinthios. Ad eamdem Barnabæ Epistolam alludit Clemen. Alexandr. lib. 2. Pædag. cap. 10.

Tertullianus libro de Pudicitia cap. 20. Volo ex redundantia alicujus etiam comitis Apostolorum testimonium superducere, idoneum confirmandi de proximo jure disciplinam magistrorum. Exstat enim & Barnabæ titulus ad Hebræos, adeo satis auctoritatis viro; ut quem Paulus juxta se constituerit in abstinentiæ terrore: aut ego solus & Barnabas non habemus hoc operandi potestatem? Et utique receptior apud Ecclesias epistola Barnabæ illo apocrypho Pastore mœchorum. Monens itaque discipulos, omissis omnibus

initiis, ad perfectionem magis tendere, nec rursus fundamenta pœnitentiæ jacere ab operibus mortuorum; Impossibile, inquit, eos qui semel illuminati sunt, & donum cæleste &c. ut in epist. ad Hebr. cap. 6.

Ibi Tertullianus epistolam quidem Pauli ad Hebræos nomine Barnabæ citat. Sed quia in Dissertationibus nostris non semel hujus testimonii mentionem fecimus, idcirco illud integrum hîc censuimus esse repræsentandum.

Origenes libro 3. Periarchon cap. 2. pag. 458. col. 2. edit. Paris. Eadem quoque Barnabas in epistola sua declarat, cùm duas vias esse dicit, unam lucis, alteram tenebrarum, quibus & præesse certos quosdam Angelos dicit: viæ quidem lucis Angelos Dei, tenebrarum autem viæ, Angelos satanæ.

Aiunt aliqui Origenem hunc rursus epistolæ Barnabæ locum de duabus viis incerto licet nomine indicare in ℣. 24. cap. 1. epist. ad Romanos, cùm dicit: *Sunt praterea sicut in multis scriptura locis invenimus, etiam utriusque partis, vel utriusque via fautores quidam, & adjutores Angeli.* Sed ad alios, quam Barnabæ, locos sacræ scripturæ, fortean Pauli, quos laudat, potuit alludere, vel ad alios veterum libros, puta Hermæ, &c.

Idem libro 2. cont. Celsum circa finem pag. 428. Exstat sane in Barnabæ catholica epistola scriptum unde fortasse Celsus occasionem arripuit, ut Apostolos infames & nequissimos diceret Jesum ad Apostolicam functionem elegisse homines omni iniquitate iniquiores. Hæc iterum habentur in Philocalia Origenis cap. 18.

Eusebius Histor. Ecclesiast. lib. 3. cap. 23. edit. Vales. Ἐν τοῖς νόθοις &c. Pro spuriis habendi sunt etiam Actus Pauli, & liber Pastoris titulo inscriptus, & Revelatio Petri, Barnabæ item epistola, & quæ dicuntur Institutiones Apostolorum.

Idem lib. 6. cap. 13. Ubi de Clementis Operibus agit: In iisdem, inquit, libris adfert testimonia Scripturarum, quæ à nonnullis repudiantur, nempe ex Sapientia Salomonis, & ex ea quæ dicitur Sapientia Jesu filii Sirach; item ex Clementis, ac Barnabæ, Judæque epistolis.

Et initio cap. sequentis. Idem in libris ὑποτυπώσεων, omnium, ut uno verbo dicam, utriusque Testamenti Scripturarum compendiosam instruit enarrationem, ne illis quidem prætermissis Scripturis, de quibus inter multos ambigitur; Judæ epistolam & Barnabæ, ac reliquas catholicas epistolas intelligo, & Revelationem quæ dicitur Petri.

Hieronymus in hæc verba cap. 43. Ezechiel. *Et dabis Sacerdotibus Levitis*, &c. Vitulum, inquit, qui pro nobis immolatus est, & multa Scripturarum loca, & præcipue Barnabæ epistolam, quæ habetur inter scripturas apocryphas, nominat.

Idem libro 3. cont. Pelagium cap. 1. Citat sub nomine Ignatii martyris verba nostri Barnabæ: Ignatius, inquit, vir apostolicus & martyr scribit audacter: Elegit Dominus Apostolos, qui super omnes homines peccatores erant.

Idem de Scriptor. Ecclesiast. Barnabas Cyprius, qui & Joseph Levites, cum Paulo gentium Apostolus ordinatus, unam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem epistolam composuit, quæ inter apo-

cryphas scripturas legitur. Hic postea propter Johannem discipulum, qui & Marcus vocabatur, separatus à Paulo, nihilominus Evangelicæ prædicationis injunctum sibi opus exercuit.

TESTIMONIA VETERUM
DE LIBRIS HERMÆ
SEU PASTORIS.

S. Irenaus lib. 4. adversus Hæreses cap. 37.

BENE ergo Scriptura dicit: *Primò omnium crede, quoniam unus est Deus, qui omnia constituit, & consummavit, & fecit ex eo quod non erat; ut essent omnia, omnium capax, & qui à nemine capiatur.* Lib. 2. Mandat. 1.

Clemens Alexandrinus Stromatum, lib. 1. pag. 311.

Λέγει δὲ καὶ ὁ ποιμὴν, ὁ ἄγγελος τῆς μετανοίας τῷ Ἑρμᾷ περὶ τοῦ ψευδοπροφήτου· τινὰ γὰρ ῥήματα ἀληθῆ λαλεῖ. ὁ γὰρ διάβολος αὐτὸν πληροῖ τῷ ἑαυτοῦ πνεύματι, εἴ τινα δυνήσεται ῥῆξαι τῶν δικαίων. Dicit autem & Pastor, Angelus pœnitentiæ ad Hermam de pseudopropheta: Quædam enim verba vera loquitur; nam diabolus implet eum spiritu suo, si quem possit justorum frangere. *Lib. 2. Mand. 10.*

Ibidem pag. 356.

Θείως τοίνυν ἡ δύναμις ἡ τῷ Ἑρμᾷ κατὰ ἀποκάλυψιν λαλοῦσα; τὰ ὁράματα, φησὶ, καὶ τὰ ἀποκαλύμματα διὰ τοὺς διψύχους τοὺς διαλογιζομένους ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, εἰ ἄρα ἐστὶ ταῦτα ἢ οὐκ ἔστιν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐκ τῆς πο-

λυμαθοῦς

λυμαθοῦς περιουσίας ἀποδείξεις ἰσχυροποιοῦσι καὶ βεβαιοῦσι καὶ θεμελιοῦσι τοὺς λόγους τοὺς ἀποδεικτικοὺς, ὅσον ἔτι αἱ αὐτῶν ὡς νέων φρένες ᾐωρέθονται. Divine ergo potestas illa quæ Hermæ loquitur in revelatione: Visiones, inquit, & revelationes propter dubios, qui cogitant in cordibus suis, utrumne sint hæc, aut non sint. Similiter autem ex redundanti quoque doctrinæ copia corroborant demonstrationes, firmant & fundant rationes demonstrativas, quantum adhuc eorum tamquam juvenum mentes pendent instabiles. *Lib. 1. Vis. 3.*

Idem Strom. lib. 2. pag. 360.

Φησὶ γὰρ ἐν τῷ ὁράματι τῷ Ἑρμᾷ ἡ δύναμις ἡ φανεῖσα· ὃ ἐὰν ἐνδέχηταί σοι ἀποκαλυφθῆναι, ἀποκαλυφθήσεται. Dicit enim quæ Hermæ in visione apparuit potestas: Quod tibi contingit revelari, revelabitur. *Lib. 1. Vis. 3.*

Ibidem post initium, pag. 379.

Ὁ ποιμὴν δὲ, ἁπλῶς ἐπὶ τῶν κεκοιμημένων φησὶ τὴν λέξιν, δικαίους οἶδέ τινας ἐν ἔθνεσι καὶ ἐν Ἰουδαίοις, οὐ μόνον πρὸ τῆς τοῦ κυρίου παρουσίας, ἀλλὰ καὶ πρὸ νόμου κατὰ τὴν πρὸς Θεὸν εὐαρέστησιν· ὡς Ἄβελ, ὡς Νῶε, ὡς εἴ τις ἕτερος δίκαιος. Φησὶ γοῦν τοὺς ἀποστόλους καὶ διδασκάλους, τοὺς κηρύξαντας τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ κοιμηθέντας, τῇ δυνάμει καὶ τῇ πίστει κηρύξαι τοῖς προκεκοιμημένοις. Εἶτα ἐπιφέρει· καὶ αὐτοὶ ἔδωκαν αὐτοῖς τὴν σφραγῖδα τοῦ κηρύγματος. κατέβησαν οὖν μετ' αὐτῶν εἰς τὸ ὕδωρ, καὶ πάλιν ἀνέβησαν. ἀλλ' οὗτοι ζῶντες κατέβησαν, καὶ πάλιν ζῶντες ἀνέβησαν· ἐκεῖνοι δὲ οἱ προκεκοιμημένοι, νεκροὶ κατέβησαν, ζῶντες δὲ ἀνέβησαν. διὰ τούτων οὖν ἐζωοποιήθησαν, καὶ ἐπέγνωσαν τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ Θεοῦ. διὰ τοῦτο καὶ συνανέβησαν μετ' αὐτῶν, καὶ συνηρμόσθησαν εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου, καὶ ἀλατόμητοι συνῳκοδομήθησαν. ἐν δικαιοσύνῃ ἐκοιμήθησαν καὶ ἐν μεγάλῃ ἁγνείᾳ, μόνην δὲ τὴν σφραγῖδα ταύτην οὐκ εἶχον.

Pastor autem, cùm simpliciter de iis qui defuncti sunt, posuisset dictionem, novit quosdam justos in Gentibus & Judæis; non solùm ante adventum Domini, sed etiam ante Legem, ex eo quòd Deo fuerint grati & accepti: ut fuit Abel, ut Noë, ut si quis alius justus. Dicit ergo Apostolos & doctores, qui prædicaverunt nomen Filii Dei; etiam defunctos, potestate ac fide prædicâsse iis, qui antè obierant. Deinde subjungit: Et ipsi dederunt ipsis signaculum prædicationis. Descenderunt ergo cum eis in aquam, & rursus ascenderunt. Sed hi viventes descenderunt, & rursus viventes ascenderunt: illi autem qui prius dormierant, mortui descenderunt, & vivi adscenderunt. Per hos igitur vivificati sunt, & agnoverunt nomen Filii Dei. Idcirco unà quoque cum illis ascenderunt, & convenerunt in turris ædificationem, nec secti coædificati sunt. In justitia dormierunt, summaque castitate. Solum autem hoc signaculum non habuerunt. *Lib. 3. Simil. 9.*

Ibidem ante medium, pag. 384.

Ἡ τοίνυν συνέχουσα τὴν ἐκκλησίαν, ὥς φησιν ὁ ποιμὴν, ἀρετὴ, ἡ πίστις ἐστὶ, δι' ἧς σώζονται οἱ ἐκλεκτοὶ τοῦ Θεοῦ· ἡ δὲ ἀνδριζομένη, ἐγκράτεια. Ἕπονται δὲ αὐταῖς ἁπλότης, ἐπιστήμη, ἀκακία, σεμνότης, ἀγάπη. Πᾶσαι δὲ αὗται, πίστεως εἰσὶ θυγατέρες. Quæ ergo continet Ecclesiam, ut Pastor inquit, virtus, Fides est, per quam salvi fiunt electi Dei: quæ autem viriliter agit, Abstinentia. Sequuntur verò eas Simplicitas, Disciplina, Innocentia, Modestia, Caritas. Illæ autem omnes sunt filiæ Fidei. *Lib. 1. Vis. 3. cap. 9.*

Ibidem pag. 384. 385.

Φοβητέον οὖν τὸν κύριον, λέγει, εἰς οἰκοδομὴν, ἀλλ' οὐ

τὸν διάβολον εἰς καταστροφήν. Εμπαλιν δὲ τὰ μὲν ἔργα τοῦ κυρίου, τουτέστι τὰς ἐντολὰς, ἀγαπητέον καὶ ποιητέον· τὰ δὲ ἔργα τοῦ διαβόλου, φοβητέον καὶ οὐ ποιητέον. Dicit itaque timendum esse Dominum, ad ædificationem; sed non Diabolum, ad eversionem. Et rursus; opera quidem Domini, hoc est, præcepta, esse diligenda & facienda; opera verò Diaboli, timenda esse, & non facienda. *Lib. 2. Mand. 7.*

Ibidem pag. 385.

Ο δὲ αὐτὸς καὶ τὴν μετάνοιαν σύνεσιν εἶναί φησι μεγάλην. Μετανοῶν γὰρ ἐφ' οἷς ἔδρασεν, οὐκ ἔτι ποιεῖ ἢ λέγει. Βασανίζων δὲ ἐφ' οἷς ἥμαρτεν τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, ἀγαθοεργεῖ. Αφεσις τοίνυν ἁμαρτιῶν, μετανοίας διαφέρει· ἄμφω δὲ δείκνυσι τὰ ἐφ' ἡμῖν. Τὸν οὖν εἰληφότα τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, οὐκ ἔτι ἁμαρτάνειν χρή· ἐπὶ γὰρ τῇ πρώτῃ καὶ μόνῃ μετανοίᾳ τῶν ἁμαρτιῶν, αὕτη ἂν εἴη τῶν προϋπαρξάντων κατὰ τὸν ἐθνικὸν καὶ πρῶτον βίον τὸν ἐν ἀγνοίᾳ λέγω· αὐτίκα τοῖς κληθεῖσι πρόκειται μετάνοια, ἡ καθαίρουσα τὸν τόπον τῆς ψυχῆς ἀπὸ τῶν πλημμελημάτων, ἵνα ἡ πίστις θεμελιωθῇ. Καρδιογνώστης δὲ ὢν ὁ κύριος, καὶ τὰ μέλλοντα προγινώσκων, τό τε ἀμετάβολον τοῦ ἀνθρώπου, καὶ τὸ παλίμβολον, καὶ πανοῦργον τοῦ διαβόλου, ἄνωθεν ἀρχῆθεν προεῖδεν· ὡς, ζηλώσας ἐπὶ (*l.* ἐπεὶ) τῇ ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν τὸν ἄνθρωπον, προσρίψῃ τινὰς αἰτίας τῶν ἁμαρτημάτων τοῖς δούλοις τοῦ Θεοῦ, φρονίμως πονηρευόμενος, ὅπως δὴ καὶ αὐτοὶ συνεκπέσοιεν αὐτῷ. Δέδωκεν οὖν ἄλλην ἐπὶ τοῖς κἂν τῇ πίστει περιπίπτουσί τινι πλημμελήματι, πολυέλεος ὢν, μετάνοιαν δευτέραν· ἵν' εἴ τις ἐκπειρασθείη μετὰ τὴν κλῆσιν, βιασθεὶς δὲ καὶ κατασοφισθεὶς, μίαν ἔτι μετάνοιαν ἀμεταμέλητον λάβῃ.

Αἱ δὲ συνεχεῖς καὶ ἐπάλληλοι ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασι μετάνοιαι, οὐδὲν τῶν καθάπαξ μὴ πεπιστευκότων διαφέρουσιν, ἢ μόνῳ τῷ συναισθέσθαι ὅτι ἁμαρτάνουσι.

Idem autem & dicit pœnitentiam esse sensum magnum. Qui enim pœnitentiam agit eorum, quæ

fecit, non ampliùs facit, vel dicit. Torquens verò animam suam propter quæ peccavit, operatur bene. Remissio ergo peccatorum differt à pœnitentia: ambo autem libertatem nostram ostendunt. Eum igitur qui accepit remissionem peccatorum, non oportet ampliùs peccare. In prima nempe & sola peccatorum pœnitentia, (ea autem fuerit eorum, quæ priùs exstiterunt in gentili & priori vita: eâ, inquam, quæ fuit in ignorantia) iis qui vocati sunt, proponitur statim pœnitentia, expurgans locum animæ à delictis, ut fides fundetur. Cùm verò Dominus cogitationes præcordiorum nôrit, & futura præsciat, facilem hominis mutationem, & multiplicem nequitiam Diaboli, jam inde à principio prævidit; quòd homini invidens propter remissionem peccatorum, aliquas causas delictorum insusturus esset servis Dei, astutè & malignè moliens, ut ipsi quoque cum eo cadant. Dedit ergo, qui multùm misericors est, iis qui etiam in fide incidunt in aliqnod peccatum, aliam & secundam pœnitentiam; quam, si quis tentatus fuerit post vocationem, & coactus, & callidè circumventus, unam adhuc non pœnitendam accipiat pœnitentiam.

Continuæ autem & se invicem excipientes, propter peccata, pœnitentiæ, nihil differunt ab iis qui omnino non crediderunt, præterquàm in eo solo, quòd se peccare senserunt, &c. *Lib. 1. Mand. 4. cap. 2. 3.*

Lib. 4. ante medium, pag. 503.

Αὐτίκα ὁ ποιμὴν φησιν· ἐκφεύξεσθε τὴν ἐνέργειαν τοῦ ἀγρίου θηρίου, ἐὰν ἡ καρδία ὑμῶν γένηται καθαρὰ καὶ ἄμωμος. Jam verò Pastor dicit: *Effugietis vim fe-*

ræ beſtiæ, ſi cor veſtrum fuerit purum ac ſine macula. Lib. 1. Viſ. 4. cap. 2.

Idem Strom. lib. 6. pag. 638.

Καὶ καλῶς εἴρηται τῷ ποιμένι· κατέβησαν οὖν [μετ'] αὐτῶν εἰς τὸ ὕδωρ· ἀλλ' οὗτοι μὲν ζῶντες κατέβησαν, καὶ ζῶντες ἀνέβησαν· ἐκεῖνοι δὲ οἱ προκεκοιμημένοι, νεκροὶ κατέβησαν, ζῶντες δὲ ἀνέβησαν. Et recte dictum eſt à Paſtore: Deſcenderunt igitur cum illis in aquam. Sed hi quidem viventes deſcenderunt, & viventes aſcenderunt: at illi qui prius dormierant, mortui deſcenderunt, & vivi adſcenderunt. *Ibidem.*

Lib. 6. ante finem, pag. 670.

Η γὰρ οὐχὶ καὶ ἐν τῇ ὁράσει τῷ Ερμᾷ ἡ δύναμις ἐν τῷ τύπῳ τῆς ἐκκλησίας φανεῖσα, ἔδωκεν τὸ βιβλίον εἰς μεταγραφὴν, ὃ τοῖς ἐκλεκτοῖς ἀναγγεῖλαι ἐβούλετο; τοῦτο δὲ μετεγράψατο πρὸς γράμμα, φησὶ, μὴ εὑρίσκων τὰς συλλαβὰς πληρῶσαι. An non enim & Virtus, quæ in viſione apparuit Hermæ in figura Eccleſiæ, dedit librum, ut deſcriberet, quem electis annunciari volebat? Eum autem, inquit, deſcripſit ad litteram; non inveniens quo modo ſyllabas perficeret. *Lib. 1. Viſ. 2. cap. 1.*

Tertullianus, lib. de Oratione, cap. 12.

Quòd adſignatâ oratione aſſidendi mos eſt quibuſdam, non perſpicio rationem, niſi ſi Hermas ille, cujus ſcriptura ferè Paſtor inſcribitur, tranſactâ oratione non ſuper lectum aſſediſſet, verùm aliud quid feciſſet, id quoque ad obſervationem vindicaremus. Utique non. Simpliciter enim & nunc poſitum eſt: *Cùm adoraſſem, & aſſediſſem ſuper lectum*, ad ordinem narrationis, non ad inſtar diſciplinæ. Alioquin nuſquam erit adorandum, niſi ubi fuerit lectus: immo contra Scri-

pturam fecerit, si quis in cathedra aut subsellio sederit. *Lib. 2. in Proœm.*

Idem Tertullianus, lib. de Pudicitia, cap. 10.

Sed cederem tibi, si scriptura Pastoris, quæ sola mœchos amat, divino Instrumento meruisset incidi; si non ab omni concilio Ecclesiarum, etiam vestrarum, inter apocrypha & falsa judicaretur; adultera & ipsa, & inde patrona sociorum; à qua & aliàs initiaris: cui ille si fortè patrocinabitur pastor, quem in calice depingis, prostitutorem & ipsum Christiani sacramenti; meritò & ebrietatis idolum, & mœchiæ asylum post calicem subsequuturæ; de quo nihil libentius bibas, quàm ovem pœnitentiæ secundæ. At ego ejus pastoris scripturas haurio, qui non potest frangi. *Lib. 2. Mand, 4. cap. 3. 4.*

Cap. 20.

Et utique receptior apud Ecclesias epistola Barnabæ illo apocrypho Pastore mœchorum. Indicat epistolam canonicam ad Hebræos.

Origenes, Homiliâ 8. in Numeros.

Quòd autem dies peccati in annum pœnæ reputetur, non solùm in hoc libro, in quo nihil omnino est quod dubitari possit, ostenditur; sed & in libello Pastoris; si cui tamen scriptura illa recipienda videtur, similia designantur. *Lib. 3. Simil. 6. cap. 4.*

Homiliâ 10. in Josuam.

Similis quoque etiam in libello, qui appellatur Pastoris, de his figura describitur. Ait enim; quia est arbor quædam, quæ ulmus appellatur, quæ fructum non affert, portat tamen vitem, quæ affert plurimum fructum; & ex eo quod adminiculo est viti, quæ ejus viribus nitens, vel

afferre, vel servare potest plurimum fructum, etiam ulmus, quæ infructuosa est, necessaria videtur & utilis ex hoc ipso, quòd frugiferæ deserviat viti. *Lib. 3. Simil. 2.*

Homiliâ 10. in Psalmum 37.

Est autem quando erudimur etiam à procuratoribus & actoribus; id est, ab his Angelis quibus creditæ sunt dispensandæ & regendæ animæ nostræ: quemadmodum describitur in quodam loco Angelus pœnitentiæ, qui nos suscipit castigandos, sicut Pastor exponit; si cui tamen libellus ille recipiendus videtur. *Lib. 3. Simil. 6. cap. 3.*

Homiliâ 13. in Ezechielem.

In libro Pastoris, in quo Angelus pœnitentiam docet, duodecim virgines habent nomina sua; Fides, Continentia, & cætera. Potestis quippe legere, si vultis. Deinde quando turris ædificatur, cùm adsumseris fortitudines virginum, pariter accipies & id quod de portis dicitur. *Lib. 3. Simil. 9. cap. 2. &c. & cap. 15.*

Lib. 1. de Principiis cap. 3.

Nam & in eo libello, qui Pastoralis dicitur, de Angeli positione; quem Hermes conscripsit, ita refertur: *Primò omnium crede, quia unus est Deus, qui omnia creavit, atque composuit; qui cùm nihil esset priùs, fecit omnia: qui est omnia capiens, ipse verò à nemine capitur.* Lib. 2. Mand. 1.

Lib. 2. cap. 1.

Ut autem ex Scripturarum auctoritate hæc ita se habere doceamus, audi quo modo Macchabæorum libris, &c. Sed & in libro Pastoris, in primo Mandato, ita ait: *Primò omnium crede,*

quia unus est Deus, qui omnia creavit, atque composuit, & fecit ex eo quod nihil erat ut essent universa. Ibid.

Lib. 3. cap. 2.

Sed & de Pastoribus liber hæc eadem declarat, dicens quòd bini Angeli singulos quosque hominum comitentur: &, si quando bonæ cogitationes cor nostrum ascenderint, à bono Angelo suggeri dicit; si verò contrariæ, mali Angeli dicit esse instinctum. *Lib. 2. Mand. 6. cap. 2.*

Lib. 4. cap. 2. in Philocalia cap. 1.

Διὰ τοῦτο ἡμεῖς καὶ τὸ ἐν τῷ ὑπό τινων καταφρονουμένῳ βιβλίῳ τῷ ποιμένι, περὶ τοῦ προστάσσεσθαι τὸν Ἑρμᾶν δύο γράψαι βιβλία, καὶ μετὰ ταῦτα αὐτὸν ἀναγγέλλειν τοῖς πρεσβυτέροις τῆς ἐκκλησίας ἃ μεμάθηκεν ὑπὸ τοῦ πνεύματος, οὕτω διηγούμεθα. Ἔστι δὲ ἡ λέξις αὕτη· Quod nos etiam in libello Pastoris, qui à nonnullis contemni videtur, designatum videmus; cùm jubetur Hermes duos libellos scribere, & postea denunciare Presbyteris Ecclesiæ, quæ à Spiritu didicit: quod his verbis scriptum est: *Et scribes, &c. Lib. 1. Vis. 2. cap. 4.*

Tract. 30. in Matthæi, cap. 24. ℣. 32.

Sic & in aliqua parabola refertur Pastoris, si cui placeat etiam illum legere librum. Quoniam sæculum præsens hyems est justis, qui apparent similes proximis suis natura & arboribus, videlicet cæteris siccis; tempore autem opportuno in fructibus suis apparent.

Tract. 31. in Matth. 24. ℣. 42.

Nam sicut legimus apud Pastorem, vasa plena non citò quis gustat; nec enim mutantur facilè: semiplena autem, quia facilè creduntur mutari, frequenter gustantur. *Lib. 2. Mand. 12. cap. 5.*

Homiliâ 35. in Lucam.

Quod ſi cui diſplicet, tranſeat ad volumen, quod titulo Paſtoris ſcribitur, & inveniet cunctis hominibus duos adeſſe Angelos; malum, qui ad perverſa exhortatur, & bonum, qui ad optima quæque perſuadet. *Lib. 2. Mand. 6. cap. 2.*

Tomo 1. Commentariorum in Johannem.

Secùs verò apud nos eſt, qui credimus, ex non entibus, Deum entia feciſſe; ut mater illa ſeptem Martyrum in Macchabæorum geſtis, & pœnitentiæ Angelus in Paſtore docuit. *Lib. 1. Viſ. 1. cap. 2. & lib. 2. Mand. 1.*

Lib. 10. Explanationum in Epiſtolam ad Romanos. Ad capitis 16. verſum 14.

Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermen, Patroban, Hermam, & qui cum eis ſunt fratres. De iſtis ſimplex eſt ſalutatio, nec aliquid eis inſigne laudis adjungitur. Puto tamen quòd Hermas iſte ſit ſcriptor libelli illius, qui Paſtor appellatur: quæ ſcriptura valde mihi utilis videtur, & ut puto, divinitus inſpirata. Quòd verò nihil eis laudis adſcripſit, illa opinor ex cauſa, quia videtur, ſicut ſcriptura illa declarat, poſt multa peccata ad pœnitentiam fuiſſe converſus: & ideo nec opprobrium ei aliquod adſcripſit; didicerat enim Scripturam non improperare homini convertenti ſe à peccato: neque laudis aliquid tribuit; quia adhuc poſitus erat ſub Angelo pœnitentiæ, à quo, tempore opportuno, Chriſto rurſus deberet offerri. *Videſis Sedulium, in Collectaneis, ad eumdem Apoſtoli locum.*

In Commentariis in Oſeam; ex Philocalia cap. 8.

Καὶ ἐν τῷ ποιμένι δὲ, τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου διὰ πολλῶν μὲν λίθων οἰκοδομουμένην, ἐξ ἑνὸς λίθου φαινομένην εἶναι τὴν

οἰκοδομὴν, τί ἄλλο, ἢ τὴν ἐκ πολλῶν συμφωνίαν καὶ ἑνότητα σημαίνει ἡ γραφή; Et in libro qui Pastor inscribitur, ædificationem turris ex multis factam lapidibus, ex uno verò lapide factum videri ædificium, quid aliud quam è multis concentum & unitatem scriptum id significat. *Lib. 1. Vis. 3. cap. 2. & lib. 3. Simil. 9. cap. 9. 13. 18.*

Eusebius, Historia Ecclesiastica lib. 3. cap. 3.

Ἐπεὶ δὲ ὁ αὐτὸς ἀπόστολος ἐν ταῖς ἐπὶ τέλει προσρήσεσι τῆς πρὸς Ῥωμαίους, μνήμην πεποίηται, μετὰ τῶν ἄλλων, καὶ Ἑρμᾶ, οὗ φασὶν ὑπάρχειν τὸ τοῦ ποιμένος βιβλίον· ἰστέον ὡς καὶ τοῦτο πρὸς μὲν τινῶν ἀντιλέλεκται, δι᾽ οὓς οὐκ ἂν ἐν ὁμολογουμένοις τεθείη· ὑφ᾽ ἑτέρων δὲ ἀναγκαιότατον, οἷς μάλιστα δεῖ στοιχειώσεως εἰσαγωγικῆς, κέκριται, ὅθεν ἤδη καὶ ἐν ἐκκλησίαις ἴσμεν αὐτὸ δεδημοσιευμένον, καὶ τῶν παλαιοτάτων δὲ συγγραφέων κεχρημένους τινὰς αὐτῷ κατείληφα. Quoniam verò Apostolus Paulus in salutationibus illis, quæ sub finem epistolæ ad Romanos leguntur inter cæteros mentionem fecit Hermæ, cujus esse fertur is liber, qui Pastor inscriptus est, sciendum est eum librum à nonnullis quidem in dubium revocatum. Quamobrem inter receptæ auctoritatis libros censeri non potest. Ab aliis vero maxime necessarius judicatur, iis præsertim, qui primis Religionis nostræ elementis instituendi sunt. Unde etiam in Ecclesiis eum publicè legi comperimus, & quosdam ex vetustissimis Scriptoribus ejus testimonio usos fuisse.

Lib. 3. cap. 25.

Ἐν τοῖς νόθοις κατατετάχθω καὶ τῶν Παύλου πράξεων ἡ γραφή, ὅ, τε λεγόμενος ποιμήν. Pro spuriis habendi sunt etiam Actus Pauli, & liber Pastoris titulo inscriptus.

Lib. 5. cap. 8.

Οὐ μόνον δὲ οἶδεν, ἀλλὰ καὶ ἀποδέχεται τὴν τοῦ ποιμένος γραφὴν, λέγων· καλῶς οὖν εἶπεν ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα· πρῶτον πάντων πίστευσον ὅτι εἷς ἐστιν ὁ Θεός, ὁ τὰ πάντα κτίσας καὶ καταρτίσας, καὶ τὰ ἑξῆς. Liber quoque Pastoris non solum ab eo (Irenæo) cognitus, sed etiam magnoperè approbatus est his verbis: Recte, inquit, scriptura quæ dicit: *Ante omnia crede unum esse Deum, qui cuncta creavit, & numeris omnibus absoluta digessit*, &c. Lib. 2. Mand. 7.

Athanasius lib. de Incarnatione Verbi, &c. paulò post init. Edit. Paris. Tom. 1. pag. 55.

Η δὲ ἔνθεος διδασκαλία, καὶ ἡ μετὰ χριστὸν πίστις, &c. φησὶ διὰ μὲν Μωσέως· &c. διὰ δὲ τῆς ὠφελιμωτάτης βίβλου τοῦ ποιμένος· πρῶτον πάντων πίστευσον ὅτι εἷς ἐστιν ὁ Θεός, ὁ τὰ πάντα κτίσας καὶ καταρτίσας, καὶ ποιήσας ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι. Sed enim divina doctrina & christiana fides, &c. ait, per Mosem quidem: &c. per utilissimum verò Pastoris librum: *Primùm omnium, crede quòd unus est Deus, qui omnia creavit, & consummavit, & ex nihilo ut essent fecit.* Lib. 2. Mand. 1.

Lib. de Decretis Nicænæ Synodi, post initium, pag. 252.

Τοῦτο δὲ, ὡς ὁ ποιμὴν εἴρηκεν, ἔκγονόν ἐστι διαβόλου. Hæc autem dubitatio, quemadmodum Pastor dixit, Diaboli filia est. *Lib. 2. Mand. 9.*

Ibidem, mox post medium, pag. 266.

Εν δὲ τῷ ποιμένι γέγραπται· ἐπειδὴ καὶ τοῦτο, καί τοι μὴ ὂν ἐκ τοῦ κανόνος, προφέρουσι· πρῶτον πάντον πίστευσον ὅτι εἷς ἐστιν ὁ Θεός, ὁ τὰ πάντα κτίσας καὶ καταρτίσας, καὶ ποιήσας ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα. At in Pastore scriptum habetur: quandoquidem & eum librum, etsi ex Canone non sit, proferunt: *Pri-*

mùm omnium, crede quòd unus est Deus, qui omnia creavit, & consummavit; & ex nihilo ut essent omnia, fecit. Lib. 2. Mand. 1.

Epistola ad Episcopos Africæ, ante med. p. 936.

Ελεγίζοντο δὲ καὶ τὸ ἐν τῷ ποιμένι γραφέν· πρῶτον πάντων πίστευσον, ὅτι εἷς ἐστιν ὁ Θεὸς, ὁ τὰ πάντα κτίσας καὶ καταρτίσας, καὶ ποιήσας ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι. Secum etiam reputabant quod in Pastore scriptum est: *Primùm omnium crede, quòd unus est Deus, qui omnia creavit, & consummavit, & ex nihilo ut essent, fecit.* Ibidem.

In Epistola Paschali. Tom. 2. p. 30. 40.

Ἐστι καὶ ἕτερα βιβλία, οὐ κανονιζόμενα μὲν, τετυπωμένα δὲ παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις, καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον· σοφία Σολομῶνος, &c. καὶ ὁ ποιμήν. Sunt & alii libri, non quidem Canonici, sed quos Patres sanxerunt legi iis, qui ad fidem accedunt, cupiuntque in pietatis verbo institui: ut Sapientia Salomonis...... & Pastor.

Hieronymus, in Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo.

Hermam, (cujus Apostolus Paulus ad Romanos scribens meminit: *Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermem, & qui cum eis fratres sunt*) adserunt auctorem esse libri, qui appellatur Pastor, & apud quasdam Græciæ Ecclesias etiam publicè legitur. Revera utilis liber; multique de eo Scriptorum veterum usurpaverunt testimonia: sed apud Latinos pene ignotus est. *Vide Adonem Viennensem, lib. de Festivitatibus, &c. Freculfum, Tom. 2. lib. 2. cap. 4. Honorium Augustodunensem, de Luminaribus Ecclesiæ, cap. 10.*

In Prologo galeato.

Igitur Sapientia quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Jesu filii Sirach liber, & Judith, & Tobias, & Pastor, non sunt in Canone.

Lib. 2. Commentariorum in Osee: ad cap. 7. vers. 9.

Unde & in libro Pastoris, si cui tamen placet illius recipere lectionem, Hermæ primùm videtur Ecclesia cano capite; deinde adolescentula, & sponsa crinibus adornata. *Lib. 1. Vis. 1. cap. 2. & Vis. 4. cap. 2.*

Lib. 1. in Habacuc; ad cap. 1. v. 14.

Ex quo liber ille apocryphus stultitiæ condemnandus est; in quo scriptum est, quemdam Angelum nomine Tyri præesse reptilibus. *Lib. 1. Vis. 4. cap. 2.*

Rufinus, Expositione in Symbolum Apostolorum.

Alii libri sunt, qui non Canonici, sed Ecclesiastici à majoribus appellati sunt: ut est Sapientia Salominis...... In novo verò Testamento libellus qui dicitur Pastoris sive Hermatis, qui appellatur Duæ Viæ, vel Judicium Petri.

Cassianus, Collatione 8. cap. 17.

Nam quòd unicuique nostrûm duo cohæreant Angeli, id est bonus & malus, Scriptura testatur: de bonis quidem...... De utrisque verò liber Pastoris plenissimè docet. *Lib. 2. Mand. 6. cap. 2.*

Collat. 13. cap. 12.

Adjacere autem homini in quamlibet partem, animi libertatem, etiam liber ille qui dicitur Pastoris, apertissimè docet: in quo duo Angeli unicuique nostrûm adhærere dicuntur, id est, bonus ac malus; in hominis verò optione con-

sistere, ut eligat, quem sequatur. *Ibidem.*

Prosper, lib. contra Collatorem, cap. 30.

Post illud autem nullius auctoritatis testimonium, quod disputationi suæ de libello Pastoris inseruit, &c. *Ibidem.*

Concilium Romanum, sub Gelasio habitum.

Liber, qui appellatur Pastoris, apocryphus. *Idem apud Nicephorum Constantinopolitanum, in fine Chronographiæ.*

Maximus, in cap. 4. lib. de divinis Nominibus, circa initium.

Καὶ ἐπὶ τοῦ ποιμένος τὸν Ἑρμᾶν πλειώσαντος, ὡς ἐκεῖ ἀνέγνωμεν ἐν τῷ ποιμένι. Οὕτω καὶ ἐν τῷ ποιμένι ἀνέγνωμεν.
Atque in Pastore Hermam perficiente, sicut ibi legimus in Pastoris libro. *Et paulò pòst:* Sic etiam in Pastore legimus.

Walfridus Strabus, Visionibus Wettini. V. 675.

Cælicolas hominum custodes esse sacrata
Scripta ferunt, dominusque docens ostendit Jesus,
Ante Patris faciem stantes servire Fideles:
Atque liber Pastoris opem demonstrat eamdem.

Liber Pontificalis, in vita Pii.

Sub hujus Episcopatu, frater ipsius Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus Domini, cùm veniret ad eum in habitu Pastoris, ut sanctum Pascha die Dominica celebraretur. *Lege Martyrologia, Reginonem, &c.*

Beda in Chronologia.

Hermas scripsit librum, qui dicitur Pastoris, in quo præceptum Angeli continet, ut Pascha Dominico die celebraretur.

Ado in Chronologia.

Pius Episcopus Romæ habetur, sub quo Hermas librum scripsit, in quo præceptum continet Angeli; ut semper Pascha die Dominico celebretur.

Et in Martyrologio.

Natale sancti Hermæ, cujus Apostolus Paulus meminit.... Hunc adserunt auctorem esse libri, qui appellatur Pastor.

Romanum Martyrologium.

Romæ sancti Hermæ, cujus Apostolus Paulus in epistola ad Romanos meminit. Hic digne semetipsum sacrificans, acceptabilisque Deo hostia factus, virtutibus clarus, cælestia regna petivit.

Pseudo-Decretalis epistola Pii Papæ.

Istis ergo temporibus Hermas Doctor fidei & Scripturarum effulsit inter nos.... eidem Hermæ Angelus Domini in habitu Pastoris apparuit, & præcepit ei, ut Pascha die Dominico celebraretur.

Pseudo-Tertullianus, lib. 3. adv. Marcionem.

Post hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater
Angelicus Pastor; quia tradita verba loquutus.

De cæteris Patrum scripris, de quibus in aliis Dissertationibus nostris disputavimus, nulla hîc transcribimus testimonia; quandoquidem & ea suis locis retulimus, nec ullam Lectoribus creare possunt difficultatem.

INDEX RERUM.

A

Animæ

B

C

INDEX RERUM.

F

I

Prophetas

T

V

Errata.

PAG. 3. *lin.* 4. in sæculo, *dele* in.
Pag. 48. *lin.* 14. quem, *lege* quod.
Pag. 49. *lin.* 15. quod si, *dele* quod.
Pag. 69. *lin.* 16. appulisse, *adde* se.
Pag. 92. *lin.* penult. præscripta, *lege* descripta.
Pag. 160. *lin.* 16. nullas epistolas, *lege* nullus.
Pag. 200. *lin* 19. neque, *lege* aut.
Pag. 223. *lin.* 12. constituunt, *lege* constituit.
Pag. 224. *lin.* 18. Dallæo, *lege* Dallæi.
Pag. 264. *lin.* 10. variis, *lege* vanis.
Pag. 271. *lin.* 16. aperte, *lege* apte.
Pag. 364. *lin.* 20. alterius Dionysii, *lege* alterius Alexandrini.
Pag. 385. *lin.* 30. illud, *lege* illa.
Pag. 438. *lin.* 30. hæc, *lege* hæ.
Pag. 464. *lin.* 21. urgent vero, *lege* tamen.
Pag. 465. *lin.* penult. ab iis, *dele* ab.